



SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM

VOLUMEN SEPTIMUM.

HISTORIÆ REGUM NORVEGIÆ A MAGNO NUDIPEDE USQUE AD MAGNUM ERLINGI FILIUM.

HAFNIÆ, 1836.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

HISTORIÆ

REGUM NORVEGIÆ A MAGNO NUDIPEDE USQUE AD MAGNUM ERLINGI FILIUM,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITÆ

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTÆ,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.





OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS
IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1836.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.



HISTORIA
REGIS MAGNI NUDIPEDIS.

Cap. 1.

Magnus, filius regis Olavi, statim post mortem patris rex totius Norvegiæ [in Vika[1] creatus est. Cognita vero morte regis Olavi, Uplandi regem sumserunt Hakonem, Thoreris alumnum, Magno patruelem; quo facto Hakon ac Thorer in Thrandheimum profecti, cum Nidarosum venissent, comitia Eyrensia convocarunt; in quibus cum Hakon, ut regium nomen sibi daretur, postulasset, coloni ei tribuerunt, ut ei regium nomen dimidiique regni imperium, quantum pater ejus, rex Magnus Haraldi filius, tenuerat, concederent. Rex Hakon Thrandis immunitatem portorii multaque alia juris beneficia concessit: idem gratiam iis fecit munerum, festo Jolensi dari solitorum; quibus rebus factum est, ut omnes Thrandi se ad amicitiam Hakonis converterent. Mox Hakon, adscitis aulicis, in Uplanda profectus, incolis eadem ac Thrandis juris beneficia concessit; quare Uplandi quoque eum integra amicitia coluerunt. Tum sequentes versus in Thrandheimo facti:

Inclytissimus juvenis Hakon,
hominum in terris natorum
optimus, huc pervenit,
Thorere Steigensi comitatus.
Dein dimidiam Norvegiam
Olavi filio concessit, sed

[1]) omitt. *H.*

liberalis, disertus Magnus
se toti solum imperare postulavit[1].

Cap. 2. Rex Magnus autumno proxime insequenti in Thrandheimum profectus est, et Nidarosum delatus, in ædes regias se contulit, ibidemque commoratus est. Primam hiemis partem in oppido transegit, septemque naves[2] in apertura glaciei amnis Nidæ a gelu intacta, ante ædes regias continuit. Hakon, cum cognovisset, Magnum patruelem ab oriente advenisse, boream versus profectus in oppidum pervenit, hospitiumque sibi delegit in ædibus Skuliis supra ædem Clementi sacram; quo loco vetustæ ædes regiæ erant. Rex Magnus ægre ferebat, quod rex Hakon munera civibus ad captandam benevolentiam dederat, suum peculium datum esse judicans; quam ob rem animus ejus magnopere exasperatus est, quod se existimavit a patrueli jure spoliatum, cum reditus haberet multo minores, quam pater aut ejus majores habuissent; cujus rei causam ad Thorerem auctorem retulit. Rex Hakon ac Thorer, ea de re certiores facti, vehementer solliciti erant, quid consilii rex Magnus capturus esset; et suspicionem moverunt naves longæ, tentoriis velatæ et instructæ, quas Magnus in aqua continebat. Sero quodam vespere rex Magnus naves velatas ex amne ad Hevringam[3] abduxit, ubi in sequentem noctem commorati, ingentes ignes in terra excitarunt. Quod cum Hakon [et milites, qui in oppido erant, ad ipsos

[1]) Omittit hos versus *M.* Ordo est: *Ungr frægðar-mildr Hákon kom hingat: hann er alinn beztr a) manna á foldu; fór með Steigar-þóri; bauð b) síðan syni Ólafs upp hálfan Noreg, en mildr, málsnjallr Magnús vildi hafa allan sjálfr.*

a) *æztr*, præstantissimus, *H.* *b)* *H, Hk., R*; om. *A.*

[2]) naves longas, *H, R.* [3]) promontorium prope Nidarosum.

fallendos factum esse opinarentur[1], copias in Eyras (lingulas) classico evocari jussit, quo universa confluxit oppidana multitudo, per noctem in contrahendis copiis occupata. Sequenti mane, ut illucescebat, rex Magnus, magna armatorum multitudine in lingulis conspecta, classem e sinu duxit, et meridiem versus in conventum Gulensem contendit. Tum quoque rex Hakon itineri se accinxit, terrestri itinere orientem versus in Vikam profecturus. Antequam oppido exiret, habito conventu, verba fecit, civiumque favorem depoposcit, suam vicissim pollicitus amicitiam, magnam sibi hærere suspicionem dicens de proposito Magni patruelis. Hakon equo insidebat, ad abeundum paratus. Cui cum omnes amicitiam et auxilium, si opus esset, libenter polliciti essent, universi oppidani eum ex oppido ad Steinbjarga prosecuti sunt. Hoc accidit paulo post[2] festum purificationis[3]. Inde rex Hakon in montem Dovricum contendit; quem transcendens, prævolantem tetraonem multum diei equo insecutus est; in quo occupatus in letalem morbum incidit, atque ibi in monte exspiravit. Funus mortui Nidarosum deportatum, eo post mense dimidio, quam inde profectus fuerat, devenit, universis oppidanis obviam procedentibus, et plerisque lacrimas fundentibus; nam plebs eum toto animo diligebat. Funus regis Hakonis in æde Christo sacra humatum est. [Rex Hakon triginta quinque annos compleverat, cum mortuus est[4]. Quo haud facile ullus in Norvegia

[1]) *H, Hk., R*; omitt. *A*. [2]) ante, *H, R*. [3]) i. e. 2. Februarii.
[4]) Hic atque patruelis ejus non totas duas hiemes regno præfuerant, cum ille mortuus est, *M*; tum hic atque rex Magnus duas hiemes imperaverant: rex Hakon amplius viginti quinque annos compleverat, *Hk*. Sed ætas Hakonis Magni filii (annorum 35) cum chronologia consistere nequit, quippe cu-

princeps fuit, apud universam plebem gratiosior. Septemtrionem versus in Bjarmiam profectus, ingens ibi prælium fecerat et victoriam reportaverat.

Cap. 3. Rex Magnus eadem hieme orientem versus in Vikam profectus est. Appetente autem vere meridiem versus cum copiis in Hallandiam contendit et populationem fecit. Vallem dictam Viskardalum[1], pluresque pagos, incendit; multaque ibi præda [potitus, in regnum rediit. Sic dicit Björn Kreppendus (lorimanus) in encomio Magni[2]:

Vorsorum dominus Hallandiam
igni ferroque late vastavit; cito
incolæ in fugam conjecti sunt,
Hördorum principe domos inflammante.
Deinde rex Thrandorum multos
incendit pagos, pernicie struis
lignariæ vehementer stridente;
femina Viskdalensis somnum non capiebat[3].

---

jus pater, Magnus Haraldi Imperiosi filius, non natus sit ante hiemem 1047-48.

1) *M*; Vikardalum, *A*; Vikarsdalum, *H*. 2) partim rapinas agendo, partim captivos pecuniis reddendo potitus est, teste Björne, *M*.

3) Ordo: *Vörsa a) drottinn lèt vitt [farit Halland b) brandi: flótti varð rekinn skjótt, Hörða ræsir sveið hús. Síðan brendi buðlúngr þrænda c) mörg heruð: við- d) kastar hel e) blès fasta f): viskdælsk g) ekkja vakti.*

a) *M*; *Vorsa*, ut vulgo, *H*, *Hk*. *b*) *heldr land varit*, i. e. *lèt land heldr vitt varit brandi*, terram (i. e. Norvegorum) nimis late (arma circumferendo) defendit. *c*) *þrønda*, id., *M*. *d*) hæc vox etiam legi potest *víð*, i. e. *mörg víð heruð*, multos latos pagos, nam *köstr* absol. de strue lignaria usurpatur; *viðs*, *Hk.*, quod aut sumi potest pro gen. τοῦ *viðr* (pro *viðar*), aut pro *víðs*, ut referatur ad *kastar*, latæ struis; *vitz*, *M*, i. e. *víðs*. *e*) i. e. *ignis*; *vel* (forte *vèl*, fraus, i. e. noxa), eod. sensu, *H*; *hræ*, *M*, cadaver, vel pro comsumtore (i. e. igni), vel pro reliquiis struis lignariæ, incendio absumtæ, et a vento perflatæ; sic *skips hræ* dicuntur fragmina laceræ navis. *f*) *Hk*. T. 3.

Quibus versibus poëta significavit, populationem in Hallandia ab rege Magno effusissime factam[1].

Cap. 4. Vir erat nomine Svein, genere Danus, filius Haraldi, cognomine Fletteris (spoliatoris). Hic, expeditionibus piraticis clarus, summa fortitudine in præliis, generisque nobilitate inter conterraneos excellebat. Idem in gratiam regis Hakonis Magni filii pervenerat. Mortuo vero rege Hakone, hic atque Thorer Steigensis, qui se desperaret in amicitiam et gratiam cum rege Magno posse pervenire, consilia de rebus postea efficiendis inter se inierunt, ut, opibus ac copiis Thoreris adjuti, factionem [regi Magno adversariam[2] compararent; cujus factionis imperium, nomen imperatoris Svein suscepit, quod Thorer et senio et corpore gravis erat. Hujus seditionis participes se plures principes addiderunt, quorum unus in amplissimis fuit Egil, filius Aslaki ab Örlando, vir præfecti dignitate conspicuus, Ingibjargæ, filiæ Ögmundi Thorbergi filii, sorori Skaptii de Giska, matrimonio junctus. His Skjalgus, vir dives, socium se addidit. Cujus rei mentionem facit Thorkel *Hamarskáld* (poëta Hamarensis) in encomio Magni:

Thorer, non mediocria affectans,
copias ex locis diversis unacum
Egile contraxit; quæ consilia ipsis
minime salutaria exstiterunt.
Aspera incommoda ad amicos Skjalgi
inde redundarunt, quod viri, præfectorum
dignitate clari, majora viribus
adversus bellatorem moliti sunt[3].

---

refert ad *ekkja*, femina vincta; T. 6. rectius pro adverbio accipit. *g*) *M*; *víkdælsk*, Vikdalensis. *H*; *vigdælsk* (*g* pro *k*), *A*.

[1]) Hoc caput *M* addit narrationi de Sveinkio, hujus hist. c. 13.

[2]) parenthesi inclusa addit *H*; omittit *A*.

[3]) Ordo: *Stórkugaðr þórir dró vitt saman sinar sveitir með*

Thorer ac sui, turba seditiosa primum in Uplandis collecta, in Römsdalum Sunnmöriæ descenderunt, naves ibi compararunt, indeque boream versus in Thrandheimum contenderunt. Sigurdus Ullstrengus (vitta lanea) nomen erat præfecto, filio Lodinis Viggjarskallii (glabrionis de Viggja); is, simul ut cognoverat, agmen Thoreris ac sociorum advenisse, dimissa sagitta, belli nuntia, universas copias Viggjam[1] convocavit[2]. Svein ac Thorer eo contenderunt, cum Sigurdo conflixerunt, victoriam reportarunt, magna edita hominum strage. Sigurdus effugit et ad regem Magnum pervenit; Thorer vero cum suis in emporium (Nidarosi) profecti, aliquamdiu in sinu commorati sunt, ubi magna vis hominum ad eos confluxit.

Cap. 5. Quibus rebus cognitis, rex Magnus extemplo copias convocare, navesque comparare cœpit; quo facto in Thrandheimum contendere

---

Agli a): þau b) ráð varot c) heldr haglig d) höldum. Ek frá e) Skjálgs vinum f) snörp g) mein á því, er lendir menn urpu steini um afl sèr h) við morðvals i) brynni.

a) Æghli, (i. e. *Egli*), *Fagrsk.*, quod syllabas metricas impares reddit. *b) þá,* tum, *H.* *c) varo, Fagrsk.*, minus recte, nisi ironice intelligatur. *d) varot heldr haglig,* i. e. *varo heldr ókaglig.* *e)* audivi, i. e. novi, vulgo apud poëtas pleonastice adjectum, quare nunc in versione omitto. *f)* i. e. Thoreri ac sociis; *vinir, Hk.*, quod jungendum cum *lendir menn.* *g) H, M; snavp, A,* sine sensu, et advers. metro. *h)* eandem phrasin vide Egilsagæ ed. Havn. p. 473, Vigagl. c. 21, 9. *i) morðhauks*, corvi, *Hk.*, eod. sensu; hac appellatione intelligitur rex Magnus.

[1]) villa, 3 milliaria Norveg. ab Nidaroso distans. [2]) *M* sic habet: ferunt, regem Magnum, antequam eos aggrederetur, Sigurdum Ullstrengum compluresque alios amicos suos contra eos misisse, qui, secta sagitta bellica et per provinciam missa, copias adversus Thorerem coëgerunt, easque Viggjam convocarunt.

adversus Thorerianos constituit[1]. Quod testatur Gislius Illugii, qui eo tempore apud regem Magnum versabatur:

Juvenis princeps
gloriam sibi peperit,
cum pugnatores[2]
regem gratiosum
spoliare regno volebant;
quos rex[3] armiferos[4]
viros livido ense
oppugnatum ivit.

Rex Magnus copias Osloam contraxit, indeque, ut paratus erat, profectus est. Sic Gislius:

Deduxit[5] ex Osloa[6],
Egilem aggressurus,
princeps navem, ut
regnum repeteret;
secuti regem sunt
Rogalandi a meridie
et viri liberales
ex duobus conventibus[7].

Rex boream versus litora terræ prætervectus, vento secundo ferenti usus est, donec Stadum superasset; cursum magna festinatione properavit; ubi vela facere non licuisset, confestim ad remos decursum. Sic Gislius:

Tum conspici potuit[8]

---

[1]) reliquum hujus capitis omitt. *Hk.* [2]) *alendr imdar faxa*, saginantes equum gigantidis (lupum). [3]) *jöfurr*] *ofra*, *H*, *R*, vix recte. [4]) *Báleygs viðr*, arbor Odinis, præliator h. l. dicitur, quemadmodum *Óðins eiki* in *Höfuðlausn*, str. 7, ubi vide a Gudm. Magnæo annotata. [5]) *ýtti*, *H*, *M*; *ýtim*, *A*, prave. [6]) Ösloa, *M.* [7]) *lög*, territorium, iisdem legibus utens; talia in Norvegia erant, *Frostuþingslög*, *Gulaþingslög*, *Borgarþingslög*, *Heiðsævisþingslög*, conventus Frostensis, Gulensis, Borgensis, Heidsævensis. [8]) *knátti*] *hnáttu* (i. e. *menn*), *H*, id., *h* pro *k*.

regia classis, ad
prælium instructa,
[1]victoriæ adsveta:
cum Yrjas prætervectæ,
gravi instanti tumultu,
immensæ[2] copiæ
remos torquebant.

Rex Magnus totam classem ad terram appulit intra Örvarhamros[3] (rupes sagittæ); hoc loco in terram egressus, concionem habuit; qua constituta, rex surgens, verba fecit: haud dubie notum vobis est, nostros turbam seditiosam adversus nos concitasse, rebellionem in nostro regno movisse, principemque factionis delegisse virum, cui regnum Norvegiæ jure nativitatis eo minus competat, quod nullam habeat hac in terra cognationem. Quare a vobis peto, ut mihi fidelem operam navetis, aliique alios confirmetis, ut hanc scelestam turbam amoveatis. Quidnam, quæso, regi, ad imperium nato, majorem afferat ignominiam et dedecus, quam quod in me cœptarunt hi, qui nostri principes et præfecti appellari debuissent, qui hominem extraneum, neque regio ortum genere, qualis hic vir est, Svein, filius Haraldi Fletteris, per omnia stemmata genere Danus, et quidem humili loco natus, regem crearunt? Excusari quidem quodam modo potuit, quod Hakonem patruelem, dum in vivis fuit, pro rege agnoverunt: nam et fuit in amicos perquam liberalis ac benevolus, et mea quoque auctoritas ex parte accessit, quod æquo mecum jure imperii gaudere existimatus est; hoc autem quod nune agitari cœptum est, nullo modo est ferendum; neque dignus sum, qui regio nomine utar,

[1]) *ok*, et, add. *H*, *M*. [2]) *óþrotligt*] *óþrottligt*, non bene geminato *t*, *H*. [3]) Örvahamros (rupes sagittarum), *H*, ut in stropha proxime sequ.

si neque hanc seditiosam turbam exstirpavero, neque facinus adeo nefarium ultus ero: nisi omnino a cognatis et majoribus meis degeneravi. Et vos decet, me in hac re opitulari, id quod omnium bonorum et æquorum approbationem vobis pariet. Hoc autem in omnes, qui partibus Thoreris se adjunxerunt, decrevi, ut tractus ab iis habitatos incendamus, ipsos, si in potestatem nostram venerint, interficiamus, fortunas eorum diripiamus. Rex ita finem dicendi fecit, ut sui omnes orationem ejus secundo rumore acciperent. Sic Gislius Illugii filius:

Rex concionem
militum habuit
ad litus maris, intra
Örvahamros;
rex imperiosus tractus,
intra Stadum sitos,
inflammare paravit;
coloni vero fugerunt[1].

Cap. 6. Thorer ac sui in Hevringa[2] jam tum hærebant, cum audierunt, regem Magnum cum classe per exteriora sinus adventare. Qui cum jam antea omnino parati essent e sinu navigare, navibus ultra ad Vaguvikastrandam[3] constitutis, in terram relictis navibus aufugerunt et in Thexdalum in tractu Seljuhverfo devenerunt. Memorat Gislius, Thorerianos, cognito regis adventu, fugisse:

Copiæ Egilis subito
dilapsæ sunt; strepitus
exstitit in multitudine
ab exteriore[4] parte Ladarum;
non potuerunt[5] præfecti

[1]) Hanc stropham omitt. *Hk.* [2]) ad Hevringam, *H, Hk.*
[3]) Vaguvikam, quæ in Stranda (tractu maritimo) est, *R, Hk.*
[4]) orientali, *H.* [5]) *máttu eigi*] *máttut*, id., *H.*

invito Hadalandorum
domino, regni possessione
ornato[1], terram obtinere[2].

Thorer, quod pedibus adeo laborabat, ut incedere non valeret, lectica per montem transportatus est. In (pagum) Seljuhvervum delati, [naves comparant; Thoreri erat ingens navis et eximia, quam ipse fabricandam curaverat. Ita boream versus in Halogiam contenderunt[3]. Rex Magnus, ut paratus erat, e Thrandheimo solvit, eosque insecutus est. Thorer ac sui ad Bjarkeyam usque contenderunt; quorum adventu Jon et filius Vidkunnus aufugerunt. Hic Thoreriani omnes res mobiles diripuerunt, villam et navem longam, quæ Vidkunno erat, incenderunt. Thorer, navi ardente et in sinistrum latus inclinante: age, Vidkunne, inquit, alacrius ab dextro latere[4] remiga! Tunc aliquis hos versus lusit:

Quod novi prædium optimum
stridentibus ignibus ardet
Bjarkeya in media. Thorer
multorum auctor fuit malorum.
Nec se, vespere appetente, Joan
rapinæ expertem sentiet, nec ignis:
domos amplas lucidus ignis
ustulat, fumo in nubes ascendente[5].

---

[1]) *láðgöfguðum*] sic *H, M; láðgöfugum, A;* utraque ratio proba est, sed composita cum *göfugr* usitatiora. [2]) Om. hanc stropham *Hk.* [3]) Sic *H*, consentiente *M*; quæ ab signo sunt, desunt in *A.* [4]) *stjórn*] *stjórnborða, Hk.*, eod. sensu, et nunc vulgo magis in usu.

[5]) Ordo: *þat ból breðr a), er b) ek veit gólast*) í miðri Bjarkey: [þýtr vandar- c) böl; tæra þarft standa af þóri. Jóan d) mun eigi frýja elds nè ráns, er kveldar: bjartr logi svíðr breiðan bý e), reyk leggr e) til skýja.*

a) Sic *H, Hk, R*; *bræðr* (*æ* = *e*), *A.* *b*) om. *A.* *) *góleghst* (i. e. *góligst*), id., *Fagrsk.* *c*) Sic *M, Hk.*; *þeyrrandar, A*; *þrekvandur, H*, utrumque prave; *vandar böl*, noxa fruticis,

Jon et Vidkunnus, nocturno diurnoque itinere non intermisso, tandem regem Magnum convenerunt. Svein ac Thorer classem a borea[1] duxerunt, et multis Halogiæ locis populationes fecerunt. Qui cum in sinu, dicto Harmo, in ancoris starent, classemque Magni regis velis advehi viderent, Thorer paucitate suorum a prælio deterritus est; quare remigio fugam capessiverunt. Svein cursum in altum direxit, pars vero navium in interiora sinus penetravit. Thorer et Egil, Hesjutuna[2] advecti, se terram continentem nactos existimabant; sed inciderant in insulam, Vambarholmum dictam. Milites Thoreris, appellentes ad terram: ubi quisquam, inquiunt, navem conspexit æque spectabilem? haud facile ulla præstantior navis fabricata est, ex quo Serpens Longus factus fuit; hæc quoque navis fortibus viris, a quibus strenua exspectari defensio poterit, instructa est.

Cap. 7. Rex Magnus fugientem Thorerem insecutus est. Cum regiæ naves insulæ appropinquabant, milites Thoreris, omni abjecta fortitudinis specie eum deseruerunt. Heic Thorer: vos modo navem meam non deterioribus viris instructam, quam Serpentem Longum, jactavistis; ego vero, quod attinet ad fortitudinem classiariorum, multum interesse discriminis judico; ibi enim, nisi me fallat opinio, plures ceciderunt, heic plures aufugiunt. Itaque evenit, ut milites ad unum omnes eum desererent, solo Egile apud eum remanente. Tum Thorer Egili: fuga saluti consule, affinis! magna enim jactura est, si tu, vir tantæ virtutis ac fortitudinis, vitam amittis. Cui Egil: haud sane nimis multi apud te ver-

iguis. *d*) Sic *M*, ut solito; *Jón*, *A*, *H*. *e*) Sic *H*, *M*; *býlekkr*, *A*, (*kk* pro *gg*).

[1]) boream versus, *Hk*. [2]) Seljotuna, *M*.

santur, etsi ego solus remaneam[1]. Thorer, regiis navibus advolantibus, in interscalmio anteriore sedebat. Quem inclamans Sigurdus Ullstrengus: valesne, Thorer, inquit? et ille: bene quidem manibus, sed pedum infirmitate laboro. Quam rem aliquis statim carmine celebravit:

Naves subito inter se concurrebant:
gladii strenuos viros minime
lædebant. Ullstrengus verbo
interrogavit, ut Thorer valeret.
Ille se manibus valere affirmavit,
sed pedum laborare infirmitate:
quam rem certo novi. Conjecta
saxa navis lateribus insonuere[2].

Mox Thorer et Egil comprehensi, et jussu regis in Vambarholmum deportati sunt. Cum manus iis injicerentur, Sigurdo „tu, Thorer, tam senex, etiamnum pingvis es" jactanti, ille: cibus meus, inquit, ac cerevisia hoc effecerunt. Ubi[3] in terram deducti sunt, Thorer, utpote pedum infirmitate laborans, vacillavit et prolapsus est. Tum Vidkunnus: alacrius ab sinistro latere, Tho-

---

[1]) neque filia tua me abs te aufugiturum crederet, add. *M.*

[2]) Ordo: *Skip rendust at hvatla: sverð bitu slætt a) snarpa b) fyrða. Ullstrengr spurði orði, hve Þórir mætti. Lundr hjörs kvaðst heill at höndum, en hrummr c) at fótum: frágum þat gjörva; gerði grjóts glamm á borði.*

a) Sic *A, H, R, M*; *slætt* accipio pro *slæliga*, segniter, i. e. non opus erat gladiis uti, cum omnes aufugissent; *sætt, Hk.*, et mox *snarpra*, i. e. *sverð bitu sætt snarpra fyrða*, gladii pacem strenuorum virorum ruperunt, i. e. res gladiis gerebatur, quod nec h. l. per se verosimile est, nec facile dictum reperies: *sverð bita sætt.* *b*) ironice dictum sit, oportet; *snarpra, Hk.*, vide not. *a.* *c*) Sic *A, H*; *hrumr, M.*

[3]) Thorer et unacum eo Egil ab Förlando (forte ab Örlando, vide cap. 4.), vir urbanitate (vel: dexteritate, agilitate) animique fortitudine omnium facile princeps, add. *M.*

rer, remiga! Dein crucem erexerunt. Quod videns Thorer, hæc locutus est:

Fuimus quatuor socii,
admovimus[1] unum gubernaculo.

Thorer cum ad crucem duceretur: male cedunt, inquit, mala consilia. Idem staturæ magnitudine[2], tam crassitudine, quam proceritate, omnes superabat. Dein suspensus est. Cum vero patibulum tollebatur, Thorer tanta erat gravitate, ut caput ei abrumperetur, trunco in solum dejecto. Mox Egil ad crucem ductus, servos regios, qui eum suspenderent, allocutus: non ideo hoc vobis negotii datnm est, ut me suspendatis, quod quilibet vestrum suspendio dignior non sit. Sic Thorkel poëta Hamarensis:

Diva lucis æquoreæ! audivi,
Egili verum ore dictum
excidisse, regios allocuto
servos, expertes fortitudinis:
dixit, eorum esse quemque
digniorem, qui multo altius
ipso penderet. Fortis ille vir
nimium gravi implicitus est malo[3].

---

[1]) *førþom* (i. e. *færðom*), id., *M*; *forðom*, olim, *Hk.*, sed illa videtur primaria lectio esse, hæc secundaria; intelligit Sveinem, rebellionis coryphæum, v. cap. 4. [2]) corporisque pingvedine, add. *H.*

[3]) Ordo: *Sól unnar dags a)! ek frá satt orð verða Agli b) á munni við einarðar latta c) siklings þræla: kvað hvern þeirra makligra at hánga miklu hærra d) en sik; eyðir hjaldrbliks e) beið ofmikit ángr.*

a) i. e. femina! quas in carminibus compellare, poëtis familiare est. *b)* *Æghli* (i. e. *Egli*), *Fagrsk.* *c)* vel a fidelitate alienos, perfidos; *lattr* (partic. v. *letja*), deterritus, h. l. alienus ab aliqua re, expers. *d)* *hera* (i. e. *hæra*), *M*, more, etiamnum in quibusdam Islandiæ partibus recepto, quo simplex *r* pro duplici pronuntiatur, v. c. *þerir*, siccitas, pro *þerrir*, etc.

Tunc Egil, regios milites allocutus: magnam, puto, voluptatem animo præcepistis, visuri hodie, ut pedes moturus sim[1]. Nonne putas, inquiunt, hoc in tua potestate fore, quo corporis motu mortem excipias. Mox apparebit, inquit, an hoc aliquo modo in mea potestate futurum sit. Inde laqueus[2] collo indutus. Qui cum in sublime elevaretur, alterum pedem convexo alterius plantæ impressit, nec ulla postea motus signa ostendit. Hic vitam ita posuit, ut omnes, qui aderant, tam fortis viri exitu dolerent[3]. Rex Magnus, dum Egil ac Thorer supplicio afficiebantur, prope adsidens, tanta ira æstuabat, ut suorum nemo pro iis deprecari auderet. Suspenso Egile[4] rex: boni, qui tibi sunt, cognati, Egil, male tuæ necessitati subveniunt. Quibus dictis significavit rex, deprecationem pro salute Egilis non frustra futuram fuisse. [De supplicio Thoreris mentionem facit Björn Kreppendus:

Rex strenuus Sognensium ensem
tinxit sangvine rebellium:
lupus multis locis prædam
calidam in Harmo discerpsit.
Num audisti, quomodo rex a perduellione
alios deterruerit? Iter bellicosi
principis feliciter successit; res enim
sic exiit, ut Thorer suspendio necaretur[5].

---

e) Sic *M, Hk.*; *höldr-bliks, A, hjöl bliks, H*, partim obscure, partim dubie; *hjaldr-blik*, splendor pugnæ, gladius, ejus *eyðir*, strenuus pugnator.

[1]) Indutus erat tunica bicolori (i. e. cujus exterior pars alio, interior alio colore erat), add. *M.* [2]) *virgill*] Sic *M*; *viðinn*, vinculum, *A*; *et sterkasta reip*, validissimus funis, *H.* [3]) Quæ a novissima stropha sunt, om. *Hk* [4]) *hèkk*] *sparn gálgann*, crucem calcavit, *Hk.*, eod. sensu.

[5]) Ordo: *Snarr Sygna harri rauð sverð á úthlaupsferðum: vargr nam a) vitt at slita varma bráð á Harmi b). Fráttu,*

Cap. 8. Rex Magnus meridiem versus[1] in Thrandheimum reversus, gravibus pœnis eos adfecit, qui perduellionis manifesti fuerant, quorum villas inflammavit, quosdam interfecit, ut ex hoc carmine apparet:

Imperterritus præliator terrorem
Thrandheimi incolis incussit,
cum hi viderent ignem, sylvæ
vastatorem, per territoria grassari.
Novi, bellatorem vitæ duorum
præfectorum finem imposuisse:
esuriens aquila suspensis corporibus
advolavit. (Incolæ) in verba regis jurarunt[2].

---

hve fylkir mátti leiða drottinssvik? För c) gunnar gjörvis varð d) greið: svá fór, at þórir var heingðr e).

a) *rann, M, Hk.*, i. e. cucurrit (ad prædam discerpendam). b) *hrafni*, corvo, *H*, prave; *armi*, id., omissa aspiratione, *M*, qui posteriorem semistropham omittit. c) *fyrr*, *H*, perp. d) *var*, *H*. e) loco posterioris semistrophæ *M* habet: Idem addidit:

Rex auri liberalis efficit,
ut prædones humi cadant;
filius Olavi splendidos gladios
multis locis virorum cruore tingit*).

*) Ordo: *Hati vallbaugs vengis a) letr* (i. e. *lætr*) *víkinga falla: mögr Ólafs rýðr vitt en fögru járn á ýtum.*

a) *vallbaugr*, circulus, spira campi, serpens; *vallbaugs vengi*, campus, solum serpentis, aurum, hujus *hati*, osor auri, vir liberalis.

1) septemtrionem, *H*, prave.

2) Ordo: *Hlífar styggr a) hrafngæðir b) [nam hræða c) þrænzka drótt, er þeim þótti markar böl sveima í bygðum. Ek hygg, at herbaldr lyki aldri tveggja hersa: svángr örn fló d) til hánga; [sinniðr vera e) sváru f).*

a) propr. qui sine clypeo in pugnam procedit, vitæ suæ non parcens; *hlífar stygðr, Hk.*, quod nullo alio loco occurrit. b) *hrafngreddir*, eod. sensu, *Hk.* c) *vann hrædda*, eod. sensu, *Hk.* d) *sló, H*, mendose. e) Sic *Hk.*, ad verbum: (illi, i. e.

Sic Gislius:

Ignis grassatus est,
domus consumtæ sunt,
alta flamma eorum
territoria[1] pervasit.
Apparuit regis in imperio
exercendo severitas,
cum ædes corruerunt
circa socios Thoreris[2].

Thrandi hoc sibi utilissimum esse arbitrati sunt, ut sese in potestatem regis traderent, fidemque ejus implorarent; rex vero omnibus petentibus veniam concessit, teste Gislio:

Deinde rex animi plenus
suis cum hostibus, ad frugem

---

incolæ Thrandheimi) jurarunt (regem) esse dominum (suum); *sinniör*, dominus, rex, occurrit *Hk. OH.* c. 225, vide *Fms.* 5, 65, 2: *sváru*, 3. pl. impf. v. *sverja* (*sver: sór* et *svarði: svarit*, *sorit*, *Fagrsk.*), quæ forma haud insolens videbitur. Ut verba, sic sententia nihil negotii facit. Sed difficultatem movet lectionis varietas: *syndr or vara ra*, *A*, ubi τὸ *ra* repetitio tantum syllabæ præced. esse videtur; *syndr or vara*, *H*; *syndr aurvara*, *R*, variatum ex præcedenti; *sinn iorsnara*, 2. Codd. *Hk.*, in qua lect. *snara* videtur tantummodo repetitio esse sequentis *svaru*, vel *iorsnara*, incuria librarii, pro *iorruara* (i. e. *jórr vara*): *sinn*, fallente pronuntiatione, deberi potest formæ *synn* (= *synd*). Nimirum puto in his var. lect. latere *synd-jór var-a*, quæ, connexa cum duabus proximis vocibus, plenam sententiam efficiunt: *syndjór var-a svarn svángr*, i. e. equus gigantidis non esuriebat. *Synd-jór*, equus ad natandum aptus, aut pro *syndr jór*, aut id. q. *sund-jór*, vulgo *sundhestr*; *svara*, gigantis (ut Ormst. 8, 1, ubi *svaru skær*, equus gigantidis, lupus), haud dubie per syncopen deflexum ex *sívör*, *svívör*, id. *Synd-jór* aut est pro equo in universum, ut *verkgoti húfs* est id. q. *goti húfs*, navis: aut respicitur fabula vulgaris, qua gigantes lupis per aera liquidum ferri putabantur. *f*) A signo in fine præced. cap., omitt. *M*.

[1]) domos, *H*. [2]) Hanc stropham ignorat *Hk*.

meliorem redeuntibus,
gratiam reconciliavit.
Quæ juris beneficia
colonis consilio pollentibus
tribui par erat, ea
rex civibus concessit[1].

Ab eo tempore rex Magnus imperium severe exercere cœpit, homines flagitiosos ac prædones punivit, et hoc pacto mercatoribus aliisque bene moratis hominibus otium reddidit. Sic Gislius:

Rex fures exstirpavit,
mercatoribus vero
pacem conciliavit, quam
adeo securam reddidit,
ut, ad Albim Gothorum,
naves splendide ornatas
securibus[2] fulcire
incolis[3] tuto licuerit[4].

Svein Haraldi filius primo in altum, ut supra commemoratum est, provectus, in Daniam contendit, ibique commoratus est, donec in gratiam rediisset cum rege Eysteine Magni filio, apud quem versatus est, bonis moribus insignis. Hunc rex Eystein pincernam constituit, eo familiariter usus est, magnique fecit. Ubi hoc modo tota

[1]) Ordo, posterioris semistrophæ: *Bragníngr a) gat b) launat c) rekkum d) þann rètt, er ráðspakir bóendr áttu.*

a) brögnum, M. b) gaf, H, M. c) launa, h. l. capiendum in eodem significatu ac *gjalda*, i. e. *veita*, præbere, concedere; *launa, M. d) rökþom, M,* cujus lectiones hunc ordinem svadent: *gaf brögnum þann rètt, er ráðspakir bóendr áttu launa rökþom*, i. e. (rex) civibus ea juris beneficia concessit, quæ coloni consilio pollentes amore et fidelitate remunerare debebant. Omittit totam hanc stropham *Hk.*

[2]) *öxum*] *eyjum, H*, puto prave pro *eyxum*, id. [3]) *fírum at*] *í fjöru*, in litore, *M.* [4]) Ignorat hanc stropham *Hk.*

Norvegia uni principi paruit, rex Magnus, prædonibus maritimis et latronibus expulsis, fines imperii tutos reddidit. Idem bellicosus, imperii diligentissimus, omni indolis ratione avo suo Haraldo, quam patri, regi Olavo, similior.

Cap. 9. Vir quidam, nomine Sveinkius Steinaris filius, divitiis affluens, ad Albim Gothorum incoluit; is Hakonem Magni filium enutriverat, antequam Thorer Steigensis eum educandum suscepit. Qui cum se nondum potestati Magni regis subjecisset, quod regem Hakonem, alumnum suum, tanto amore fuerat complexus, ut ejus obitus memoriam ægre deponeret: rex Magnus, arcessito Sigurdo Ullstrengo, se aperit eum in Vikam mittere statuisse, ut Sveinkium regni finibus et possessionibus regiis interdiceret: nondum enim, inquit, nobis obsequium aut honorem præstitit; at postulo, ut omnes nostro in imperio præfecti aut potestati nostræ se submittant, aut, si id facere nolint, possessionibus suis decedant. Sunt quoque ad orientem in Vika viri præfecti, nominatim Svein Bryggjufotus, Dagus Eilivi, Kolbein Klakka, qui nostrum negotium procurabunt, et te ad jus legitime obtinendum adjuvabunt. Sigurdus ad hæc: neminem ex Norvegiæ præfectis novi tam potentem, ut trium præfectorum auxilio, præter meum, opus sit, quo negotium cum eo rite peragatur. Rex: at tu horum auxilio ne utaris, nisi opus sit. Sigurdus itineri se accinxit, et una nave in Vikam profectus, præfectos convocavit, comitia per Vikam edixit, et Goth-Albenses adesse jussit. Magna jam confluebat hominum multitudo, in quibus præfecti supra nominati; hi Sigurdum monent, ipsum experturum, Sveinkio haud parum roboris inesse: in orientali enim parte regni, ad Albim, inquiunt, magna gaudet potentia et imperio; quare te ro-

gamus, ut primo cum eo leniter agas, negotiumque clementer, nulla cum vehementia, proponas: nam hæc sola ratio valebit adversus virum tam potentem et ferocem. Sigurdus: haud exiguis opibus Sveinkius nititur, si vos tres, meo accedente auxilio, negotia regia jure peragere, ob ejus potentiam, non poteritis; [ea enim sola proponere in animo est, quæ haud iniqua videbuntur, etsi hi indignentur[1]. Illi suam operam pollicentur, quo magis negotia ei ab rege demandata confieri queant; dubitare tamen, an ea re quicquam profici possit.

Cap. 10. Positis comitiis, aliquantum temporis processit, dum Sveinkius exspectabatur. Mox agmen venientium e longinquo conspectum; quæ manus armorum nitore non secus splendebat, ac si micarum glacialium congeries oculos feriret. Sveinkius ac sui in comitium delati, universi in orbem considebant, quinque hominum centurias efficientes. Tum Sigurdus surgens, alta voce verba fecit: rex Magnus Dei suamque salutem Dei suisque amicis mittit, in primis omnibus præfectis, et potentibus colonis, et præterea universo populo, saluti adjungens blanda verba, amicitiamque promittens omnibus, qui sibi obsequi velint. Audivistis, opinor, ut rex regnum suum ab hostibus, qui antea multa graviaque maleficia hac in terra patraverant, tutum reddiderit: nempe voluit Deus nunc finem imponi horum furori, qui, facinus inauditæ audaciæ nefandumque scelus aggressi, principem factionis regi Magno adversariæ crearunt eum, cui nullo nativi-

[1]) dicens, se opinari, si cum Sveinkio colloquatur, suam causam haud iniquam visum iri, *M*, rectius; oratio in *A* impedita est, tum confusa directa indirectaque oratione, tum prava haud dubie lectione *reibiat*.

tatis jure hoc regnum competebat. Quod inceptum exitum habuit rei naturæ et meritis convenientem. Jam rex summam benevolentiam et amorem omnibus civibus, qui ei operam dare velint, ostendere cupit, seque ducem et defensorem omnibus Norvegiæ incolis, magnis parvis, divitibus pauperibus, pollicetur, vicissim a civibus fidele ministerium et dignum præsidium postulans. Qui cum tantum boni vobis præstare possit, tamque bene cupiat omnibus de se bene meritis: oblatas ab eo conditiones lubenter accipere, non est quod cunctemini. Tum vir quidam in cohorte Gothalbensium surrexit, ingenti statura, compacta membrorum structura, hirsutam lacernam indutus, baculum securi armatum humero gestans, vasto pileo danico caput tectus; is locutus est: non opus est phalanga[1], inquit vulpes, traxit concham per glaciem[2]. Haud plura locutus resedit. Post paulo surgens Sigurdus hunc in modum verba fecit: ex verbis, ab aliquo vestræ cohortis, Gothalbenses, prolatis, intelligi potest, vos negotiorum regiorum, quæ

[1]) *hlums*] sic et *H, Hk.*; id. q. alias *hlunnr*; *hlūs, M,* quod secundum regulas abbreviandi legi potest et *hlums* et *hluns, Ed. Sn.* p. 268. [2]) Proverbialis locutio, quæ citatur et explicatur in *Ed. Sn.* p 333: *Paranomía er orðskviðr sá, er vel þikkir sama hlutum ok tíma, sem hèr: er-a hlums vant, sögðu refar, drógu hörpu á ísi*; *þat er mælt til þeirra manna, er láta stórliga, en megu lítið; þar er framfæring ok úeginlig líking milli manns ok hörpu*, i. e. Paranomia est proverbialis locutio, quæ rebus et tempori bene convenire videtur, v. c. non opus est phalanga, dixere vulpes, traxere concham in glacie; quod in eos dicitur, qui cum parum valeant, superbe se gerunt; hic quoque inest translatio et impropria similitudo inter hominem et concham. *Harpa,* quod de cithara accepit *Hk.* T. 3., malui de concha, alias *hörpuskel,* intelligere, quod vulpes, in locis maritimis foveas habentes, conchis aliisque animalibus marinis vivant.

nihil ad vos pertinere putatis, parvam habere rationem, et mediocrem erga nos amicitiam significare; qua ex re, quod cuique ingenium sit, apparet. Ut vero regium negotium apertius promam, rex ab reipublicæ præfectis[1] mercedes prædiorum, sumtus ad expeditiones bellicas necessarios, et alia vectigalia, quæ regi pendere debetis, postulat; quisque animum advertat, qua fide hæc antea præstiterit; operam det, si qua re officio defuerit, ut proprio honori serviat, et regi, quod jus æquumque postulat, præstet, memor, quem exitum habuerint, qui seditionem nuper contra eum moverunt. Quibus dictis Sigurdus resedit. Idem vir ac antea ex cohorte Gothalbensium surrexit, pileoque leviter concusso locutus est: ventus parturit nives[2], dixerunt Finni, qui xylosoleas venum exponebant[3]. Tum Sigurdus præfectos allocutus est, significans, haud esse, cur amplius adeo grave negotium regium levi brachio ageret. Monent, rem etiamdum mollibus verbis tentandam, opinari enim sese, ipsum re experturum, Sveinkium [tractatu esse difficilem[4], quod et verba ab eo jactata ex parte ostendissent. Sigurdus negavit sese induci posse, ut jactas in se verborum contumelias diutius negligeret. Indutus erat rubra tunica coccina, superinjecto sago cæruleo. Surrexit, iram vultu

---

[1]) æque ac inferioris ordinis hominibus, add. *M.* [2]) sodales! add. *M.* *Snæliga snuggir*] ex conjectura verti; *Hk.* T. 3. jungit *mælti snæliga*, lingva volubili locutus est, *snuggir* accipit pro plur. adj. *snuggr* = *snöggr*, i. e. citæ (sunt hæ xylosoleæ). Ego *snuggir* accipio pro verbo impers. forte: ventus flat; nunc *snugga*, ði, spiritum per nares expellere; *snæliga*, ita ut tempestas nivosa exspectanda sit, a *snær*, nix. [3]) Intelligitur Sigurdus, hac præmissa oratione negotium regis commendaturus et animos auditorum præparaturus. Quibus dictis resedit, add. *M.* [4]) vehementis ingenii, *M.*

prodens, abjectoque sago locutus est: nunc eo loci ventum est, ut sibi quemque cavere oporteat, neque enim res diutius dissimulanda, aut nomen personæ reticendum; scilicet apparet, quo loco habeamur; quod quidem æquo animo ferendum: illud vero gravius est, quod regis mandata verbis contumeliosis excipiuntur; qua in re quisque, cujus pretii sit, aperit. Viro nomen est Sveinkio, Steinaris filio, ad Albim in oriente habitanti, qui possessiones regias jam diu insedit, animumque insolenti ferocia et fastu induit. At mihi consentaneum videtur, regem velle ei potentia præstare: postulat ab eo rex, ut ab aliis sibi subjectis, justas mercedes et possessiones non controversas, alias ei regno interdicere statuit. Neque jam tergiversandum, neu dicteria regerenda; invenietur enim haud dubie aliquis, qui cum potentia æquabit, etsi nostram orationem contumeliose accipiat; atque satius est ei nunc, dum honeste facere licet, ad meliorem frugem redire, quam postea, cum ignominia ob contumaciam et pertinaciam exspectanda erit. His dictis cum Sigurdus consedisset, surrexit Sveinkius, rejectoque pileo: pro pudor! pro pudor[1]! inquit, turpissimi canes! vulpes in puteum rustici cacarunt. Audi rem insolitam, turpem dictu! homo manicis carens, veste dorsuali spoliate[2]! Quid, mene jubes in exilium ire? Missi sunt antea eadem de re duo homines, tibi, Sigurde laniger, propinqua cognatione juncti, quorum alteri nomen erat Gille Bakröva, alter turpiori nomine gaudebat; qui singulis domibus pernoctantes, quocunque venerunt, furati sunt. Quid,

[1]) Vitta lanea! add. *H.* [2]) carpit Sigurdi vestitum forensem, tunicam manicis carentem, et sagum (*vezl*), quod cum humeros et terga tantum tegeret, ad nates usque demissum, per contemtum appellat *bakskyrtu*, vestem dorsualem.

tune me exulem ire jubes? tunc tua contentio minor erat, cum rex Hakon, alumnus meus, vivebat, quo obviam tibi facto, haud secus pertimuisti, ac mus muscipulo inclusus: centonibus contectus fuisti, canis instar nauseantis: culeo intrusus es, ut sacco frumentum: ex prædiis avitis expulsus es, ut e grege equario equus arator castratus: haud magis tibi respirandi locus erat, quam lutræ nassa inclusæ; tene me regno excedere jubere[1]? beatum te existimato, si salvus hinc evaseris; agite, nos universi surgentes, eos adoriamur! Tunc universi surgere, ingentemque armorum strepitum concitare. Unde Svein Bryggjufotus ceterique præfecti hoc unum, quod caperent, consilium habuerunt, ut Sigurdum equo raptim imponerent, quo facto ille quam citissime in sylvam aufugit. Is finis horum comitiorum fuit, ut Sveinkius domum ad prædia sua reverteretur, Sigurdus vero, uno comitatus homine, terrestri itinere in Thrandheimum profectus, ægerrime regem Magnum conveniret, cui, quem exitum res habuisset, exposuit.

Cap. 11. Rex locutus est: numquid jam opus tibi erat præfectorum meorum auxilio? Sigurdus, sinistro legationis exitu dolens, nihil sibi prius esse ostendit, quam ut hanc injuriam ulcisceretur, regemque magnopere hortatus est. Cui rex: nimios sibi spiritus præfecti sumunt, qui regi suo debitum officium præstare negligant; quæ arrogantia illis hac in terra nunquam bene cessit: exemplo sit Erlingi Skjalgi filii cum rege Olavo Sancto controversia; exemplo sit Einar Arcipotens, qui avum meum Haraldum regem, potentia æquare studuit; exemplo sint eandem nuperrime fortunam experti, Thorer Steigensis et Egil. Regiæ dignitatis est, civium sibi sub-

[1]) Quid ergo? add. *M.*

jectorum, qui suo se modulo metiri nesciant, reprimere dominandi libidinem et nimios spiritus. Sveinkius haud dubie multum pollet, verum tamen nimium sibi sumere videtur, qui mecum contendere audeat[1]. His dictis rex Magnus duas naves armari jussit, atque, ut primum paratus erat, solvit, et litora terræ meridiem versus prætervectus, orientem versus in Vikam contendit; ubi a præfectis conviviis excipitur. His aperit rex, se Sveinkium velle convenire: notum vobis facio, inquit, me constituisse Norvegiam singulari imperio regere, dum nemo sit, qui æquo jure, atque ego, ad hoc regnum natus sit; nolim præfectos adeo lascivire, ut ipsi mei præfecti, speciali a me auctoritate aucti, ab iis pari calamitate et ignominia afficiantur, atque qua nunc affectus est ab Sveinkio Sigurdus Ullstrengus. Illi regem docent, Sveinkium esse et potentem et tractatu difficilem, cui neque copia militum neque apparatus armorum desit.

Cap. 12. Rex Magnus ex Vika profectus est, his præfectis comitatus, Sveine Bryggjufoto, Dago Eilivi filio, Kolbeine Klakka. Navibus ad villam Sveinkii subeuntibus, præfecti veniam rogant, ut primis in terram escendere et nova explorare liceat: est enim nobis, inquiunt, suspicio, magnam adesse Sveinkio hominum multitudinem, tam domi, quam in sylvis vicinis. Rex, re ipsorum arbitrio permissa: at certo scitote, inquit, nisi coloni modum sibi ipsi constituere velint, mihi certum esse, acrem aliquem in eos impetum dare. Egressi in terram, Sveinkium conspiciunt domo adventantem, magna stipatum multitudine virorum, egregie armatorum. Præfecti candidum clypeum sustulerunt; quo viso Sveinkius suos consistere jubet. Cum convenissent,

[1]) Hanc regis orationem omittit *Hk.*

Kolbein locutus est: rex Magnus, inquit, salutem tibi, Sveinki, mittit, insuperque te rogat, ut tui bonoris regiæque dignitatis rationem habeas, neque hostilia (ab eo) metuas, neu pugnam adversus regem pares; offerimus nos pacis inter te et regem internuntios: etenim tu vir es multo prudentior, quam ut, re nondum satis explorata, contra regem, jure creatum et ad hujus regni sceptra natum, arma ferre velis: quæ res feliciter adbuc cessit nimini. Sveinkius contra: prior quidem arma regi inferre non statui; ea vero de causa obviam vobis processimus, quod nolueramus conculcari a vobis agros nostros, aliamve nobis fieri molestiam; quam ob rem hoc loco manebimus, si regem convenire vultis. Itaque illi ad regem reversi, res Sveinkii quietas, omniaque ad pacem spectare referunt: omnem rem suam, inquiunt, tuæ potestati et arbitrio permittere vult. Extemplo sententiam dicam, inquit rex: exul e regno excedat, neque unquam revertatur, donec meo sceptro parebit Norvegia; insuperque omnes fortunas amittito. Kolbein: nonne tuo, domine, bonori magis consultum erit, ipseque meliorem apud alios famam consequeris, si eum regno excedere jubeas, tanta ditatum pecunia, ut aliis locis cum viris potentioribus versatus ex dignitate vivere possit; ipse vero nunquam redibit, dum fundi ejus in nostra ditione erunt; quæ si feceris, rem facies majestate regia dignam. Quare, quæso, advertas animum, tui ipsius tuæque dignitatis, nec non, si placet, nostræ quoque intercessionis rationem habens! Rex: illico se auferat hinc! Illi, Sveinkium convenientes, cum amica regis verba ei tulissent: petit præterea abs te rex, inquiunt, ut pro admissis abs te peccatis ita sibi satisfacias, ut regno excedas, tanta instructus pecunia, quanta honori

tuo bene conveniat; quod utriusque vestrum honorem, ut ipse poteris intelligere, promovebit. His Sveinkius: rerum nescio quæ facta commutatio est, si me rex amicis aut pacificis verbis compellat; at qua causa relictis fundis meis ac possessionibus aufugiam? proh, rem inauditam! in re mea occumbere præstat, quam avitis fundis ac fortunis relictis aufugere. Sic regi dicite, Sveinkium ne sagittæ quidem jactum fugiturum. Kolbein: ita facere, minus, amice, consultum, præstat enim, optimo principi cedendo[1] honorem adipisci, quam tergiversando summas in difficultates rerum incidere. Vir bonus, quo loco vitam deget, beatus erit. Tu, qui adversus tantum principem dignitatem tuam tuitus sis, quo potentiores apud viros versaberis, eo plus auctoritate valebis. Qua in re hospitii, quod jamdiu inter nos coluimus, fœderis integræque amicitiæ rationem quæso habeas, nostrisque id precibus tribuas, ut hanc oblatam ab rege conditionem ne asperneris, totque eximios viros præsenti periculo liberes. Quorum precibus si obsequeris, nos possessiones tuas curaturos ac fideliter administraturos pollicemur; quo accedit, quod civis postliminio, ut speramus, redditus nunquam vectigal pendes, nisi tua voluntate sit. Quæ res ut ab rege impetrari possit, si opus erit, neque fortunis, neque vitæ parcemus. Sveinkius, cum paulisper tacuisset, hunc in modum respondit: vos quidem hanc rem singulari cum prudentia egistis, etsi suspicor, vos a mandatis regiis aperte discessisse; verum tamen, cum tantam ostenderitis hac in re benevolentiam, vobis auctoribus e regno excedam, atque per unam hiemem extorris agam, si futurum est, ut postea rebus meis tuto frui liceat. Sic regi dicite, me

[1]) obsequendo, *M.*

hæc vestra, non regis causa facturum; nunc enim, ut antea, veram erga me benevolentiam a vobis præstari video. Illi revertuntur, conveniunt regem, dicunt, Sveinkium rem suam omnem ipsius arbitrio permittere: atque eapropter, inquiunt, beneficium a te, domine, petit; tres hiemes in exilio acturus est, iis præteritis rediturus, si hoc vestrum utriusque voluntate fieri liceat. Jam, regiæ tuæ dignitatis habita ratione, siquidem ejus causa tuo arbitrio permissa est, id precibus nostris tribuas, ut hoc pacto gratiam cum eo reconcilies; nos vero omni studio id agemus, ut nunquam, nisi te volente, rediturus sit. Quibus rex, nonnihil cunctatus: laudo virtutem vestram; vestra causa, quæ petiistis, faciam; sic ei dicite. Illi, actis regi gratiis, reversi Sveinkium conveniunt, cui cum amica regis verba exposuissent: gaudemus, inquiunt, si gratia possit inter vos reconciliari; petit rex, ut tres hiemes proponantur, quibus patria careas, quanquam persvasum habemus, propius adfore tempus, cum ille sibi videbitur tua opera carere non posse; quas conditiones non aspernari, ad honorem spectat. Sveinkius: quid igitur potius existimem, quam ut regis indignationem mea intra regni fines commoratione non moveam. Jam age, Kolbein, res meas curandas accipe. Quo dicto Sveinkius surrexit, et, copiis in villam reductis, protinus abscessit, ad hæc omnia jam antea paratus.

Cap. 13. Kolbein, in villa remanens, regi opiparum convivium apparavit, simulans, rem Sveinkio curante sic institutam esse. Sveinkius cum delecta virorum copia in Gothiam equis vectus est. Rex, cum in villa Sveinkii convivio interfuisset, in Vikam reversus, a præfectis conviviis excipitur, ibique aliquantum temporis com-

moratur, facta cum Sveinkio reconciliatione contentus. Prædia quæ Sveinkio fuerant, regio fisco addicta, a Kolbeine servarentur; præfecti, etsi rem omnem ad regis honorem quam maxime convertere studerent, tamen omnes possessiones, quæ Sveinkio fuerunt, quam maxima cura servarunt. Quibus rebus confectis, rex litora classe legens, in Thrandheimum usque copias reduxit. Cum vero turba prædonum ac flagitiosorum hominum Gothalbenses, jam præside destitutos, invasisset: [præfecti, misso nuntio, regem certiorem faciunt, partem imperii in oriente, si administratore careat, deletum iri[1]: quare nobis, domine, inquiunt, e ratione esse videtur, ut Sveinkio revocato curam amoliendarum harum difficultatum imponas; huic enim in expellendis maleficiis prædonibusque exstirpandis strenuitas minime deerit. Rex, cum hoc verum esse intelligeret, amicis hortantibus, bis misit, qui Sveinkium arcesserent; ille vero non antea venit, quam ipse rex Magnus in Daniam profectus eum convenisset integramque cum eo in gratiam rediisset; quo facto Sveinkius ad possessiones suas ac prædia reversus, ab eo tempore regi Magno amicissimus erat, hujusque imperium in oriente confirmavit; quorum amicitia, quoad vixerunt, duravit.

Cap. 14[2]. Traditur Hakon, filius Pauli dynastæ Thorfinni filii, post necem Thoreris Steigensis et Egilis, e Svethia in Norvegiam profectus, regem Magnum, cognatum suum, convenisse; is jam diu ab Orcadibus exulaverat, ubi ejus commoratio ob turbulentiam ingenii minus tuta videbatur. Quem advenientem rex Magnus benigne excepit. Hic id novi ex Orcadibus Hakon rescivit, Erlendum dynastam, patruum suum,

[1]) omitt. *A.* [2]) Capita 14-19 omittunt *M, Hk.*

hujusque filios, summa rerum potitos, multum apud populum gratia valere: Paulum patrem, dynastam, de imperio minus sollicitum esse. Hoc quoque ex viris, ab occidente delatis, qui ei potissimum sensa sua aperuissent, cognoscere sibi visus est, Orcadenses reditus ejus in occidentem parum cupidos esse, quippe qui, tum bona pace et otio fruentes, metuerent, si Hakon ab oriente adveuisset, turbarum bellique motus, eo auctore, exstituros. Quibus rebus animo consideratis, Hakon, non dubitans, si paucis comitatus insulas occidentales adiisset, quin se cognati imperio exclusuri insidiisque circumventuri essent: auxilium ab rege Magno, cognato suo, petiit, ut imperium Orcadum, ad quod natus esset, recuperaret; ad quam rem rex cunctantius respondit. Hakon, quippe prudentia insignis, cum rege collocutus, ex verbis ejus collegit, eum et animo ad magna quævis adspirare, et aliorum principum regna ad se rapere conari. Quo animadverso, cum rege colloquens, mentionem inferre cœpit, rem esse viro principe dignam, instructa classe terris occidentalibus arma inferre, exemploque Haraldi Pulcricomi Hebudes in ditionem redigere: rem esse facilis negotii, si Hebudes iu potestatem redegisset, inde iu Hiberniam et Scotiam infesta classe trajicere, quibus terris subactis, facile esse adjuvantibus Normannis copias adversus Anglos comparare, mortemque avi Haraldi ulcisci. Cujus rei cum facta mentio esset, cito intelligi potuit, hos sermones animo regis perplacere; tale enim responsum dedit: hæc, quæ proposuisti, et sunt forti viro ac principe digna, et ad meum ingenium accommodata; id autem animo teneas, Hakon, si tuis cohortatiouibus motus classem per mare occidentale ducam, ue tibi insperanti accidat, si, nullius

hominis habita ratione, regna ab occidentali parte maris sita cupidius affectem. Qua sententia audita, Hakon, quo hæc verba spectarent, intelligere sibi visus, responsum animo minus læto excepit, regemque ad ullam suscipiendam expeditionem hortari destitit, parvo jam stimulo indigentem: nam post hoc colloquium rex, missis per totum regnum nuntiis, copias militum naviumque in sequentem æstatem imperat, vulgoque palam fecit, se has copias mare occidentale transducturum, quid porro incepturus foret, dissimulans. Hinc factum, ut totius regni incolæ se ad hanc expeditionem cum rege suscipiendam adornarent.

Cap. 15. Rege Magno imperante, vir, nomine Gislius, filius Illugii, filii Thorvaldi, filii Tindi (qui Tindus frater erat Illugii Nigri), ex Islandia in Norvegiam venit, quo tempore hanc peregrinationem susciperet, annos natus decem et septem. Hic modeste se gessit, plurimumque pauca loquebatur; hiemale hospitium apud virum auctoritate insignem, Hakonem dictum Forbordensem, conduxit; sequentisque hiemis tempore paucis rebus se immiscuit, neque unquam hilari erat animo. Aliquando Hakon Gislio: exploranti mihi, inquit, ingenium tuum vultus tuus graves curas usqueqnaque prodere videtur, unde colligo, te aut futuram aliquam rem magni momenti præcipere, aut res ingentes animo agitare. Quare age, aperi mihi, quid animo agites; quod si gravioris momenti est, is sum, qui celare possim: sin mihi indicare non velis, atque tamen hinc ad ingentia aliqua facinora patranda exibis, haud dubium est, quin ægre laturus sim. Cui Gislius: rem acu tetigisti, ego tibi rem, ut est, narrabo. Est vir, nomine Gjavaldus, qui nunc in numerum aulicorum regis receptus dicitur;

hic unus ex interfectoribus patris mei fuit, eique in Islandia, me ipso vidente, unacum Thormodo Kollii filio, affini suo, letale vulnus inflixit. Ideo igitur hanc in terram adveni, quod statutum cum animo habeam, aut patrem ulcisci, aut mortem hac in terra oppetere. Rem agitas aleæ plenam, Hakon inquit; Gjavaldum enim rex Magnus intimum habet, quare ab extero homine haud facile opprimi poterit; interim ego tuis consiliis moram haud injiciam. Rex Magnus hac hieme Nidarosi se continebat, quocum Gjavaldus magno habitus honore versabatur. Gislius in oppidum concessit, idque consilii, suggerente domino suo Hakone, cepit, ut, liquefacta cera faciei offusa, indurataque, speciem valetudinarii simularet. Is Gjavaldo insidiabatur, neque facultatem ejus opprimendi commodam inveniebat.

Cap. 16. Die quodam Saturni Gislius, primo mane, ad plateam aliquam constitutus, ingentem strepitum audivit. Videt regem Magnum, magna comitatum aulicorum caterva, adventare, et in his Gjavaldum conspicatur. Eodem tempore femina quædam, nempe Helga Thormodi filia, uxor Gjavaldi, infantem sinu gestans, ædibus egressa, maritum advocavit; quam dum conventum iret, rex ceterique satellites eum anteverterunt. Post Gjavaldus, uno comitatus, per plateam processit. Cui obviam progressus Gislius, ictum ei intentavit, quo ictu percusso jugulo, brachium humero abruptum, non vero omnino præcisum est. Mox Gjavaldo, ad eum converso, alterum jugulum percussit, similique ac antea eum vulnere affecit; quo facto Gjavaldus collapsus est. Gislius ad pontes decucurrit, ad quos scapha stabat, lignis onusta, quæ Islando cuidam erat, nomine Thorsteini, parva corporis statura; in scapham ad Thorsteinem se proripit, lignis in mare deturba-

tis, atque Bakkium remigando contendit. Ut in medium flumen pervenerant, surrexit Gislius, hominesque in pontibus stantes inclamans: vulnera, inquit, quæ Gjavaldus, aulicus Magni regis, accepit, si vulnera erunt, cædem, si cædes erit, me auctore effecta profiteor; hodie mane nomen mihi fuit Vigfusi (cædis avido), hodie vesperi Ofeigo (incolumi) nomen fore spero. Dein supra Bakkium adpellunt, ubi Gislius in terram excurrit. Oppidani, signo tuba dato excitati, hominem terra marique quæsitum ivere. Tandem in loco quodam virgultis obsito repertus et in oppidum retractus est. Aulici Thorsteini imputarunt, quod Gislium flumen transvexisset, eique hoc crimini dederunt, et morte dignum vocitarunt. His Gislius „ne ei hoc crimini detis, cujus auctor minime est" inquiens, Thorsteinem prope incedentem, tantilla statura, ut vix ad alam ejus pertineret, correptum altera manu in sublime jecit, dicens: advertite, quæso, inquit, quid misellus hicce me a conscendenda scapha prohibuisset, si eum vi aggredi voluissem, quem pueri instar circumagam? hunc igitur incolumem dimittite; est enim innocens. Itaque fecerunt, Gislium, ut bonum ac fortem virum deceret, locutum affirmantes. Gislius compedibus, quas rex Haraldus Sigurdi filius faciendas curaverat, vinctus est; ex quibus nemo elapsus fuerat. Sedebat in domo aliqua subterranea, quam femina quædam custodiebat. Erat id temporis magna in oppido hominum celebritas: aderant ibidem tres naves mercatoriæ, ab Islandia advectæ, quarum uni præerat Teitus, filius Gizuris episcopi; aderat quoque sacerdos, postea episcopus, Jon Ögmundi filius; ex Islandis haud pauciores trecentis in oppido aderant. Rex Magnus gravi ira æstuabat; hic in conventu sedebat unacum

episcopo oppidano, præsente quoque Jone sacerdote, episcopi amico. Rex hominem interfici jussit. Cum vero eodem temporis puncto campana, qua hora tertia pomeridiana festum indici solebat, sonaret, rex: an hora diei tertia est? agite, observet aliquis solis momentum! Factum: sol plagam africi nuper ingressus erat. Tum episcopus: domine, inquit, æquum est, ut homo iste, quamvis graviter deliquerit, festo durante vita fruatur. Cui rex: hoc fraude vestra factum est, qui consilia adversus me struitis. Haud ita est, domine, inquit episcopus, tu vero operam des, ut rem, quo pacto optime decuerit, expedias. His actis Islandi convenerunt, in quibus multi Gislio cognati et amici. Qui cum inter se de hac re, qua ratione expedienda esset, colloquerentur, rem in grave discrimen adductam esse arbitrati, in diversas sententias discesserunt.

Cap. 17. Jam illuxit dies dominica; tum missus est, qui regi nuntiaret, velle Gjavaldum cum eo colloqui. Quem cum adiisset rex, Gjavaldus: nunc, cum in incerto sit futuri temporis mora, quid de bonis meis, domine, fieri velim, constituam; peto autem abs te, ut Gislio vitæ gratiam facere velis, nam patrem fortiter ultus est. Hoc me facturum ne speres, rex inquit. Gjavaldus: at enim nosti, o rex, me diu tibi comitem adhæsisse, interdumque vitam meam pro tua salute objecisse, omniaque negotia, sive bona sive mala, quæ mihi mandare volueris, promto animo suscepisse: fieri autem potest, ut hic ultimus noster congressus sit; et cum sacerdotibus collocutus, vitæ meæ rationem aperui et ab iis absolutionem accepi, qui profitentur, spem esse, si quod in me peccatum fuerit, nunc condonem,

me salutis (æternæ) consortem fore. Quare spero, fore, domine, ut mihi aditum regni cœlestis hujus hominis supplicio non præcludas. Rex, virtute ejus magnopere laudata, discessit; Gjavaldus vero paulo post mortuus est.

Cap. 18. Secunda hebdomadis die, primo mane, Islandis convenientibus Teitus infit: res nostræ parum quidem prosperum successum habituræ videntur, si conterraneus noster, vir egregius, jurata nobis amicitia junctus, interficietur; cuique vero nostrum perspicuum est, quantum periculi habeat hujus causæ susceptio; quam qui suscipiet, is in discrimen capitis fortunarumque adducetur. Quam ob rem hoc consilii propono, ut rem arbitrio regis permittamus; sin vero hominis vitam servandi nulla fiet copia, ut aut universi morti nos objiciamus, aut causam obtineamus; cujus patronum qui se obtulerit, huic ego studium operamque navabo. Cuncti eum ducem elegerunt, ejusque consiliis sese usuros ostenderunt. Quibus ille: persvasum habeatis, inquit, vobis omnibus necesse esse, ut fidem vestram jurejurando interposito obstringatis, vos neque vitæ, neque fortunis parsuros, quo magis ea, quæ huic causæ necessaria judicavero, confiant. Ita fecerunt. Dein in balneum descenderunt, quo ipso momento cum signum tuba daretur, Teitus extemplo e balineo exsiliit, indusio braccisque lineis indutus, vitta aureis lamellis ornata frontem redimitus, superindutus pallium coccineum, altera parte rubrum, altera fuscum, pellibus cinerei coloris subsutum, extrorsum conversis. Congregaverant eo sese omnes Islandi; sed eodem tempore non fit, ut signum tuba canat, et homines conventum frequenteut. Heic Teitus: extemplo ad ædiculam, in qua Gislius inclusus est, accedamus, tempusque regiorum

antecapiamus. His celeri gradu per plateam oppidi incedentibus, ingens strepitus coortus est. Femina, quæ fenestram pellucida membrana obductam domo adaptaverat, foras se proripuit, Gisliumque allocuta: infelicissime accidit, quod huc detrusus es; nunc enim regii adpropinquant. Cui Gislius: ne hæc res male nos habeat, alumna! inquit; hosque versus composuit:

Etiam nunc hilarem esse me oportet,
quamvis viri præliatores me, poëtam,
morte adficere cogitent, ferreaque
compes crura mihi urere incipiat.
Femina! vel fortissimus vir mortem
aliquando oppetit. Mihi autem acer
animus natura datus est. Hoc tempore
virtutis meminisse juvat canentem[1].

Mox forem exciderunt, quæ excisa magnum fragorem edidit. Tum solummodo Gislius aliquantum commoveri, neque tamen magnopere, visus est. Quem Teitus concisis compedibus liberatum inter suos recepit; quo facto ad conventum ivere. Eodem tempore Sonius, præfectus speculatorum, hominem comprehensurus, ab altera parte ad locum conventus accessit. Hic locutus est: haud lente negotium nunc peregistis, Islandi! quos

---

[1]) Ordo: *Ek skal enn kátr, þótt a) viðir unda teins b) ætli skáldi andrán: járn taka at orna oss at beinum. Svarri c)! hverr prúðr d) seggr deyr eitt sinn; en e) snart hjarta er skapat dreing f): ek skal enn minnast á þrek í óði.*

a) þó at, id., *H.* *b) unda teinn*, ramus vulnerum, gladius, cujus *viðr*, vir; intelliguntur regii aulici. *c) svari, H.* *d) brúðr*, femina! *H.* *e)* Sic *H; hinn, A;* tum *svarri* a *svarr* utut rarius de personis, strenuus, jungendaque: *hverr hinn svarri prúðr seggr*, quisque strenuus (ac) fortis vir; more poëtarum, quo adjectiva definita et indefinita connectuntur. *f)* Sic conjeci; *dreinskapat*, una voce, *A.*

jam existimo sententiam de homine vobismet ipsis, non regi, reservare. Præclare rem agi putabo, si quod hoc mane patrarunt facinoris perpetua his memoria constabit[1]; et regis Magni ira ob leviores injurias excitata est, quam has, cum unus ex aulicis ejus ab sebosis[2] hostibus peremtus est.

Cap. 19. Constitutis comitiis, Sigurdus Ullstrengus surrexit, et hunc in modum verba fecit: plerisque notum esse arbitror, Gjavaldum, contubernalem nostrum, interfectum esse. Nam vir quidam ex Islandia advenit, qui, factam sibi ab eo injuriam ratus, eam iniit rationem, ut, nulla postulata satisfactione, quod facere alii homines solent, eum confestim letali vulnere adficeret. Quæ si ratio valitura est, ut aulicorum cohors ita concidatur, ego ceterique regii sic existimamus, facile factu visum iri, aulicos sensim carpere; et fieri potest, ut ita facere pergant, donec ipsum caput attingent, neque regi magis quam aliis hominibus parcant. Quæ facinora ut sunt inaudita, ita gravissimas pœnas merentur; neque nimia satisfactione cædes unius ex nostris expiari videbitur, si vel decem Islandi homines interfecti fuerint, ut nimia eorum audacia, qua nexos regia potestate eripiunt, puniatur. Quibus dictis cum conticuisset, Teitus episcopi filius surrexit et sic locutus est: an mihi rex dicendi veniam concedere vult? Rex virum aliquem prope adstantem interrogavit: quis hic vir, inquit. Ille: domine, inquit, Teitus, episcopi filius. Rex

[1]) Cod. *H.* h. l. habet: *at þeir ræki* (rectius *reki*) *minni til*; *A: at þer rækit* (rect. *þér reki*) *minni til*; nunc impersonaliter dicitur *þá rekr minni til*, ut *Sturl.* lib. 9. c. 23. [2]) Ita Islandi ab irato Sonio appellantur h. l., alias ab Norvegis per contemtum *mörlandar* dicti; *mannfjandunum*, hominibus perditis, *H.* Unus Codex *morðfjondunum*, hominibus cædis avidis.

Teito: nullo pacto induci possum, ut tibi dicendi veniam concedam; omnia enim quæ feceris verba, rem totam perturbabunt, et dignus es, cui lingva exsecetur. Dein sacerdos Jon Ögmundi filius surgens: an mihi rex, inquit, concedere vult, ut pauca dicam? Rex: quis nunc loquitur? Idem vir: Islandus ille sacerdos, Jon. Rex: concedo tibi, ut verba facias. Tum sacerdos Jon orationem ita orsus est: id divino beneficio acceptum referendum, quod Norvegia et Islandia ad christianismum perductæ sunt; antea enim homines dæmonesque promiscue versati sunt; nunc autem diabolus non tam audacter in conspectum hominum procedit, sed per certos homines negotia sua procurat, cujus exemplum nuper audivimus, cum diabolus per hunc, qui modo verba fecit, loqueretur. Nam, cum unus homo primo interfectus esset, hic, decem ut interficerentur, auctor erat. Equidem existimo, tales homines mala cupiditate seductos pravisque exhortationibus usos, in eo operæ plurimum studiique consumere, ut justitiam, clementiam, ceterasque principum virtutes exstirpent, hos ad crudelitatem et flagitia cohortentur et stimulent, atque ita diabolum cædibus christianorum delectent. At vero nos, domine rex, tibi subjecti sumus non minus, quam hi, qui hac in terra nati sunt. Proinde vobis, qui hoc in mundo principes et judices populi constituti estis, annitendum est, ut illum judicem imitemini, qui in extremo judicio veniet, totum mundum judicaturus. Quare permagni tua, rex, interesse autumo, ut rectam sententiam dicas, non pravam; nam ut ad quæque comitia, ad quemque conventum ipse omnipotens Deus cum sanctis suis adest, bonos homines, rectaque judicia visurus: sic et diabolus adest cum suis dæmonibus, malos homines pravaque visurus ju-

dicia; neque dubium est, venturum suo tempore judicem, omnia recte judicaturum. Jam adverte animum, o rex, uter ignis putandus sit vehementior ac diuturnior, isne qui trabi querneæ fornaci circumjectæ injicitur, an qui aridis sarmentis immittitur. Quod si, rex, prava judicia facis, in ignem trabi querneæ immissum conjicieris; sin vero recta, pro captu tuo, spes est fore, ut igni purgatorio, qui aridis sarmentis alitur, lustreris. Hæc locutus Jon finem dicendi fecit. Tum rex; aspere, sacerdos, locutus es, inquit; neque tamen animadverti potuit, eum gravi ira commotum esse. Post hæc Gislius surgens, infit: an mihi, rex, concedere vis, ut pauca loquar. Rex interrogavit, quis jam verba faceret. Qua de re edoctus: prohibere nolo, inquit. Gislius: itaque inde rem explicare ordior, cum pater meus interfectus est; quam cædem Gjavaldus ac Thormodus præsentes administrarunt; tunc ego sex annorum eram, frater Thorvaldus novem, atque utrique præsentes adfuimus, cum pater meus occidebatur. Tum Gjavaldus hortatus est, ut ego ac frater ambo interficeremur; neque mihi tum, domine, major, quam prædicem, inerat fortitudo, quam ut parum abesset, quin vox flebilis faucibus meis exprimeretur. Rex: at enimvero flebilem istam vocem fortiter abegisti. Gislius: ut verum confitear, domine, hoc vere sæpius Gjavaldo sum insidiatus; cujus opprimendi commodissima occasio cum mihi bis contigisset, uno tempore, ratione habita ædis sacræ, hoc facinus patrare intermisi, altero pulsata campana, hora tertia festum indicens, me retraxit; qua re inducor ut credam, campanam hora tertia pulsatam nunc effecisse, ut vita donatus sim; ego vero carmen de te composui, cujus recitandi copiam, facto silentio, mihi fieri velim. Rex: age

sis, recita. Ille carmen audacter recitavit, ab arte poëtica parum laudabile. Deinde Gislius Teito: vos eximiam in me tuendo virtutem ostendistis, quare cum vos diutius nolim mea causa in periculo versari, me ipse in potestatem regis Magni dedam, caputque meum ipsi tradam. Fac, ut vis, Teitus inquit. Itaque Gislius, depositis armis, asseres locum conventus ambientes transgressus, caput in gremium regis deposuit, dicens: tu capite meo quicquid libuerit facias, gratum mihi facturus, si mihi id condonare, meque muneri, cui aptus videar, præficere velis. Rex: capitis tui ipse potestatem habeas; i intro ad mensam, sedemque Gjavaldi occupa, ibidem cibo ac potione fruere, idemque munus, quo antea functus est, obi; facio autem hæc, precibus Gjavaldi amici mei potissimum adductus. Jam octo Islandi prædes se sistunto; cædem Gjavaldi sedecim auri semilibris æstimo, quarum pars dimidia ob culpam ante admissam remittetur, vestrum vero singuli, qui prædes estis, singulas semilibras pendunto. Illi regi gratias egerunt, et reconciliationem hoc pacto fecerunt. Tunc rex Joni sacerdoti: tuam intercessionem permagni facio, quippe qui Dei nomine verba feceris; te deprecatore uti pervelim, nam preces tuas multum valere apud Deum existimo, persvasum habens, tuam voluntatem cum divina congruere. Ille precibus regis annuit. Die quodam, cum sacerdos Jon per viam oppidi incederet, aliquis eum allocutus: intra cubiculum, inquit, Sigurdus Ullstrengus te conventum vult. Sic fecit. Cui Sigurdus: vereor, sacerdos, ne verba tua me acrius tetigerint, nam æger sum, quare sacris precibus recitatis mihi opem feras, quæso. Ille sic fecit, et eum crucis signo initiavit. Quo facto Sigurdus: verba tua, tam aspera, quam

lenia, multum valent, nunc enim bene mihi est. Sigurdus Joni sacerdoti eximia munera dedit; quo facto amice digressi sunt. Hic Sigurdus monasterium in Nidarholmo primus instituit, eique amplas possessiones attribuit. Post hæc sacerdos Jon ac Teitus, episcopi filius, in Islandiam revecti sunt; Teitus vir magni nominis exstitit, brevique vixit; Jon vero sacerdos episcopus Holensis creatus est, atque nunc omnium consensu sanctus habetur.

Cap. 20[1]. Jam eo revertendum, unde antea digressa oratio est. Rex Magnus, expeditionem e regno suscepturus, iter comparavit; comitem adsciscens filium, nomine Sigurdum, nec non Gislium Illugii, multosque alios viros præclaros. Magna collecta multitudine militum splendide armatorum, bonaque copia navium comparata, classem per mare occidentale duxit, primoque ad Orcades appulit; [hic dynastas, Paulum et Erlendum, captos in Norvegiam remisit, et eorum loco filium Sigurdum, traditis consiliariis, præfectum insulis reliquit[2]. Thorkel, poëta Hamarensis, memorat, regem Magnum mare occidentale trajecisse:

Animosus luporum saturator (rex)
iter occidentem versus properavit,
validis proris undas perrumpentibus, pacis otia turbaturus[3].

[Rex Magnus, abductis secum ex Orcadibus

¹) Hic iterum incipiunt *M, Hk*. ²) omitt. *H, M, E*; exstant in *Hk*.

³) Ordo: *Hugprúðr varga nistir lèt snúðat föru a) vestr: hlýrin b) stinnu brutu hrönn; hilmir vann bannat frið c)*. Omitt. hanc semistropham *Hk*.

a) Sic *M.*; *foru, A, E.*; *faur* (i. e. *fōr*), *H.* usitate. *b*) *hlýr en, M*, i. e. *en stinnu hlýr*, eod. sensu; *hlýr enn* (non bene duplicato *n*), id., *K.*; *stýri en*, gubernaculis, *H*, quæ lectio

Erlendi dynastæ filiis, Magno et Erlingo[1], [nec non Hakone Pauli filio[2], multisque aliis hominibus[3], universas copias in Hebudes transduxit. Quo cum pervenisset, statim populationem facere cœpit, tractus habitatos incendere, homines occidere, prædas, quacunque irent, agere. Incolæ in diversa diffugere, alii in continentem Scotiæ, alii in sinuum recessus, alii meridiem versus in Satirium[4] aut Hiberniam; quosdam in fidem acceptos rex Magnus pace donavit. Primo Ljodusa[5] cepit, idque territorium igne vastavit; deinde Ivistam[6] aggressus incendit, et res omnes prædatus est. Sic Björn Kreppendus:

Furens flamma, e Ljodusis ejecta,
ipsos pæne cœlos avide lambebat,
igni ex domibus erumpente; homines
multis locis fugam cupide capessebant.
Liberalis rex Ivistam obiens
igni vastavit; princeps gladium
radiantem rubefecit; rustici
vitæ bonorumque jacturam fecere[7].

---

consonantiam lit. metricarum perimit. *c*) *lið*, *H*, haud dubie prave.

¹) Hallendo *s.* Hellendo, *H.* ²) a poster. signo omitt. *M.* ³) a priore signo om. *Hk.* ⁴) peninsula Scotiæ australis, nunc *Cantire*, borealem Hiberniæ partem spectans. ⁵) Insula inter Hebudes maxime borealis, nunc *Lewis*, in Chronico Manniæ *Lodhus* dicta. ⁶) alterutra insularum *Vist* et *Southvist*, prope a Ljodusio ad austrum sitarum.

⁷) Ordo: *Óð a*) *limsorg b*) *of Ljóðhús lèk fíkjum nær c*) *himni: eldr gaus ör húsum*; *ferð var d*) *vítt fús á flótta e*). *Örr skjöldúngr fór Ivist f*) *eldi: ræsir vann róggeisla g*) *rauðan; búendr mistu lífs ok auðar.*

a) Hanc vocem exhibet *H*, cujus librarius non observavit, hunc versum esse *καταληκτικον*; voculam recte omitt. *A*, *Hk.* *b*) Verbo tenus: dolor (i. e. noxa) ramorum, i. e. ignis. *c*) *nærri* conjecerunt edd. *Hk.*, scil. ut supplerent versum catalecticum. *d*) *varð*, *H*,; *bar*, *Hk.*, tum sequ. *fús* cum *Hk.* *fúss* scriben-

Deinde infesta classe Skidium[1] aggressus est, indeque insulas Tyrvistam[2] et Mylam[3] subegit, teste Björne:

Avis bellicæ famem qui sedavit,
in Skidio populationem fecit;
intra Tyrvistam lupus multo
vulnere dentem lætus rubefecit.
Grænlandiæ dominus virginibus
insularum australium lacrimas movit:
populus Mylicus cursu exanimatus est;
hostis Scotorum magna fortuna usus est[4].

---

dum, et ad *eldr* referendum. *e*) Hanc semistropham om. *M*, secundum quem ordo rerum paululum immutatus est, dum regem facit primo Ljodusa, deinde Skidium, tum Tyrvistam et Ivistam expugnare, mentionem nondum faciens insulæ Mylæ. *f*) Sic *H*, *Á*; *í vist*, *A*, *Hk.* *g*) Verbo tenus: radium pugnæ, i. e. splendidum ensem.

[1]) magna insula inter Hebudes, nunc *Skie* s. *Skye*. [2]) vide præced. pag. not. 6; al. insulam *Tyrrif* (*Tireiy*) inter *Mull* et Hebrides intelligunt. [3]) nunc ins. *Mull*, Scotiæ litori adjacens.

[4]) Ordo: *Húngr-þverrir hríðar-gagls a*) *lèt herjat á Skíði b*); *teitr vargr c*) *rauð tönn í margri ben innan Tyrvist. Grænlands drottinn d*) *grætti e*) *meyjar suðr í eyjum f*): *mylsk g*) *þjóð rann til mæði h*); *sökkvir i*) *Skota gekk hátt k*).

a) i. e. rex bellicosus. *b*) *M* his duobus versibus subjungit duos postremos versus strophæ, hoc caput claudentis, reliqua vero hujus strophæ h. l. omittit, quo naturalis locorum ordo perturbari videtur. *c*) *vargs*, *Hk.*, qua lect. *teitr* ad *húngr-þverrir* referendum, et *τοις rauð vargs tönn* persona regis subjicienda. *d*) i. e. rex Norvegicus; *Grænland* h. l. haud dubie de provincia Norvegiæ intelligendum. *e*) *grøtti*, *M*, infra. *f*) *eyjar*, *M*, *Á*, i. e. *mylsk þjóð rann til mæði suðr í eyjar*, pop. Myl., in insulas australes fugiens, cursu exanimatus est. *g*) *mulsc*, id., *M*. *h*) *mæþi*, id., *M*. *i*) Sic *Á*; *savkkvir* (id.) vel *skukkvir* (quod lex metrica respuit), *A*; *soknir*, *H*, deprav. ex *sökkvir*; *stökkvir*, depulsor, *M*. *k*) i. e. in præliis, vel virtute alios superavit. Ita hæc phrasis explicanda; *Hk.* T. 3.

Rex Magnus, classe in insulam Sanctam[1] appulsa, cum copiis egressus, omnibus insulanis gratiam vitæ pacisque fecit, omniumque hominum fortunis pepercit. Fertur rex Magnus ædem illam parvam, divo Columbo dicatam, aperuisse, neque intrasse, sed occlusa extemplo janua vetuisse, ne quis ea ingredi auderet. Quæ ædes ab eo inde tempore nunquam aperta est. Inde rex Magnus classe ad Ilam[2] appulsa, ferro et igni grassatus est; [qua terra in potestatem redacta, meridiem versus profectus ad Satirium accessit, terras utrinque jacentes, continentem Scotiæ et insulam Hiberniam, depopulatus est, arma Manniam (Monabiam) usque circumtulit, ibique, ut aliis locis, populationem fecit[3]. Sic Björn:

Rex strenuus multis planæ
Sandeyæ locis clypeos intulit:
Ila fumo circumdata est, cum
regii milites incendia fecerunt.
Satiriani territorii incolæ,
gladiis confossi, succubuere:
deinque victor animosus effecit,
ut incolæ Manniæ caderent[4].

---

p. 209 vertit: ivit altum, T. 6. 180: a navibus longe egressus est.

[1]) nunc insula *I-Colm-kill*, ad occidentem insulæ *Mull.*

[2]) *Mulsc, M.* [3]) quæ a signo [sunt, om. *M.*

[4]) Ordo: *Snarr a) konúngr bar b) vitt randir á c) slètta Sandey d): rauk um Il*), þá er menn alvalds jóku á brennur: [seggja-kind [Satíris sveitar hnè e) und eggjar: síðan rèð snjallr sigrgæðir falli Manverja f).*

a) *snjallr*, fortis, *Hk.* *b*) *berr*, infert, *M.* *c*) *of*, per, *Hk.* *d*) forte insula Sandera, ultra Cantiriæ promontorium, *Hk.* T. 3. p. 210. not. m. Si adject. *slèttr* in naturam insulæ, supra dictæ Sanctæ (*I-Colm-kill*) cadere possit, per Sandeyam hanc intelligi putem, ordinem locorum in præced. narratione

Cap. 21. Filio Gudrödi, Hebudum regis, nomen erat Lagmanno, qui ad tuendos regni fines Nordreyis (insulis borealibus)[1] præfectus erat. Qui, cum rex Magnus in insulas delatus populationem facere cœpisset, ultro citroque per insulas diffugiens, tandem, cum fugam in Hiberniam pararet, a militibus Magni regis unacum navis præsidio captus est. Quem rex in vinculis custodiendum curavit; id quod Björn testatur:

Quævis latebra, quo se recepit
Lagmannus, Gudrödi filius,
minus tuta erat: Thrandorum enim
rex eum iis terris prohibuit.
Eximius, juvenis Agdensium rex
liberalem illum auro principem
extra Nesjas vivum cepit,
ubi laminæ gladiorum sonuere[2].

Etiam Gislius Illugii memorat, regem Magnum insulas igni ferroque vastavisse, Lagmannum[3] vivum cepisse et in custodia tenuisse. Sic ille:

---

memoratorum secutus; neque obstat phrasis *at bera randir á land*, nam et hæc de pacato itinere exercitus usurpatur aliis locis, v. c. *Fms* 5, 119, 2. *) nunc insula *Islay*, ad occidentem Cantiriæ. *e*) *Sanntíri laut sunnar*, a meridie Cantiriæ occubuit, *Hk*. *f*) a signo priore [*M* substituit semistropham, supra allatam, *grøtti Grænlands drottinn*, cet.

[1]) Sudreyis (ins. australibus), *H*.

[2]) Ordo: *Hvert hvarf, er arfi Guðrauðar átti, var hætt; lofðúngr þrænda vann bannat Lögmanni lönd þar a). Nýtr b) úngr gramr Egða lèt fenginn naðrs bingtöpuð utar Nesjum c), þar er túngr vèttrima súngu.*

a) Hanc constructionem recte præfert *Hk*. T. 3. p. 211; T. 6. p. 180: *hvert bannat hvarf, er a. G. átti, var Lögm. hætt: lofð. þrænda vann lönd*, omissa partic. *þar*. *b*) Sic *M, Hk.*; *nýtt, H, nýt, A*, utrique mendose. *c*) i. e. extra promontoria; forte *Nesjar*, f. pl., v. *nes*, n. pl., h. l. est latus Scotiæ occidentalis, promontoriis et maris recessibus plenum.

[3]) ad Skorpam, add. *E*. Skorpa, haud dubie nomen scopuli

Cepit ante Skidium
Scotis fugientibus,
terror regulorum
Ivistæ principem.
Princeps, in prælio
fortiter procedens,
regem Lagmannum
navi sua custodivit[1].

Cap. 22. Post hæc rex Magnus classem in Britanniam (Valliam) duxit, eamque in freto Öngnlseyæ (Monæ) constituit[2]. Hic magna hostium multitudo ex Britannia[3] ei occurrit, quibus copiis præfuerunt duo dynastæ, Hugius *elegans* et Hugius *crassus*[4], natione Galli. Sic Gislius:

Monarcha quatuor
terras gentilitias
insulanorum
subegerat:
cum rex bellicosus,
qui aciem instruxit
cuneatam, Gallis

aut insulæ, ad occidentale latus Skotiæ prope Skidium; simile nomen *Skörpusker* in Skotia posuere viri doct. et celeb. *Suhmius* et *Arnas Magnæus*, v. *Krákumál*, ed. *C. C. Rafn*, Havn. 1826, p. 106, cfr. historiam Ingii Haraldi filii cap. 20. infra.

[1]) Ordo: *Jöfra ægir a) tók Ivistar gram b) fyrir c) Skíði, en Skotar flýðu. Fylkir, sá er d) framm e) tæði, hafði Lögmann koníng í liði sinn f).*

a) *øgi*, *M*. *b*) Sic *H*; *gra*, *A*, virgula supra *a* omissa; *gramr*, *M*, sec. quem ordo est: *Ivistar gramr tók jöfra øgi á Skíði*, rex Ivistæ (Lagmannus) accepit potentissimum principem in Skidio (i. e. ibi captus potentiam ejus agnovit). *c*) *á*, in, *M*, *E*. *d*) om. *H*. e) *frami* (i. e. *frammi*), *M*, *E*, *H*, sensu non diverso. *f*) omitt. hanc stropham *Hk*.

[2]) indeque in utramque terram, Britanniam et Öngulseyam, arma circumfert, add. *M*. [3]) Sic *H*, it. *A* ex correctione, pro Anglia. [4]) hos fratres fuisse, memorat *H*.

dynastis occurrit[1].

Dynastæ extemplo prælium commiserunt[2], acerrimumque certamen ortum est. Idem Gislius testatur, qui gloriatur, quod huic prælio cum rege Magno interfuisset:

Haraldi cognatum
secutus, prælium
commisi ad Monæ
interiora, ubi
rex ac dynastæ
præpotentes
summo studio
contenderunt[3].

Norvegi primo acerrime tela ingerebant. Hugius *elegans* totus erat lorica tectus, ut nulla corporis pars, præter oculos solos, nuda esset. Rex Magnus arcu manuario tela emittebat, alterque vir Halogus, qui prope eum adstitit. Hi utrique tela in Hugium *elegantem* conjecerunt; altera sagitta in partem galeæ, quæ nasum texit, illapsa, hanc in diversam partem excussit. Sic Gislius:

Milites Magni
multos clypeos

---

[1]) Ordo: *Fólkvörðr vann þrúngit und sik fjórum ættlöndum eyja-dróttar a) dðr en veðrsmiðr Viðrs b), sá er fylkti hamalt, hitti valska jarla c).*

a) *eyjar drottinn*, insulæ dominus, *H*; *eyja drottinn*, insularum (Hebudum) dominus, *E, M*, refer. ad *fólkvörðr*. *b*) Odiniæ tempestatis (pugnæ) confector est vir bellicosus, fortis. *c*) hanc stropham omitt. *Hk.*

[2]) naves adplicatis lateribus conjunxerunt, tubarum sonitu militumque clamore omnia implentibus, add. *H.*

[3]) Ordo: *Háðum hildi með frænda Haralds við innanverða a) Aungulsey, þar er konúngr ok ríkis vendir jarlar brutu kapp sitt af reiði b).*

a) Sic *E, H, M*; *sunnan*, ab australi parte, *A.* *b*) omitt. hanc stropham *Hk.*

splendido mucrone
dissecuerunt;
tegimentum ducis,
apprime adaptatum,
necesse erat dissiliret
telo regis percussum[1].

Alterum telum, oculo dynastæ inpactum, capite perforato, occiput transvolavit; qui ictus regi a plurimis imputatur, teste Björne:

Rex bellicosus in Monæ freto,
ubi tela celeriter ferebantur,
Hugio eleganti necem sagitta
celeriter volante attulit.
Cimbrorum deletor omnes
insulas gladio pertransivit;
magna terræ pars militibus fidi
principis hoc tempore subjacet[2].

Etiam Thorkel, poëta Hamarensis, aperte testatur, regem Magnum dynastæ necem attulisse, quamvis Gislius in carmine supra laudato aliud innuere videatur. Sic enim Thorkel:

Tela in loricas ingruerunt,
rex magna vi jaculatus est,
princeps Agdensium arcum torsit,

---

1) Ordo: *Magnúss líðar höfðu skorit a) margan baugváng björtum oddi. Kapps vel skipuð hlíf hertoga varð at springa fyrir darri konúngs b).*

a) skotit, transverberarunt, *H.* *b)* Sic et *M* sine ulla lectionis varietate; nescit hanc stropham *Hk.*

2) Ordo: *Laufa lundr réð lífspelli [Huga hins a) prúða í Aunguls-sundi, þar slög snuddu b): broddr fló snúðigt. Jóta fellir hefir farit öll eylönd brandi; grund liggr vítt und c) dróttum d) dyggs döglings um e) stundir.*

a) Hugans, M, haud dubie pro *Huga'ns* i. e. *Huga ins* *b)* Sic *M, Hk, A*; *snuðu, H.* *c) fyrir*, præjacet, objacet, *H.* *d) Hk.* T. 6. p. 181. conjecit *drottin*, sine necessitate. *e) of*, id., *Hk.*

galeæ conspersæ sunt sangvine.
Sagittæ in annulos loricarum
involarunt, homines ceciderunt,
rex Hördorum in acri terræ
oppugnatione necem dynastæ attulit[1].

Hoc prælio dynasta Hugius elegans cecidit, magnusque Britonum numerus; nam rex Magnus acerrime tela misit omnesque sui milites rem fortissime gesserunt; quod Gislius testatur:

Rex pugnæ peritus tela
utraque manu misit,
omnes regii milites
rem fortiter gesserunt.
Antequam Hugius
caderet, splendentes
sagittæ arcu, quem rex
contorsit, excussæ sunt[2].

Quo facto cum omnes Britones, qui quidem superstites essent, fugam capessivissent, rex Magnus ex hoc prælio eximiam victoriam reportavit, accepta tum in ditionem Öngulseya, quæ insula austrum versus longissime sita est, ex terris, quas superiores Norvegiæ reges subegerant, tertiamque Britanniæ (Valliæ) partem efficit.

---

[1]) Ordo: *Broddr dundi á brynjur a), bragningr skaut af magni, allvaldr b) Egða sveigði álm, blóð stökk á hjálma. Hagl streings a) fló á hringa, ferð hné, en gramr Hörða lèt verða banat jarli í harðri [hjarls sókn d).*

a) brynju, loricam, *M, Hk.* *b)* Sic *H, M*; *allvald, A.* *c)* grando nervi, i. e. sagitta. *d) hjarl-skavll*, conflictu terræ, i. e. prælio de occupanda terra commisso, *H*, ubi *sköll*, a *skella*, collidere, fem. gen. est.

[2]) Ordo: *Böðkennir skaut báðum a) höndum, allr herr hilmis vá prúlliga. Áðr Hugi fèlli, stukku hvítmýlingar af álmi, þeims jöfurr sveigði b).*

a) bøþum, M, id. (*ø=á*); *báðom, E.* *b)* ignorat hanc stropham *Hk.*

Cap. 23. Hac pugna pugnata rex Magnus copias reduxit, atque primo in Skotiam contendit. Tunc internuntiis inter eum et Melkolmum[1], Skotiæ regem, intercedentibus, pacem inter se fecerunt, his conditionibus, ut rex Magnus omnes possideret insulas, ad occidentem Skotiæ sitas, quas inter ac continentem navis gubernaculo instructa transire posset. Rex Magnus ab austro advectus, cum ad Satirium appulisset, celoci gubernaculum adaptari, et hanc per isthmum Satirii transduci jussit; ipse in celsa puppi considens, clavum gubernaculi tenuit, itaque omnes terras, a sinistro navigii latere sitas, suæ ditionis fecit. Satirium ampla regio est, optima quaque insula inter Hebudes præstantior, excepta Mannia. Eo loco isthmus est, peninsulam ab Skotia dirimens, tam angusti spatii, ut ea sæpe naves transducantur. Inde rex Magnus in Hebudes reversus est, [suis in sinus Skoticos missis[2], qui omnium sinuum litora introrsum extrorsumque remigando præterveherentur, quo pacto omnes insulas, [ab occasu Skotiæ adjacentes[3], tam cultas quam incultas, suæ ditioni adseruit. [Eo tempore multi ex Norvegia præfecti apud regem Magnum versabantur, qui instante æstate eum ex Norvegia secuti fuerant, Vidkunnus Jonis, Sigurdus Ranii, Serkus Sogneusis, Dagus Eilivi, Skoptius ex Gizka hujusque filii[4], Ögmundus, Finnus ac Thordus[5]: Eyvindus Olbogius (cubitus), aulæ regiæ magister, Kalius[6] Agdensis, filius Sæbjörnis, filii Thorleivi sapientis, ab Halfredo mutilati, et Kolus filius ejus. Kalius erat vir

[1]) Melkolfum, *H*, id. (*f* pro *m*); Mælkolfum, *Hk*, (*æ* pro *e*).
[2]) ab occasu Skotiæ sinuum, *H*. [3]) omitt. *H*. [4]) Sic *H*; filius, *A*. [5]) Sic *H*; omitt. *A*. [6]) Sic *H* et *A* infra, sed hoc loco *Karl*.

sapiens, et bonus poëta, regique amicissimus. Idem[1] in prælio Öngulseyensi multa vulnera, tamen citra vitæ periculum, acceperat.

Cap. 24. Rex Magnus insequenti æstate in Hebudes advectus palam fecit militibus, se eo loco hiematurum, veniamque domum redeundi his concessit, quibus maxime necesse esse judicaret. Quo cognito milites, temporis longinquitatem, quo domo abfuissent, conquesti, magna incensi sunt domum redeundi cupiditate. Tum rex consiliariis suis adhibitis, vulnera hominum inspexit, Kaliumque forte conveniens, de vulneribus ejus quæsivit; ille parum coire asseruit, seque nescire, quo res tandem exitura foret. Cujus consilium cum rex exquireret: nonne nunc evenit, inquit, domine, ut plures amici tui, quam quibus veniam dedisti, te aufugientes deseruerint? Qua de re cum dubitaret rex, Kalius hortatus est, ut militibus ad arma inspicienda convocatis, exercitum recenseret. Quod cum faceret rex, multosque abesse sensisset, Kalio significavit; qui hos versus fecit:

Qualem tibi gratiam referunt
potentes principes pro eximiis
donis? Rex, nos experire! Rates
fluctibus occiduis quassantur[2].

Rex excepit:

Meas ego divitias, quibus
homines valde hilares donavi,
male collocatas habeo. Feci, ut

---

[1]) *Kali*] sic *H*; *kolr, A.*

[2]) Ordo: *Hve launa þinir [þingrîkir höfðingjar a) þér b) knossir? reyndu oss, jöfurr! Rengr c) bifast í röstum d) vestr.*

a) *þingmæltir dýrlingar*, carissimi amici, in comitiis diserti, *M.* *b*) omitt. *H.* *c*) *rang*, *H*, prave, ut videtur pro *röng*, sing., costa navis. *d*) Sic *H, M; rostum* (*o* pro *ö*), *A.*

infirmæ tabulæ undas scanderent[1].
Post hæc rex Magnus cautionem adhibuit, ne qui ab se clam aufugerent[2]. Commemorat Gislius, hos eadem æstate in Norvegiam revectos, quibus domum redeundi veniam rex Magnus concessisset:

Viri domum redeundi
veniam consecuti sunt
a principe, jam bello
ad finem perducto.
Præfecti vela mari
aspersa viderunt
super conspicua navi
ad summos malos sublata[3].

Rex Magnus filio Sigurdo Bjadmyniam, filiam Myrjarkjaki[4] Thjalvii filii, regis Kunnaktiæ[5] in Hibernia, uxorem conciliavit, [Sigurdo tum novem annos nato, virgine quinquenni. Eadem hieme, qua rex Magnus in Hebudibus hiemavit, Kalius Sæbjörnis filius vulneribus mortuus est[6].

---

[1]) Ordo: *Hefig illa fólginn minn auð, þanne a) ek b) rèð veita margteitum mönnum. Ek læt klökkvan húf klifa kólgur.*
a) Sic *M*; *þann er*, id., *A*. *b*) omitt. *H*.

[2]) Finem cap. præced., a verbis „Eo tempore," et initium hujus cap. huc usque omitt. *M, Hk.*, exceptis strophis, quas *M* inferius inserit.

[3]) Ordo: *Seggir höfðu þegit heimför af a) höfuðsmanni; þar var lokit sókn. Landsmenn b) litu sjádrifin segl sett við húna c) yfir d) göfgu liði.*
a) at, id., *M*. *b*) exscriptum, quod habeo, exhibet h. l. *landmenn*, quod, ut vocem difficiliorem (idem enim significat ac *lendr maðr*), retinendum putavi, et in versione expressi. *c*) *húno*, id., *M*. *d*) *um*, id., *M*. Ignorat hanc stropham *Hk*.

[4]) Myrjarkaki, *H*; Myrjartaki, *Hk*. [5]) Kunactiæ, *H*; Kunnoktiæ, *Hk*. [6]) Quæ ab signo [sunt, omitt. *Hk*.; *M* vero sic habet: Rex Magnus Erlingum, filium Erlendi dynastæ, in Orcadibus reliquerat; cujus frater Magnus superiori æstate ab

Cap. 25. Primo vere rex, ex Hebudibus profectus, primum ad Orcadas appulit; ubi ex Norvegia id novi accepit, dynastas mortuos; ex quibus Erlendus dynasta Nidarosi mortuus et humatus fuerat, Paulus Bergis. Tum rex Magnus Gunnildam, Erlendi dynastæ filiam, Kolo Kalii filio in solatium exstincti patris, uxorem collocavit, prædiis in Orcadibus sitis, fundoque in Papeya[1] dotatam. In nuptiis Kolus regis Magni præfectus creatus est, ut pater ejus fuerat; deinde orientem versus in Norvegiam cum rege profectus est, et in Agdas cum uxore delatus in prædiis suis consedit. Rex Magnus Sigurdum filium [omnibus regnis, quæ[2] trans mare occidentale subegerat, præfecit, eique regis nomen dedit[3]; ipse vero hac æstate copias orientem versus in Norvegiam reduxit. In oceano sævitiam venti salique experti sunt. Qua de re sic Gislius:

Intumuit pelagus;
vastator sylvæ, vel in
saxa sæviens, vela
in rudentes rejecit.
Eximius draco, Danorum

rege aufugerat et ad regem Skotiæ confugerat; ad quem insequendum soluti canes venatici, cum sylvam intrassent, a via extemplo aberrarunt. Et cum rex Magnus in Orcadibus esset constitutus, Melkolmus, Skotorum rex, pacis reconciliandæ gratia filiam suam ad eum in Orcadas misit; ille vero eam, tum quinquennem, filio Sigurdo, novem annos nato, in matrimonium dedit.

[1]) Vapeya, *H*, facili errore. [2]) Orcadibus et Hebudibus, quas, *Hk*. [3]) eumque tutelæ Hakonis dynastæ Pauli filii, cognati sui, nec non Erlingi Erlendi filii commisit, additis opibus regni, cui præfectus fuerat; tali modo pax et amicitia confirmata est inter regem Magnum et regem Melkolmum, patrem regis Davidis, qui patri in Skotia successit, add. *H*; eumque tutelæ Hakonis Pauli filii, cognati sui, commisit, add. *Hk*.

vehens Terrorem, cujusque
strepentis æquoreæ
tergum perfregit virginis[1].

Testatur hoc loco poëta, regem Magnum dracone ingenti et eximie ornato vectum ab occidente fuisse; hoc autem iter splendidissimam speciem præbuisse, idem poëta testatur:

Cæruleus pontus ornatam
cervicem adsiliens concussit,
resonans unda aperto
aurato capiti se immisit:
ignis instar ætherei,
æquorea flamma ex
capitibus draconis
regii resplenduit[2].

[Skoptius Ögmundi filius[3], magni nominis præfectus in Norvegia, in Giskio (insula) Sunnmöriæ habitavit, Gudrunam, filiam Thordi Folafoti[4], in matrimonio habens, quorum liberi erant Ögmundus et Finnus, Thordus ac Thora, quam in matrimonio habuit Asolvus Skulii filius. Filii Skoptii erant optimæ spei juvenes et apud omnes gratiosi. [Hi omnes unacum patre regem Magnum, in insulas occidentales proficiscentem, de

[1]) Ordo: *Vágr þrútnaði; en steinóðr storðar galli a) keyrði vefi á stag. Dýrr dreki und skelfi Dana braut hrygg í hverri glymbrúði hafs b).*

a) noxa sylvæ, est ventus. *b*) pelagi strepentes virgines, sunt Ægeris filiæ, undæ; forte hæc locutio respicit historiam Frithjovi cap. 6. Hanc stropham, quam *M* sine varietate exhibet, ignorat *Hk.*

[2]) Ordo: *Blár ægir skaut búnum svira, gjálfr hljóp í gin gollnu höfði: valfasti djúps skein af hausum a) döglings dreka, sem himins eisa b).*

a) Sic *H, M*; *höfðum, A*, id., sed haud dubie repetitum ex præced. *höfði.* *b*) nescit hanc stropham *Hk.*

[3]) filii Thorbergi, add. *Hk.* [4]) Folii filii, qui vexillum regis Olavi tulit Stiklastadis, ubi cecidit, *Hk.*

qua expeditione supra exposuimus, comitati fuerant, et unacum eo in patriam reversi sunt[1].

Cap. 26. Steinkel, Svionum rex, eodem fere tempore, quo Haraldi ceciderunt, mortuus est[2]; Ingius vero filius ejus[3] rex Sveciæ fuit, cum rex Magnus Norvegiæ imperabat. Ingius erat rex bonus ac potens, omnesque æquales staturæ et virium magnitudine superavit. Rex Magnus contendit, regna antiquitus ita fuisse disterminata, ut Gothalbis regnum Norvegiæ ab regno Sveciæ divisisset, indeque lacus Væner[4] ad Vermalandum usque. Quare suæ ditioni omnes pagos, Væneri ab occasu adjacentes, nimirum Sundalum, Nordalum, Veas et Jardynjas[5], omniaque loca sylvestria, eodem pertinentia, adseruit; qui tractus longo jam tempore imperio Svionum regis paruerant, Gothiæque occidentali in pendendis tributis accensi fuerant: et sylvestrium locorum incolæ nunc, ut antea, Svionum regis imperio subesse volebant. Rex Magnus, magno numero militum splendide armatorum comitatus, e Vika in Gothiam incursionem fecit, cumque pagos sylvestres intrasset, rapinis incendiisque grassatus omnes tractus circumiit. Hinc factum, ut, quacunque veniret, omnes incolæ ad eum transeuntes, obsequium suum jurejurando obstringerent. Ita hac expeditione amplum territorium multosque pagos in potestatem redactos Gothis eripuit. Sic Gislius Illugii:

Rex Upplandorum deinde
gloriam sibi comparavit,
cum Svionum regi eriperet

---

[1]) Quæ a priori signo [sunt, omitt. *M*, quæ a posteriori, *Hk*. [2]) Hakon nomen erat regi, qui regi Steinkeli in imperio Sveciæ proximus successit, add. *Hk*. [3]) regis Steinkelis, *Hk*. [4]) Sic *H*; *A* sæpissime, etsi non semper, *Vjenir*. [5]) Vardynjas, *M*, *Hk*.

tractus ad orientem Albis sitos.
Terror hostium quindecim
pagos, provinciæ Gothorum
accensos, splendido gladio
in potestatem redegit[1].

Ejusdem expeditionis mentionem facit Thorkel, poëta Hamarensis, in encomio Magni:

Rex fortis effecit, ut Gallicus
ensis et clypei ad orientem
Gothalbis colliderentur; prudens
princeps campos sangvine tinxit.
Rex auri liberalis cupiditate
pugnandi incendebatur, quo loco
viri occubuere. Corpora Gothorum sub flavis
ungvibus cinereæ aquilæ jacebant[2].

Processerat autumnus, cum rex Magnus ad Vænerem pervenit. Itaque in Kvaddingi[3] insulam trajecerunt, ibique castellum e cespitibus et lignis exstruxerunt, et fossam circumduxerunt. Quo exstructo munimento, commeatus aliaque impedimenta, quibus opus erat, eo comportata sunt. Huic loco rex trecentorum virorum præ-

---

[1]) Ordo: *Siðan framdist Upplanda gramr á Svia drottni austr frá a) Elfi; liðskelfir tók fimtán heruð fránni eggju ör lögum b) Gauta c).*

a) *við*, prope, *M.* *b*) *liði* (populo), vel forte *landi* (regioni), *H.* *c*) nescit hanc stropham *Hk.*

[2]) Ordo: *Hraustr allvaldr lèt valskan brand ok randir gjalla saman austar a) Elfi; vitr stillir rauð völlu. Vellmildr b) konúngr varð c) þrási á c) víg, þar er herðir d) féllu; gauzkr bolr e) lá und gulri f) kló grás arnar g).*

a) *aulfar, H*, mendose. *b*) Sic *H, M*; *velmildr, A.* *c*) ita distingvendum putavi; *varða, A*; *verða, H*; *þrasi* haud dubie rectius scribitur *þrási*, nam derivandam videtur a *þrá*, desiderium. *d*) positum puto pro *hirðir* (*i* = *e*), pl. τον *hirð*, satellitium, it. multitudo hominum. *e*) Sic *H, M*; *bolar, A.* *f*) *golri*, id., *M.* *g*) ignorat hanc stropham *Hk.*

[3]) Kvaldingi, *Hk.*

sidium imposuit, quibus Finnum Skoptii et Sigurdum Ullstrengum præfecit, militibus egregie armatis stipatos; quo facto cum reliquis copiis in Vikam reversus est. Quibus cognitis rebus, rex Svionum exercitum contraxit; et ferebat fama, eum propediem descensurum; quod cum procrastinaretur, Norvegi hos versus luserunt:

Bene diu Ingius, latis ille
natibus, equis tardat devehi.

Ubi vero aquæ glacie coierant, rex Ingius descendit, triginta fere stipatus virorum centuriis, missisque ad Norvegos, qui in castello erant, nuntiis, abscedere et in Norvegiam reverti jussit, abducta omni quam ceperant præda. Nuntiis regis mandata perferentibus respondit Sigurdus Ullstrengus, regi Ingio aliam esse rationem ineundam, quam ut eos tanquam gregem in pascua dimitteret, ipsique propius aggrediendum esse, antequam sponte abirent. Cum nuntii hæc verba renuntiassent, rex Ingius cum universis copiis in insulam equis vehitur. Tum iterum ad Norvegos misit, ut abscederent cum armis, vestimentis et equis, reliquam vero prædam dimitterent. Quod cum facere recusarent, rex impetum in eos fecit, resque utrinque telis gerebatur. Dein jussu regis ligna ac cespites comportati, fossaque impleta: mox ancoræ sumtæ et ad longuriones deligatæ, quibus in parietes (castelli) ligneos sublatis, divulsum munimentum est; tandem ingentes accensi ignes, ardentesque titiones in eos conjecti. Quibus rebus factum est, ut Norvegi pacem peterent. Rex eos inermes exire jussit. Exeuntium singuli fustis verbere percussi. Re sic gesta discesserunt et in Norvegiam reversi sunt; omnes vero locorum sylvestrium incolæ, pace facta, regi Svionum obsequium polliciti sunt. Norvegi regem Magnum

convenientes, exitum negotii, quod eis cum rege fuerat, exposuerunt.

Cap. 27. Primo statim vere, cum soluta esset glacies, rex Magnus cum copiis orientem versus ad Albim profectus est, classeque orientali fluvii cornu subvectus, multa imperii Svecici loca vastavit. Delati ad locum, dictum Foxernium[1], navibus in terram egressi sunt. Transgressis amnem quendam, eo loco profluentem, obcurrit magna Gothorum multitudo. Oritur vehemens pugna. Norvegi, numero adversariorum impares, multis suorum[2] occisis, terga verterunt. Rex Magnus omnesque custodes sui fugerunt; Gothi fugientibus instantes quemcunque assecuti essent, interfecerunt. Rex inter ceteros conspicuus erat, tum magnitudine corporis, qua omnes superabat, tum rubro qua loricam superindutus erat pallio, et coma bombycis instar flava, in humeros rejecta. Ögmundus Skoptii ab altero ejus latere equitavit, staturæ quoque magnitudine ac pulcritudine præstans; hic regi: da mihi pallium, rex! Cui rex: quo tibi pallium[3]? Cupio, inquit Ögmundus, tu mihi majora dedisti. Ea vero erat hujus loci natura, ut hic illic plani campi paterent, qua insequentes Gothi fugientesque Norvegi conspici inter se continuo poterant; hos fruticeta ac clivi editiores exceperunt, qui mutuum conspectum interceperunt. Hic rex Ögmundo pallium dedit, quod ille induit. Quo facto cum in campos progressi essent, Ogmundus cum cohorte sua ab ceteris in diversam partem iter flexit. Quo viso Gothi, regem ea iter facere rati, omnes eum equis insecuti sunt. Rex ad naves, quo contenderat, pervenit, Ögmundus ægerrime elapsus, salvus tamen ad na-

[1]) *Foxerni, M.* [2]) ad cataractam aliquam, add. *Hk.* [3]) inquit, add. *H.*

vem effugit. Quo facto rex Magnus, secundo amne devectus, boream versus in Vikam contendit[1].

Cap. 28. Cum in Vika se continebat rex Magnus, venit ad eum vir quidam, nomine Giphardus, qui se in arte equestri excellere professus est[2]; quem rex comiter excepit. Erat Giphardus genere et natalibus Gallus. Eo tempore rex Magnus incursionem in Gothiam, cujus partem suæ ditioni vindicavit, facere paravit, ut calamitatem, quam vere proxime elapso accepisse sibi visus est, Gothis rependeret. Magnum secum adduxit copiarum numerum. Tum Gothiæ occidentalis incolæ, qui tractus septemtrioni proximos incoluere, ei se subjecerunt. Dein ad fines regnorum consederunt et in tentoriis habitarunt, indeque incursionem incipere cogitarunt. Quibus rebus cognitis rex Ingius collecta manu adversus regem Magnum contendit. De cujus itinere cum rex Magnus per speculatores certior factus esset, centuriones hortati sunt, ut reverteretur; quorum consilio repudiato, rex copias suas adversus regem Ingium nocturno tempore imparatum duxit. Congressi sunt loco, qui Foxernium dicitur[3]. Rex Magnus, cum suos ad prælium committendum instrueret, quæsivit, ubi esset Giphardus; qui cum inter milites non deprehenderetur, rex locutus est:

Ille partes nostras sequi non vult;
occultavit sese Gallicus eques.

Excepit poëta aliquis, qui cum rege versabatur:

Interrogavit rex, quid Giphardus faceret;
cum milites prælium committerent,

[1]) Nescit hoc caput *M.* [2]) *M* in initio capitis 26. de adventu et abitu hujus equitis mentionem facit, alio rerum ordine breviorique expositione. [3]) quo loco reges antea congressi fuerant, add. *M.*

nosque arma cruore rubefaceremus,
eo ille nondum advenerat.
Ignavus ille vir, rubro vectus equo,
invitus erat ad equum propellendum.
Gallicus eques sese occultavit,
neque partes nostras sequi vult[1].

Mox oritur prælium; cædes continuo in Sviones versa, quippe quos Norvegi necopinato invasissent. Rex Magnus fortissime rem gessit, gladium ad utrumque latus vibravit, et ordines Svionum pervectus est, ut nemo ei resistere posset. Quod Gislius testatur:

Militum exhortator
cohortes Svionum
victoria dejectas
primus pervectus est.
Cruentum ferrum
humerosque caputque
ejus adversariorum
intervolavit[2].

Omnesque Norvegi magna virtute rem gesserunt, ut maximus Svionum numerus prosterneretur. Rex Magnus suorum primus erat, et in primore acie versabatur. Sic Gislius:

Funestum vexillum,
alacri corvo gaudente,

---

[1]) Ordo: *Gramr spurði, hvat Giffarðr gerði; þá a) er lið barðist, var-at hann kominn þannig: ver ruðum vápn í dreyra. Fnauði b) var fulltrauðr framreiðar c) á d) rauðum jó; valski riddarinn falsk e), vill eigi fylla várn flokk.*

a) þar, quo loco, *M.* *b) frændi, H,* invito metro. *c)* Sic *H, Hk.; framreið, A; fram reið þar, M,* mendose. *d) af, M.* *e) fask, H,* mendose.

[2]) Ordo: *Fólkhvötuðr reið fyrst í gegnum safnað a) Svía, hnugginn sigri: dreyrugr málmr varð hlaupa á meðal hauss ok herða hans andskota b).*

a) somnut (o = ö), id., *M.* *b)* nescit hanc stropham *Hk.*

circa caput patris
Sigurdi uudulavit;
hunc ego principem
vidi fortissime
tollere acutum ensem
ad parandam victoriam[1].

Testatur Gislius, se hoc in prælio, multisque aliis, cum rege Magno versatum esse; sic enim cecinit:

Secutus sum strenuum,
quam potui fortissime,
patrem Eysteinis
in Atalis nimbo;
sæpe ego, periculis
adsvetus, ensem vibravi,
præsente Haraldi cognato,
ubi fortitudine opus fuit[2].

Cap. 29. Hoc prælium eum habuit exitum, ut multi ex Svionibus prostrati jacerent, Ingius vero rex fuga salutem quæreret, rex Magnus eximia victoria potiretur. Tum Giphardus ex locis superioribus equo advectus, quod opem regi Magno laturus prælio non interfuisset, sinistros hominum rumores expertus est, et ean-

[1]) Ordo: *Helmerki a) blès um b) höfði feðr Sigurðar c), en fránn b) huginn gladdist: ek sá þann fylki vega snörpu sverði til sigrs með mestum frama d).*

a) kolmerki, id., *H, M*, si *o* = *ő* ex usitata literarum *ő* et *e* permutatione. *b*) Sic legendum et distingvendum conjeci; *fránum*, *A, M*; *fránu, H*; ita malui, quam jungere *frán helmerki*, aut *um fránu höfði*. *c*) pater Sigurdi est rex Magnus Nudipes. *d*) ignorat hanc stropham *Hk*.

[2]) Ordo: *Ek fylgða fræknum Eysteins föður a) í atals drífu b), sem ek framast kunna; ek, vanr varförum, brá opt hjörvi með frænda Haralds c), þar d) vega þurfti e).*

a) pater Eysteinis, rex Magnus Nudipes. *b*) i. e. in prælio. *c*) cognatus Haraldi (Severi), rex Magnus. *d*) *þars*, id., *M*. *e*) nescit hanc stropham *Hk*.

dem ob causam ab regiis verborum contumeliis protelatus ludibrioque habitus est. Quare abstulit sese, et occidentem versus in Angliam cum mercatoribus profectus est. Hi in pelago diutius commorati, difficili usi sunt navigatione. Giphardus segnem operam præstitit, plurimumque iners decubuit, cum alii sentinam navis exhauriebant. Versabatur intra navim vir quidam Islandus, ex Husavika oriundus, nomine Eldjarn, qui nuper Constantinopoli redierat. Hic aliquando, cum ad hauriendam sentinam adgrederetur, Giphardum jacentem videns, hos versus fudit:

Cur morosum deceat satellitem
sic otiari? age, comate eques,
virum te nunc præsta, quamvis
carina assultu adfligatur fluctuum.
Æquum est, ut Giphardum
jubeam haustrum tollere,
nam perquam alta nautea
navem complevit ventruosam[1].

Cum navis ad Angliam appulisset, Giphardus extemplo relicta navi in proximum oppidum se

---

[1]) Ordo: *Hví samir hitt geðstirðum hirðmanni, at dúsa? Vestu a) nú knár, riddarinn hári, þó kjöl kosti b): þat er satt, at ek býð Giffarði reiða byttu: austr er til hár í c) breiðhúfuðum d) hesti hvaljarðar e).*

a) verðu, id., *Hk.*, sed neglecto metro; *verþr, M,* i. e. virum se nunc præstat comatus eques. *b) Hk.* T. 3. p. 218 vertit: quamvis adeunda carina; T. 6. p. 182: quamvis in sentina (aqua sentinæ) sit laborandum; sed usitatum est in vulgari sermone, *að kostast*, debilitari, confici, quam vocem etiam habet Sturl. lib. 3. p. 161: h. l. impersonaliter usurpatur cum accus. subjecti. *c) of*, per, *M.* *d) breiðhúfoþo, M*, omissa virgula supra postremum *o*; *breiðhúfom þer, Hk.* *e) hestr hvaljarðar*, equus cetorum soli (maris), navis; potest et sic ordo institui: *þat er satt, at til hár austr er í breiðh. hesti hvalj.; ek býð G. reiða byttu*, verum est, navem nimiâ nautea completam esse, quare Giphardum jubeo, haustrum tollere.

contulit, ubi comitem oppido præfectum convenieus, questus, se ab Nordmanno carminibus probrosis læsum, petiit, ut se ad satisfactionem obtinendam adjuvaret. Comes, etsi haud magno natu esset et magistratum nuper inisset, tamen pollicitus est, se causam ex rationibus, quas convenire judicaret, cogniturum. Indicitur conventus, Nordmannus citatur; constituto conventu, causa ad comitem defertur. Eldjarn negare, Giphardum ab se carmine læsum: iterum carmen recitabo, inquit, si comes jubeat. Cui ille: equidem in causis hominum cognoscendis parum versatus sum, nihil vero est, quod minus intelligere possim, quam quod poësin appellatis; verum quid nocuerit, si carmen recitatum audiam? Eldjarn cecinit:

Audivi, te in Foxernio, ubi
acre commissum est prælium,
fugientibus institisse, alios vero
(sic fama tulit) sese occultasse.
Altisona erat grassatio
pugnam concitantis Giphardi,
ubi Gothos juvenes, ubicunque
deprehenderentur, ad necem percussit[1].

[1]) Ordo: *Ek frá, at rákut a) flótta á Foxerni: þar var harðr hernaðr; annat lið manna falsk b), er ek heyrða c). Gángr hjálmþrimu herðis var hár, þar d) er Giffarðr barði e) í hel gauzka dreingi, er f) váru g) staddir h).*

a) Sic *M*; *ráku* (i. e. *menn*), *A*; *ræki* (i. e. *Giffarðr*), *H*. *b*) *faso*, *M*, mendose. *c*) *heyra*, *H*. *d*) *þá*, quando, *Hk*. *e*) *barðir*, percussisti (Gipharde!), *Hk*. *f*) *þar er*, ubi, *Hk*. *g*) *várot*, fuisti, *Hk*. *h*) sec. lectiones *Hk*. hæc vox (*stadt*) significat constitutum aliquo in loco, h. l. vero deprehensum, oppressum, id. q. *staðit*, quæ ipsa vox etiam pro *staddr* usurpatur apud veteres, v. c. *illa staðnir*, pro *illa staddir*. Monendum autem est, particip. *stadt*, *-ddr*, *stödd* deducendum esse ab antiquo verbo *steðja* (*steð*, *stadda*, *stadt*), sistere, unde vox serioris ævi *steðja*, *-ði -at*, firmare, ratum facere.

Heic comes: etsi artis poëticæ omnino sum imperitus, tamen intelligo, hæc non contumeliose dicta esse, sed in tuam, Giphardе, laudem et honorem composita; aliam hac de re sententiam ferre non possum. Giphardus, qui suorum factorum sibi conscius esset, quod intelligebat, hæc in ludibrium, non laudem dicta esse, nullo modo volens palam fieri, quomodo se in Foxernio gessisset, simulavit se nihil habere, quod responderet. Quare re ita constituta digressi sunt; Giphardus exitum causæ ægerrime ferens, oppidum reliquit.

Cap. 30. Post prælium cum rege Ingio commissum, rex Magnus e Gothia in Norvegiam reversus est. Tribuuntur Magno regi versus sequentes, quibus Mathildam, imperatoris filiam, laudasse dicitur:

Una est Mathilda, quæ mihi
ludum lætitiamque prohibet,
et bellum ciet, corvo ad austrum
e vulneribus sangvinem bibente.
Hæc badia femina, quæ suo
defendit clypeo regna, gladiis
tabulas Höguii secantibus,
facit, ut somno parum fruar[1].

Hos præterea versus condidit:

Quid est in terris præstabilius
venusta femina? poëta raro
animo fovet mœrorem; longus est,
hominum qui vota præpedit, dies.
Ex conventu, quo homines ornati

[1]) Ordo: *Mattildr a) er sú ein, er meinar mèr leik b) ok teiti, ok vekr hildi: sveita már drekkr or sárum suðr. Sá hvítjarpr svanni, er verr sín lönd röndu, kennir mèr sofa lítið: sverð bitu högna hurðir c).*

a) Sic *M*, poscente metro; *Makthildr, A*; *Matthildr, H, Hk.* *b*) Sic *H, M*; *læk, A.* *c*) tabula Högnii est clypeus.

solent venire, gravem illum
refero dolorem, quod vereor, ne meam
nunquam sim amicam conventurus[1].

Idem, cum filiam imperatoris amice de se locutam audisset, et significasse, talem virum, qualis rex Magnus esset, videri sibi ceteris præstantiorem, hos versus composuit:

Clam audio benigna de me verba
virginis, annulum aureum gestantis;
faxo, ne rutila virgo, ornatis brachiis
decora, gratis ista verba fuderit.
Magni facio dicta, amore plena,
purpureo velatæ amictu virginis,
raro etsi eam conveniam. Sciant
homines, eam esse mihi peramatam[2].

---

[1]) Ordo: *Hvat er betra í heimi, en [vífit fagra a)? skáld hyggr sjaldan á b) þrá; sá dagr, er dvelr drengi, er lángr. Ek ber þann þúngan harm af þíngi, er ek skal aldregi finna minn svanna; menn skreytast c) at d) móti.*

a) *víf en fögru*, venustis fem., *M*; *víven fögro*, id., *Hk*. *b*) *af*, expellit animo, *M*. *c*) *skreytasc*, id., *M*; *skreytist*, *H*. *d*) *á*, ubi hom. orn. versari solent, *M*, *Hk*.

[2]) Ordo: *Ek spyr í hljóði a) góð orð gullhrings gerðar um b) skáld c), jörp armlín d) mun eigi verpa sínum* (i. e. *orðum*) *á glæ e). Ek ann ræktar málum guðvefjar þöptu, þótt f) eigi finnag g) (hana) opt: viti menn, at ek hygg henni h) hála.*

a) *Hk*. T. 6. p. 183 vertit: palam; sequor T. 3. p. 222. *b*) Sic *M*, *Hk*.; *mun*, *H*; *tini*, *A*, utrumque mendose. *c*) per poëtam intelligit se ipsum. *d*) Sic *Hk*., quod retinendum putavi, cum soleant veteres poëtæ feminas per manus et brachia, quibus annuli et armillæ gestantur, circumscribere; *ormlína* (cujus postrema litera in obscuro est), *A*; exscr. quod habeo, *ormlíni*, exhibet, ubi forte legendum fuit *ormlíns*, quod *Hk*. sub. var. lect. *H* affert: *ormlín*, stragulum serpentis, potest esse aurum, sed hæc vox nusquam referri potest, nisi τo *jörp* mutes in *jörþ*, quod (etsi obstet metrum) feminæ appellationem poëticam complet; *armlinns á glæ sinni*, *E*, *Å*, quæ lectio duplicem affert difficultatem, cum neque τo *armlinns*

Cap. 31. Sequenti æstate post hoc prælium, inter regem Magnum et Ingium Svionum regem commissum, regum conventus Kongelæ ad Gothalbim indictus est; quo venerunt, præter Magnum Norvegiæ regem, Ingius rex Svionum, et Eirikus Sveinis filius, Danorum rex; qui conventus pacta securitate sancitus est. Positis comitiis, reges seorsim ab aliis in comitii aream progressi, paulisper inter se collocuti sunt, quo facto, cum ad suos redierant, pax inter eos facta est, ea lege, ut quisque, quod regni patres sui antea tenuissent, haberet, et suis quisque civibus pro rapinis ac cladibus satisfaceret[1]. Tunc rex Ingius regi Magno Margretam filiam despondit, [prædiis in Gothia, de quibus antea contenderant, dotatam[2]; quæ ab eo tempore Fridkollæ (virginis pacificæ) nomen sortita est. Constabat inter omnes, nemini tres homines visos excellentiori, quam hos principes, specie dignitatis conspicuos; quorum Ingius erat natu maximus, staturæ magnitudine et compacta artuum structura præstantissimus, omnibusque visus est speciem

(annuli), neque *to sinni* habeant, quo referantur; *ormlín*, f., pro feminæ appellatione accipere non audeo, quod perspicuum exemplum nunc non occurrat, serpentis nomen pro auro simpliciter sumi; neque conjecturam *almlín*, in *Hk.* T. 6. propositam, cujus me ratio lateat, admittere. e) vim phrasis *at kasta á glæ*, aliquid in mare projicere, disces ex *Edd. Sn.* p. 333, ubi explicatur per *at launa ei vinum sinum með góðvilja*, et in Laxdæla, *at láta eigu sína ok taka ekki í móti.* *f*) *ec*, ego, add. *M.* *g*) *finna*, id., *H.* *h*) *hennar*, illius, *Hk.*, tum cohærent: *ek ann guðvefjar þóptu, þótt eigi finnag opt: viti menn, at ek hygg hála hennar ræktar málum*, diligo feminam — sciant homines, ejus dicta, affectionem erga me testificantia, mihi pergrata esse.

[1]) quam satisfactionem ipsi postea inter se æquarent, add. *Hk.* [2]) omitt. *Hk.*

gerere, principis persona dignissimam: [rex Magnus fortissimi viri et promtissimi speciem præ se ferebat, rex vero Eirikus ex his tribus pulcerrimus erat[1]; singulis communia: disertum os, pulcer aspectus, magnifica species. Quibus rebus peractis, in suum quisque regnum, firma pace inita, redierunt.

Cap. 32. Rex Magnus Margretam reginam, quæ splendido cum comitatu e Svecia in Norvegiam missa est, uxorem duxit, cum jam antea aliquot liberos procreasset, ex quibus hi nominantur: filius Eystein, ignobili matre natus; alter Sigurdus, anno junior, matre Thora genitus; tertius Olavus, natu multo minimus, natus concubina regis, Sigrida de Vika, filia Saxii, ampli in Thrandheimo viri. Dicitur rex Magnus, ex expeditione occidentali reversus, in cultu consvetudine in terris occidentalibus recepta usus: item multi ex aulicis ejus, qui nudis pedibus incedebant, breves tam tunicas quam pallia gestantes. Quare a multis appellatus est Nudicrus sive Nudipes, ab aliis Procerus, ab aliis denique Bellicosus; nempe erat maxima statura et proceritate. Statura ejus notata est in æde Mariæ dicata, quæ in emporio est, quam rex Haraldus Sigurdi filius exstruendam curaverat: scilicet ad fores ejus ædis, quæ septemtrionem spectant, muro lapideo tres cruces incisæ sunt, quarum una staturam regis Haraldi significat, altera regis Olavi, filii ejus, tertia regis Magni; hæ eo loco insculptæ sunt, quem quisque eorum commode osculari poterat; suprema fuit crux Ha-

[1]) Eirikus Danorum rex erat facie pulcerrima, ex qua summa animi bonitas eluxit; Magnus vero Norvegiæ rex ex his omnibus longe fuit urbanissimus, speciemque viri strenuissimi et apprime militaris præbuit, *M.*

raldi, infima Magni, Olavi vero nota inter utramque media[1].

Cap. 33. Dissensio orta est inter Skoptium Ögmundi filium et regem Magnum, de bonis demortui alicujus litigantes, quæ a Skoptio occupata rex tanto rigore poposcit, ut res a periculo prope abesset. De qua re cum concilia sæpius haberentur, hoc consilii Skoptius dedit, ut ipse ac filii nunquam uno tempore in regis potestate essent, significans, dum ita facerent, rem periculo carituram. Cum igitur Skoptius coram rege esset, propinquam qua regi junctus esset consangvinitatem allegavit: quo accedit, inquit, quod omni tempore et tibi amicissimus, et patri tuo fui, ut, quoad ille viveret, nostra amicitia nunquam vacillarit; ex quo intelligere potes, rex, me hanc rem in contentionem tecum nunquam fuisse adducturum, nisi æqua postularem; hoc autem majores meos refero, quod, nulla habita dignitatis ratione, quocum mihi cunque res fuerit, justam causam defendo. Rex idem fuit, neque ingenium ejus his adhortationibus molliebatur. Rediit domum Skoptius, Finnus vero regem adiens, petiit ab eo, ut sibi patrique hac in causa jus concederet. Rex inique et aspere respondebat. Tum Finnus: aliud te facturum, rex, exspectaveram, quam ut me jure meo defraudares, quando in insula Kvaddingi consederam, quod pauci alii amici tui facere voluerant, causantes, quod verum erat, proditos et morti objectos esse, qui eo loco versarentur, quod factum fuisset, nisi regis Ingii humanitas temeritatem tuam superasset; et tamen arbitror, si hoc alicujus momenti est, esse complures, qui existiment, eam expeditionem igno-

[1]) Hoc caput omitt. *M.*

miniæ nota me affecisse. Quibus admonitionibus cum rex non moveretur, Finnus domum rediit. Deinde Ögmundus Skoptii regem adiens, coram eo verba fecit, petens, ut patri ac filiis jus redderet. Cui rex: quæ postulo, justa sunt, inquit, tu vero inauditam audaciam induisti. Ögmundus reposuit: efficere poteris, rex, cum tantum potentia valeas, ut mihi patrique ac fratribus injuriam facias; qua quidem in re fidem facis veteri proverbio, multos aut non aut male datam salutem remunerari; quibus dictis hoc addo, quod ab hoc tempore neque ego, neque pater fratresve, si quid mea valebit auctoritas, tuis unquam ministeriis operam daturi sumus. Ögmundus domum rediit, neque postea unquam in regis conspectum venit. Skoptius Ögmundi eodem vere peregre profecturus, quinque naves comparavit omnesque diligenter instruxit, sociosque adscivit filios, Ögmundum, Finnum [ac Thordum[1]. Proximo autumno in Flæmingiam navigarunt, ibique insequentem hiemem transegerunt. Primo vere proxime insequenti occidentem versus in Valliam, et æstate per fretum Njörvii vecti, orientem versus in terram Romanam contenderunt, ubi Skoptius obiit. Pater cum omnibus filiis hoc itinere mortui sunt. Thordus eorum diutissime vixit; is in Sicilia diem obiit. Traditur Skoptius primus Norvegorum fretum Njörvii pernavigasse; qua re hæc profectio maximam celebritatem nacta est[2].

Cap. 34. Rex Magnus, cum novem annos Norvegiæ imperasset, expeditionem e regno suscepit, magnamque militum multitudinem comparavit, adscitis lectissimis, qui in Norvegia erant, viris. Ei se plurima præfectorum Norvegiæ pars adjunxit: Sigurdus Ranii, Vidkunnus Jonis, Da-

[1]) Sic *Hk.*; omitt. *A, H.* [2]) Omitt. *M* cap. 33.

gus Eilivi, Serkus de Sogno, Eyvindus Olboglus, aulæ regiæ magister, Ulvus Ranii, frater Sigurdi, multique alii proceres. His omnibus copiis stipatus mare occidentale trajecit. Tum versus sequentes de navigatione Magni regis compositi sunt:

Tempestas tectum[1] adfligit circa principem;
spumante salo contumeliam patitur ratis;
noxius corno ventus incipit scalmum
adfligere, stridentibus rudentibus;
tremiscunt septuaginta teneri mali;
quercus, percurrens æstum, fluctus secat;
naves coguntur mare rumpere. Magnus
clypeum prætendens animi servat fortitudinem[2].

Cum vehementem tempestatem nacti essent, multique velificationem minuere et contrahere vela cuperent, rex hortatus est, ut audacter vela facerent, neque fremitum sævientis maris perhorrescerent; quemadmodum sequentes versus testantur:

Rex, ipse sibi non parcens, viros
fortes hortatus est, ne de vita
metuerent, utut horridum
mare ante proras fremeret.
Verum est, regem præpotentem

---

[1]) Nempe puppis = *lypting*; vel forte rectius *veggr* h. l. sumitur de pluteo navali, i. e. tabulis lateribus navis adfixis ad fluctus avertendos; respondet itaque voci danicæ *Væg*, isl. *þil.*

[2]) Ordo: *Veðr a) blæs b) vegg um c) tiggja, viðr þolir nauð í löðri, læ d) klúngrs e) tekr at knýja keip, en gellr f) í reipum; mjórr sjötögr vöndr g) skelfr, eik skerr at flóði, beit verða h) slíta sjá. Magnús stýrir móð und röndu i).*

a) *vindr*, ventus, *H.* *b*) *bles*, id., *e* = *æ*, *H.* *c*) *undir*, sub, *H*, perp. *d*) *ley*, *H.* *e*) *klúngur*, *H*; *læ klúngrs*, noxa corni, est ventus. *f*) *gelr*, id., *M.* *g*) intelligitur classis 70 navium. *h*) *verðr*, sing. num., *H*, qui add. *að*. *i*) Omitt. hanc stropham *Hk*.

fortissimo animo præditum fuisse;
navis ruens, fremente salo, necessario
confisa est (regis) navigandi felicitate[1].

Rex Magnus cum omnibus copiis Orcades attigit, unde[2] Erlingum, filium[3] Erlendi dynastæ, et magnum insuper militum numerum abduxit; quo facto in Hebudes navigavit[4], inde classem in Hiberniam duxit, ibique populationem fecit. Hic rex Myrjartakus[5] de Kunnaktia eum convenit, qui armis consociatis magnam partem Dublini et comitatum Dublinensem in potestatem redegerunt. Rex Magnus cum locis occupatis præsidium ex suis imposuerat, in Kunnaktia apud regem Myrjartakum per hiemem versatus est. Appetente autem vere [ambo reges[6] cum copiis in Ulaztiriam profecti[6], multa ibi prælia fecerunt[6]. Qui cum [magnam Ulaztiriæ partem[7] subegissent, rex Myrjartakus in Kunnaktiam rediit, rex Magnus in Norvegiam profecturus naves paravit.

Cap 35. Hic cum universis copiis prope Ulaztiriam ad ancoras stetit, classe ad navigandum parata. Qui cum pecudibus in alimentum exercitus sibi opus esse intelligeret, suos ad

---

[1]) Ordo: *Úhlífinn gramr bað-at eggendr a) ugga lífi, hvegi b) er hinn ljóti landgarðr lèt c) [fyrir barði d); satt var e), at alvaldr átti borit ógnsnart hjarta: geyst súð varð treystast f) farsælu í gný græðis g).*

a) eggjendr, id., *M*, propr. qui alios hortantur, h. l. viri animosi et strenui. *b)* Sic *H, M; hveigi, A.* *c)* malim *lèti.* *d) hinn harði*, *H*, mendose et repetitum ex versu anteced. *e) er, H.* *f) treysta*, id., *H*; *treystasc*, id., *M.* *g) græþis*, id., *M*; omitt. hanc stropham *Hk.*

[2]) Magnum et, add. *Hk.* [3]) filios, *Hk.* [4]) et cum classis in ancoris ad Skotiam staret, Magnus Erlendi filius, noctu relicta navi regia, natando in terram evasit, et in sylvam egressus, tandem ad aulam regis Skotorum pervenit, add. *Hk.* (vide cap. 24). [5]) Myrkjartan, *M.* [6]) rex Magnus — profectus — fecit, *H.* [7]) Ulaztiriam, *H*; eam terræ partem, *M.*

regem Myrjartakum misit, petens, ut pecudes sibi mitteret, constituta die, qua missi, si incolumes essent, reverterentur, ad ultimum pridie festum Bartholomæi. Qui cum vespere diem lunæ antecedente non rediissent, ipsa die lunæ, oriente sole, rex cum maxima parte militum in terram egressus est, missos ac pecudes quæsiturus. Aër erat tranquillus, et sole splendente clarus. Via per loca uliginosa et paludes ferebat, quæ exasciatis assibus constratæ fuerant, virgultis utrinque circumdatæ. Per virgulta progressis occurrit clivus terræ editior, unde latus erat prospectus. Hinc in mediterranea prospicientes cum ingentem vim pulveris equitantium conspexissent, inter se collocuti sunt, hostiumne agmen esset, an sui greges pecudum adducentes; eo igitur loco constiterunt. Tunc Eyvindus Olbogius: age, domine, inquit, utile aliquod consilium militibus prospice. Rex: aciem instruamus, et in procinctu stemus, si forte hostium impetus metuendus erit. Dein acies instructa. Rex et Eyvindus aciem præcedebant: rex Magnus auratam galeam capite gestans, rubrum prætendens clypeum, leonis figura [aureis bracteis[1] ornatum, cinctus gladio, Leggbito (crurum fractore) nominato, cujus globuli e dente facti, capulus auro revinctus erat, telo acutissimo: manu gæsum tenuit, loricæ superinduerat vestem rubram bombycinam, quam et ab anteriori et a posteriori parte figura leonis e flava bombyce insigniebat; et ferebant vulgo, neminem in armis visum specie magis militari, aut augustiori. Eyvindus aulæmagister rubram quoque vestem superinduerat, eodemque modo atque rex armatus ornatusque erat, staturæ magnitudine et formositate oris conspicuus, speciemque viri armis

[1]) aureo colore picta, *H, M.*

exercitatissimi præferens. Equitantium pulvere propius admoto, cognoscunt, suos adesse, magnam adducentes pecudum copiam ab rege Kunnaktensi missam, qui, quæ regi Magno pollicitus fuerat, omnia cum fide præstitit.

Cap. 36. Inde ad naves circa meridiem revertentibus, cum in loca uliginosa devenissent, paludes iter impeditum reddiderunt. Heic Hibernorum copiæ, plena instructæ armatura, coierant, tanto numero, ut ex quavis sylvæ lingula magna vis armatorum in Norvegos, passim euntes, ingrueret; statimque ferro adorti multos occiderunt. Tum Eyvindus regem allocutus: nostri inauspicato iter faciunt; age, confestim aliquod utile consilium capiamus. Rex: bellicum canite totumque agmen ad vexillum convocate, qui vero hic adsunt milites consertis clypeis in orbem consistant, deinde per loca palustria gradum referamus, quo facto, ubi in planum pervenerimus, res postea nihil habebit discriminis. Cui Eyvindus: mea sententia est, ut naves petas; nobis nihil periculi accidet, cunctaque in salvo erunt, si effugies. Rex contra: ego vero ab hac ratione abhorreo, neque enim me regem decet a militibus aufugere, qui tam fortibus juvenibus stipatus sim; quin imo, omnes una Hibernorum impetum quam fortissime excipiamus. Heic rex sequentes versus pronuntiavit:

Quid redire domum properemus?
meus enim animus Dublini hæret;
nam matronas Nidarosienses
hoc autumno non revisurus sum.
Gaudeo, quod me femina juvenis
jucundis colloquiis non prohibet.
Ætas juvenilis facit, ut virginem
Hibernam plus me ipso diligam[1].

---

[1]) Ordo: *Hvat a) skulum kvitta heimför b)? minn hugr er i*

Hiberni tela vehementer ingesserunt et audacter impetum fecerunt; qui etsi magno satis numero caderent, tanta tamen ingruebat vis copiarum ex terra adfluentium, ut quo loco singuli eorum cecidissent, eo loco bini usque succederent. Cum rex ad extremam paludem pervenit, objecta est ingens lacuna uliginosa, paucis locis permeabilis. Heic Hiberni acrem impetum dare, rex ac sui omnes se magna strenuitate defendere; quod testatur Thorkel, poëta Hamarensis:

Rex eximius in terram nuper egredi
est ausus, exigua stipatus militum
manu; autumo patrem Eysteinis
animi confisum esse fortitudine.
Acutum gladius sonuit, quando
Magnus, telo fortiter usus, copias
pervasit, gladium sangvine tingens,
vitalia tangente acie virorum[1].

Dýflinni c), en ek kem d) eigi austr til Kaupángs kvenna í haustl. Unik e) því, at íngjan synjar eigi gaman- f) þinga; ærskan g) veldr h) því, er h) ek ann írskum svanna betr en mér i).

a) Sic *A, M*; *hvatt*, cito (properabimus), *H*; sed mox negat se Nidarosum rediturum. *b*) ad verbum: domum reditionem absolvamus. *c*) Sic *M*; *Dýflinn, A*; *Dýflin, H.* *d*) *kom, M,* aut eod. sensu, pro *kōm*, aut: præcedente autumno non veni. *e*) *unnig, H,* rectius *unig.* *f*) *gamans, M.* *g*) *orscan* (i. e. *ørscan*), id., *M*; *æska*, id., *H.* *h*) *veld ec*, in causa sum, *M,* minus, ut puto, recte. *i*) Nescit hanc stropham *Hk.*

[1]) Ordo: *Ítr Ýngvi a) réð áðan *) uppgaungu með lítinn helmíng; ek hygg föður Eysteins b) treystast áræði. Hjörr gall hátt, en Magnús c) sótti í gegnum lið, málmsækir d) rauð mæki; egg hneit við fjör seggja e).*

a) Sic *H, M*; *ek ýngri* s. *ýngvi, A,* prave. *) Nempe poëta eorum temporum æqualis fuerit necesse est, quippe qui apud Valthjovum dynastam, qui a Vilhelmo Conquestore, Angliæ rege, fide data interemtus est anno 1066, militaverit, teste *Fagrskinna.* *b*) Patrem Eysteinis poëta appellat regem Ma-

Quo loco, ad lacunam uliginosam, cum multi Norvegorum occumberent, rex Thorgrimum Skinnhuvam[1], præfectum, genere Uplandum, inclamans: age lacunam cum cohorte tua transito, nos vero interea hoc loco hostem excipientes cavebimus, ne quid vobis detrimenti accidat; deinde occupato colle, ultra paludem sito, tela quam vehementissime in Hibernos ingerite, dum paludem transimus; nam vos arte jaculandi plurimum polletis. Ut vero primum Thorgrimus cum suis paludem transgressus erat, ipse suique omnes id consilii cepere, ut armis ac scutis in terga rejectis, ad naves decurrerent. Quo viso, rex: turpiter principem tuum deseris, imprudens fui, cum te præfecti dignitate ornavi, Sigurdo Cane in exsilium misso, qui nunquam se talem præbiturus fuisset.

Cap. 37. [Rex Magnus vulnus accepit, gæso[2] per utrumque femur supra genua trajectus. Ille vero manubrium gæsi manibus prehensum inter crura diffregit, his usus verbis: ita, juvenes, quodlibet ossiculum[3] frangimus, nos hostibus au-

---

gnum Nudipedem. c) *Magnúss M*, i. e. *egg Magnúss hneit við fjör seggja, málmsækir rauð mæki, en sótti i gegnum lið*, i. e. acies (gladius) Magni vitalia virorum tetigit, hic præliator ensem cruentavit et militum ordines pervasit. d) *málmsækir*, id., *M.* e) Ignorat hanc stropham *Hk.*

1) Huvam, *M.* 2) Postea omnes, qui a tergo erant, versis tergis per paludem transierunt, ipse vero rex sub signo consistens prælium commisit, rem successuram ratus, quod sui longe jam tempore Hibernos pecudum instar concidissent; verum, cum bini semper ex mediterraneis advenientes singulis cæsis successissent, aciesque circa signum rarior esse cœpisset, rex Magnus punctam accepit, hasta etc., *M.* 3) *sperrileggr* est crus medium in pedibus posterioribus ovium, inter femen et crus infimum, cui per suffraginem junctum est; quod nomen derivatur ex *leggr*, tibia, et *sperra*,

dacter resistere pergamus, neque enim hæc plaga mihi nocebit. Post paulo collum regis prope humeros securi Hibernica percussum; quæ plaga ei mortifera exstitit. Vidkunnus Jonis filius, eo momento regi proximus adstitit, atque extemplo hominem, qui regi hoc vulnus inflixerat, in duas partes gladio dissecuit. Eo loco rex Magnus cecidit, quo facto plerique Norvegorum fugam capessiverunt. Rex, cum cecidisset, se letali plaga vulneratum sentiens, Vidkunnum his alloquitur: saluti consule, nam vero proximum videtur, fore, ut heic loci inter nos disjungamur; tu vero strenuam et fidelem operam mihi navasti; filios meos, omnesque cognatos et amicos meo nomine salvere jubeas. His dictis moritur rex. Tum Vidkunnus signum regium et ensem Leggbitum corripuit et ad naves deportavit. Postremi fugerunt Vidkunnus Jonis, Sigurdus Ranii, Dagus Eilivi. Cecidere cum rege Magno Eyvindus Olbogius, Ulvus Ranii, Erlingus filius Erlendi dynastæ, multique alii proceres Norvegorum; ex Hibernis tamen multo plures. Vidkunnus Jonis hoc prælio tria vulnera acceperat; cujus virtus et opera principi navata magnis laudibus celebrata est. Quibus rebus factum est, ut eum filii Magni regis postea summis in deliciis haberent. Omnes Norvegi, qui quidem effugerant, relicta confestim Hibernia, primo [in altum solverunt, et dein citato cursu[1] in Orcades contenderunt. Rex Sigurdus, cognita morte patris, his se socium itineris adjunxit; illi eodem autumno boream[2]

proprie canterius, in specie, tenue illud os, quod cruri medio pæne accretum est, cujusque extremitas suffraginem efficit. Hoc os ictu nudi pugni contracti oblidere, specimen fortitudinis etiamnum vulgo habetur.

[1]) Sic *H;* omitt. *A.* [2]) orientem, *H.*

versus in Norvegiam revecti sunt[1]; Sigurdus vero filiam Hibernorum regis ab occidente maris (in Orcadibus) reliquit.

Cap. 38. Rex Magnus, cum cecidit, triginta annos compleverat, decem annos fuerat rex Norvegiæ. Quo regnante intestina quidem pace res quietæ, sed expeditionum laboribus ac sumtibus graves. Fuit rex Magnus apud suos in primis gratiosus, rusticis paullo durior visus. Idem amicis monentibus, eum foris bella gerentem imprudenter agere, quod se in quovis prælio præter ceteros conspicuum faceret, respondisse fertur: regem magis decere gloriam, quam vitam longam[2].

[1]) tum Magnus Erlendi et Hakon Pauli Orcadibus dynastæ præfecti sunt, add. *M.* [2]) cap. 38. ignorat *M.*

HISTORIA REGIS SIGURDI HIEROSO-LYMIPETÆ AC FRATRUM EYSTEINIS ET OLAVI.

HISTORIA REGIS SIGURDI HIEROSOLYMIPETÆ AC FRATRUM EYSTEINIS ET OLAVI.

Cap. 1.

Post mortem regis Magni Nudipedis, filii ejus, Eystein, Sigurdus, Olavus, regiam dignitatem in Norvegia adepti sunt. Ex quibus Eystein regni partem borealem, Sigurdus australem[1] nactus est. Olavus rex creatus est, annos natus quinque[2] aut quatuor, ambobus fratribus tertiam regni partem, quæ ipsi cesserat, conservantibus. Sigurdus rex creatus est, annos natus tredecim aut quatuordecim, Eystein uno anno major. Cum filii regis Magni Norvegiæ reges creati sunt, advenerunt partim ex Palæstina, partim Constantinopoli, qui cum Skoptio Ögmundi filio peregre profecti fuerant; qui summam ex hac profectione gloriam adepti sunt, variasque res novas referre habuerunt. Hi cum præter alia significarent, Norvegos, qui imperatori Constantinopolitano nomina dare vellent, affluentissima divitiarum copia potiri, magna Norvegorum multitudo, novitate rei excita, peregre proficiscendi cupiditate incensa a regibus petiit, ut alteruter eorum copiis, peregrinationem suscepturis, ducem se præberet. Quo concesso reges communi sumtu profectionem adornarunt. Cujus profectionis societatem complures, tam præfecturis ornati, quam potentiores

[1]) orientalem, *M.* [2]) *M*, ut videtur, tres.

coloni, expetiverunt. Apparato itinere, constitutum est, ut rex Sigurdus peregre proficisceretur, rex Eystein utriusque nomine rempublicam administraret[1]. Uno anno aut duobus post mortem regis Magni Nudipedis Hakon Pauli dynastæ filius, ex Orcadibus in Norvegiam advenit. Cui reges nomen dynastæ et præfecturam Orcadum, quantam pater ejus Paulus tenuerat, concesserunt. Quo facto ille in insulas reversus est.

Cap. 2. Quatuor[2] annis post occisum prælio regem Magnum rex Sigurdus omnia ad profectionem comparaverat, magno collecto numero militum splendide armatorum, qui ex omnibus regni partibus in societatem profectionis delecti erant; quod testatur Thorarin Stuttfeldus:

Præstantes fidelesque
milites undique ad
regem, fortitudine
cluentem, confluebant:
uti fama cognitum est,
vere regio sangvine ortos
olim sapientissimo Krakio
sese comites adjunxisse[3].

---

[1]) *M* de his aliter, et breviori narratione, regem sponte, cupiditate ductum, hanc peregrinationem suscepisse: et antequam posset delectum habere militum, quos ad hanc peregrinationem lectissimos cupiebat, ipse ac frater regni civium et universæ multitudinis voluntates sibi conciliare studuerunt. Quam ob rem rempublicam tyrannide, vario servitutis genere, et gravibus oppressionibus et oneribus liberarunt, quibus reges ac dynastæ superiores, ut supra demonstratum est, plebem oppresserant; unde factum est, ut hi fratres, mutata in libertatem servitute, nniversi populi animos et gratiam sibi conciliarent. [2]) tribus, *M.*

[3]) Ordo: *Framr hollr herr dreif hvaðanæfa til handa hauksnjöllum grami, sva sem a) höfðu frétt, rétt konúnga kyn b) margspökum Kraka fyrr í c) för d).*

a) intellige: *menn.* *b*) intellige ex præcedentibus: *káfa*

Antequam fratres digrederentur, rex Sigurdus Eysteini: jam hoc iter tuo, frater, auxilio et impensis apprime comparatum et instructum est, quare permagni interest, ut splendido successu utar, et nobis omnibus hac peregrinatione possit aliqua gloria, aut salutis commodum acquiri. Cui rex Eystein: bono uteris successu, frater, quippe qui virum spondeas, in rebus gerendis magna usurum strenuitate et magnificentia; ego vero interea, quæ in me est reipublicæ administrandæ prudentia, regni nostri curam gerere studebo. Quibus dictis fratres digressi sunt[1]. Rex Sigurdus sexaginta naves, omnes bene instructas[2] habuit. Sic [Thorarin Stuttfeldus[3]:

Tantus numerus militum,
liberali principi addictorum,
ad regem, multa præditum
sapientia, confluebat,
ut sexaginta naves pulcris
tabularum commissuris
spectabiles, hinc per mare,
Dei candidi cura, laberentur[4].

---

drifit til handa; de simili ellipsi quædam attuli ad Scr. hist. Isl. Vol. 2. p. 259. Quod attinet ad rem, conferatur hist. Rolvi Krakii, *Fornaldar S.* ed. C. C. Rafn, Vol. 1., inprimis pag. 46. c) *H* exhibere videtur *fyrri*, una voce. d) *M* nullam habet lectionis varietatem; nescit hanc stropham *Hk*.

1) Inde a stropha om. *Hk*. 2) e Norvegia, add. *H*. 3) Thorvaldus Blandæ poeta, *M*; hujus poetæ duas tresve semistrophas allegat Skalda.

4) Ordo: *Svá mikit framt lið margspaks fylkis, vilt a) mildingi, kom saman, at sextigir skarfögr skip hnigu heðan um b) lög, við sköp c) hreins guðs d).*

a) *viljat*, eod. sensu, *H*. b) *of*, id., *H, M, Hk*. c) *skip*, *A*, *H, M*; alii *sköp*; *Hk.*, *Å*, *skaup* (i. e. *sköp*), *G*, *skap*; suscepi lectionem *sköp*, quod ea lectione *hreins guðs* unice convenire, neque constructio *skip við skip* h. l. satis apta videbatur.

Cap. 3. Rex Sigurdus autumno proxime insequenti[1] occidentem versus in Angliam trajecit, quod testatur Thorarin[2]:

Concinnæ, dolatæ tabulæ
navium per occidentale
mare ad solum natale
Anglorum lapsæ sunt.
Elegans Thrandorum rex
ea in terra, ut ubique,
omnium hominum est
habitus præstantissimus[3].

Eo tempore Angliæ imperavit Henrikus, filius Vilhelmi Nothi; is regem Sigurdum humanissime excepit, quare hic apud eum hiemem degit. Sic Einar Skulii:

Rex in laboribus maritimis sustinendis
felix,. maximas copias occidentem
versus duxit; navis, qua vectus est
princeps, ad terram Angliæ lapsa est.
Rex, lætus vindicta, proras navium
quiescere fecit, atque hoc loco totam
hiemem transegit; quo præstantior
rex nullus navi in terram escendit[4].

---

d) *goðs*, id., *M*; *grams*, regis, *Hk.*, sed *heiðs grams*, sereni regis, sec. correctionem Prof. F. Magnusenii.

[1]) ab Hördalandia, add. *M.* [2]) Sic et *H*; *M*, qui sequentem stropham priori connectit, eandem Thorvaldo Blandæ poetæ tribuit.

[3]) Ordo: *Skaplig, skafin skipa borð a*) *óðu vestr um haf at ættjörðu Eingla. Snjallr jöfurr þrænda þótti þarlands, sem b*) *hvar, allsherjar yfirmaðr c*).

a) *börð*, id., vel proræ, *M*, metro convenientius. *b*) Sic *H*, *M*; omitt. *A*. *c*) Ignorat hanc stropham *Hk*.

[4]) Ordo: *Vásauðigr a*) *vísi b*) *réð mestum helmingi vestr; ægis marr c*) *óð und d*) *harra at ensku láði. Heiptglaðr e*) *hilmir lét stál f*) *hvílast, ok var þaðra vetrleingis; nè betri gramr stígr af g*) *val Vimrar h*).

a) *vásöflugr*, in lab. mar. perferendis fortis, *Hk*. *b*) *vísir*,

Cap. 4. Sequenti vere rex Sigurdus classem occidentem versus in Vallandiam (Galliam occidentalem) duxit, [et autumno in Galliam pervenit[1], ubi hiemavit[2]. Sic Einar:

Atque regnipotens, quo præstantiori
nemini regno præesse contigit
solis sub camera, altera hieme
in terra Jacobi vitam degit.
Heic populi princeps fidem a
præstante dynasta migratam
ultus est; rex acri animo præditus
sangvinolentum satiavit alitem[3].

---

id., *H.* *c*) equus maris, i. e. navis. *d*) *við*, eod. sensu, quanquam minus usitata ratione, *E.* *e*) pugna lætus, *Hk.* *f*) *stol, H*, scriptione Norvegica. *g*) *á, Hk.*, navem conscendit, eod. sensu. *h*) accipiter Vimræ (fluvii), i. e. navis; ignorat hanc stropham *M.*

[1]) proximaque æstate commodos ventos serius nacti, autumno ad terram Jacobi (Galliciam) appulerunt, *M.* [2]) alteram hiemem transegerunt, *M, Hk.*

[3]) Ordo: *Ok þjóðkonúngr, sá a) er b) æztr c) gat ríki und d) sólar ranni e), ól önd f) annan vetr á Jakobs landi; þar frá ek hilmi herjar gjalda frömum jarli lausmæli: snarlyndr gramr bræddi g) svan h) hjaldr- i) síma k).*

a) *H, Hk.*; *er, A.* *b*) *H, Hk.*; *sá, A.* *c*) *æzt, Hk*, i. e. *æzt ríki*, regno præstantissimo. *d*) *H, Hk.*; *undir, A.* *e*) camera solis, i. e. cœlum. *f*) similis est locutio, hodie usitata: *ala manninn*, diutius hærere, commorari in loco aliquo. *g*) *birti, E*, vide *k*. *h*) *svá, E*, vide *k*. *i*) *hjaldrs, Hk.* *k*) *svartan, E*, i. e. *gramr birti svá svartan hjaldr*, rex hoc modo atram (i. e. infestam) pugnam conspicuam dedit; *snemma, Hk.*, i. e. *gramr bræddi snemma hjaldrs svan*, rex mature (prima jam ætate) satiavit prælii cygnum (corvum); h. l. *svanr hjaldrsíma*, debet esse corvus v. aquila, incertum, qua ratione. Invenio *sími* (propr. vinculum) inter maris appellationes in *Edd. Sn.*, itaque *hjaldr-sími*, mare, liquor prælii, potest esse sangvis, et hujus *svanr*, corvus, quo in versione respexi. Pos-

Cujus eventus ea fuit ratio: dynasta, terræ præfectus, pacem cum rege Sigurdo fecerat in eas conditiones, ut ei per totam hiemem forum cibariorum venalium constitueret; quod cum non diutius, quam ad tempus festi Jolensis duraret, magna cœptum est laborari cibariorum inopia: est enim terra sterilis et rei cibariæ inops. Tum rex Sigurdus castellum, quod dynastæ erat, aggressus est; dynasta, paucitate copiarum laborans extemplo aufugit. Heic rex Sigurdus magnam vim cibariorum aliudque prædæ genus cepit et ad naves deportari jussit; indeque comparato itinere, occidentalem Hispaniæ oram prætervectus, prædones aliquos maritimos, qui prædandi causa cum classe triremium[1] excurrerant, obvios forte habuit. Quos prælio aggressus rex Sigurdus, cum paganis hominibus primo inito certamine, hos octo triremibus multaque præda exuit; quod testatur Haldor Skvaldrius (sonorus):

Prædonesque inamabiles
obviam regi bellipotenti
contenderunt; princeps
autem bellatores dejecit.
Milites octo triremes nudarunt
propugnatoribus, quo loco haud paucæ
ceciderunt copiæ. Amicus militum,
omnibus gratiosus, prædam nactus est[2].

Inde rex Sigurdus castellum aliquod in Hispania,

sis etiam *símar*, f. plur., de Parcis intelligere (a *sími*, filum parcarum), et *hjaldr-símar* de bellonis cæsilegis (*valkyrjur*), quarum *svanr*, corvus v. aquila apte dicitur. Ceterum ignorat hanc stropham *M.*

[1]) septem triremium, quæ naves et sunt ingentis magnitudinis et ad expugnandum difficiles, *M.*

[2]) Ordo: *Ok fádýrir a) víkingar fóru at b) móti Fjölnishróts c) -ríkum gram: vísi hlóð vigásum d). Herr náði at hrjóða átta galeiðr, þar er e) fátt lið fèll-at. D. eingja vinr, hollr fyrðum, hlaut feingi.*

Sintram * dictum, aggressus, alterum ibi prælium commisit; ex quo castello pagani excursiones in christianos faciebant. Hoc castellum expugnavit, et paganos, qui ibi erant, ad unum omnes occidit; hoc enim genus hominum christianam religionem amplecti noluit. Heic ingenti præda potiti sunt, gratias omnium christianorum his rebus gestis promeriti. Sic Haldor:

Ea referam magna regis facinora,
in Hispania quæ gesta fuere,
cum princeps auri liberalis
Sintre fortiter oppugnavit.
Præliatoribus, qui divinum
cultum sibi oblatum aspernati
sunt, nimis periculosum fuit,
adversus regem Hördorum pugnare[1].

Cap. 5. Post hæc rex Sigurdus classem appulit ad oppidum, dictum Lissibonam, in Hispania situm, cujus pars dimidia a christianis, altera a paganis habitatur; quod sic terminum constituit Hispaniæ christianæ et paganæ; nam omnes pagi,

---

a) *Hk.* T. 6. p. 184. vert. nobiles, minus recte. *b*) *á*, id., *H.* *c*) *hrjóts, H*; *Fjölnis hrót,* procella Odinis, pugna *Hk.*; jungit *at móti Fjölnis hróts,* in prælio; ego putavi jungi posse *Fjölnis-hróts-ríkr,* quemadmodum *hjaldr-ríkr.* *d*) priorem semistropham nescit *M.* *e*) Sic et *M*; omitt. *H*; *en,* pro *þar er, Hk.*

*) Oppidum Estremaduræ, haud longe ab Lissabone distans caurum versus.

[1]) Ordo: *Ek a*) *skal b*) *inna c*) *þau stór verk konúngs, er váru á Spáni*; *slaungvir Vánar dags vann sóttan d*) *prútt Sintre. Hermönnum e*), *þeim f*) *er níttu g*) *gerfa goðs h*) *rétti sèr boðnum, gerðist heldr grátt* (*at*) *berjast við gram i*) *Hörða k*).

a) Om. *H.* *b*) *á*, referenda sunt, *M.* *c*) *vinna, H.* *d*) *sóttan, H.* *e*) *hermenn, Hk.*, vide *k.* *f*) omitt. *Hk.* *g*) *neittu*, id., *Hk.* *h*) Sic *M*; *guðs, A, Hk.* *i*) *gramr, Hk.*, v. not. sequ. *k*) *halda, H*; *harða, Hk.*, i. e. *gramr gerðist berjast heldr grátt við harða hermenn,* rex perquam atrociter cum strenuis præliatoribus pugnavit.

inde ad occidentem vergentes, paganæ religioni adhærent. Heic rex Sigurdus tertio cum paganis pugnavit, et victoria potitus magnam prædam acquisivit. Sic Haldor Skvaldrius:

Animosus princeps, regio sangvine
ortus, tertiam reportavit victoriam
in australi regione, quando ad
urbem, dictam Lissibonam, appulerat[1].

Inde rex Sigurdus Hispaniam paganam occidentalem circumvectus, appulit ad oppidum, dictum Alkassam[2], ubi quartum prælium adversus paganos fecit, et oppidum expugnavit; omnes, qui non fugerunt, occidit, res omnes depopulatus est, et oppidum vastavit. Sic Haldor:

Audivi te, qui aciem in prælia
raptim provehis, acre certamen
quarto vincere cupivisse, peregre,
eo loco, qui Alkassia dicitur.
Audivi, uno in oppido devastato
patratas res, feminæ paganæ
dolendas; multitudo id cepit
consilii, ut in fugam se conjiceret[3].

---

[1]) Ordo: *Snjallr lofðúngs kundr a) vann b) hinn þriðja sigr suðr á fróni, er lendut við borg þá, er kalla Lissibón c).*

a) Sic *Hk.*; *k.*, *M*; *kind*, *A*, *H*, eod. sensu, et usu frequenti, sed obstat h. l. adjectum *snjallr*. *b*) *vant*, reportasti, *M*, *Hk.*, quod melius convenit sequenti *lendut*; sed enallage personarum frequens est. *c*) Cod. *H* nullam exhibet h. l. lectionis varietatem.

[2]) *Alkassa*] *Alkasse*, *E*; ex mente Sk. Thorlacii (*Hk.* T. 3. præf. p. 21, not. c) *Alkassa* est oppidum regni Fessani, freto Herculeo adsitum, haud procul a Tanger *s.* Tingi distans, quod *Alcassar* s. *Alkasser* hodieque dicitur. Vero similius *Alcacer-do Sal* in provincia Estremadura (Versio Danica hujus historiæ Havn. 1832, p. 69 not. 1).

[3]) Ordo: *Fólkþeysandi! ek frá yðr fýsast at vinna hvassan styr fjórða sinni, út þar, er heitir Alkassi a). Ek frá unnit*

Inde ex cursu continuato ad freta Njörvica (fretum Gaditanum) provectus est, ubi ingens classis prædonum ei occurrit; quos statim prælio adortus, quintum adversus paganos prælium fecit, et victoria potitus est. Sic Haldor:

Ausus es gladium tingere
ad orientem freti Gaditani;
te Deus adjuvit. Aquila
ad nova devolavit vulnera[1].

Cap. 6. Inde rex Sigurdus, cursu meridiem versus flexo litora Serklandiæ (Africæ) prætervectus, ad insulam, quæ Forminterra[2] dicitur, appulit. Hic magna paganorum hominum[3] multitudo in antro quodam consederat, cujus ostium muro lapideo præmuniverant[4]. Hi multa terræ loca populabundi obierunt, omnemque prædam in antrum comportarunt. Rex Sigurdus in hanc insulam egressus, accessit ad antrum, quod in anteriori parte rupis situm erat, arduo adscensu, per acclivia ferente, ad murum lapideum, super quem rupes prominebat. Pagani in antro aderant, indeque murum lapideum defendebant, arma Norvegorum minime timentes, quippe qui saxa telaque e loco superiore in subeuntes ingerere possent, qua re Norvegi primum ad murum la-

---

til sorga heiðins víſs í einni eyddri borg; herr hitti at drífa á flótta.

a) *Alkass í*, *A*, *H* et *M*; *Alkasse*, *E*; potest et ordo sic institui: *fólkþ.! ek frá yðr fýsast út þar, er h. Alk., at vinna hv. styr* 4. *sinni*, qua constructione situs Alkassæ, in Africa positæ, melius distingveretur.

[1]) Ordo: *Treystust* (*at*) *rjóða egg fyrir austan Njörvasund a*): *guð tjóði yðr*; *náskári fló til nýra unda b*).

a) *Nörvasund*, id., *M*, *Hk*. *b*) In *H* nulla est lectionis varietas.

[2]) Sic *M*; *Formitena*, *A*. [3]) Blamannorum (Maurorum), *Hk*.
[4]) quibus omnibus pro munimento utebantur, add. *M*.

pideum subire non ausi sunt. Tum pagani bombycina et res pretiosas in murum extulerunt, quassatasque Norvegis ostentarunt, inclamantes eos, et ignaviam objicientes. Heic rex Sigurdus talem iniit rationem: duas scaphas, quas Barkas vocant, in rupem supra antri ostium subduci jussit, [harumque costas et proras puppesque usquequaque[1] crassis ac firmis funibus constringi; quo facto scaphæ, viris[2] quot capere poterant completæ, ad antrum ope funium demissæ sunt. Tum, qui in scaphis erant, tela ac saxa tam crebro in paganos ingesserunt, ut ex muro lapideo repulsi, in secessum antri recederent; armis enim ad defendendum minus idoneis utebantur. Tum rex Sigurdus cum maxima parte copiarum [ad rupem subiit, murum lapideum perfregit et antrum ingressus est[3]. Pagani in interius antrum refugerunt, superato muro lapideo, qui per transversum antrum ductus erat, indeque sese defenderunt. Sic Haldor:

Regis adversus Saracenos gesta
magnam celebritatem habuerunt:
exasperator pugnæ barcas jussit
per rupium prærupta demitti;
sed militiæ strenuus auctor
tumultus bellici, suis comitatus,
ex inferiore loco ad antrum
per acclivia adscendebat[4].

---

[1]) Om. *M.* [2]) sagittariis cum arcubus, add. *M.* [3]) per acclivia ad murum lapideum successit, et portas a paganis non defensas effregit, *M.*

[4]) Ordo: *Bragnings verk á Serkjum hafa gerzt a) fræg: böðstyrkir b) lèt c) barka siga ofan fyrir gagnstig gýgjar d), enn hernenninn Göndlar þings gný-þróttr e) sótti f) neðan í hall at helli með gengi.*

a) görzt, id., *M.* *b) böþsterkir,* id., *M; böðstyrkr,* adj., in pugna fortis, *Hk.* *c) lézt,* jussisti, *M; léztu,* id., *E.* *d)* verbo

[Quam rem Thorarin Stuttfeldus ita describit[1]:

Rex pugnæ peritus
suos jussit duo
cærulea navigia
in rupem trahere;
moxque firmæ scaphæ,
milite plenæ, ob antri
laterales portas
funibus demissæ[2].

Deinde rex ligna ingentia ad antrum comportari, ingentem rogum in ostio antri exstrui, subjectisque flammis incendi jussit. Pagani vero, ignis fumique violentia fatigati, partim vitam amiserunt, partim telis Norvegorum se objecerunt. Qua de re sic poeta:

Regis bellicosi
proris objecta est
Formintera, ubi,
prælio commisso,
ignis gladiorumque
vim pati coacta est
gens Maurorum,
antequam leto daretur[3].

---

tenus: trames directus gigantidis, i. e. abrupta montium præcipitia. *e*) tumultuosæ pugnæ deus v. pugnæ deus tumultuosus, i. e. præliator intrepidus; *gný-þrótt*, omisso *r*, *H.* *f*) *sóttir*, adscendisti, *Hk.*

[1]) Omitt. *M.*

[2]) Ordo: *Gunnhagr a) gramr bauð b) guma a) draga tvá blásvarta byrvarga c) á bjarg: þó er ramdýr þrama d) með lið sigu í reipum fyrir hlið-dyr hellis.*

a) legi non possunt in *H.* *b*) *bað*, *Hk.*; quoniam verbum *bjóða*, quantum scio, nunquam cum accus. personæ ponitur, forte h. l. pro *bauð* scribendum *böð*, ubi *ö* vicem sustinet *του a.* *c*) Sic *M*, *Hk.*; *byvarga*, *A.* *d*) ad verbum: robusta animalia trabium marginalium, i. e. naves.

[3]) Ordo: *Formintera varð fyrir stafni styrjar a) auki b),*

Ibidem homines ad unum omnes interfecti et cremati, teste Haldore:

Rex homines, qui fuga
præcipiti recesserant,
obtruncavit, vocibus
horrendis antro resonante;
vetusto expugnato munimento,
servos diaboli e medio
sustulit; ignis miseros illos
homines cruciatu affecit[1].

Eo loco majori præda, quam alibi usquam in hac expeditione, potiti sunt.

Cap. 7. Inde rex Sigurdus ad insulam, dictam Ivitzam, advectus, septimum prælium cum paganis commisit. Sic Haldor:

Multum celebratus clypei
rubefactor classem ad Ivitzam
deduxit: gloriosus enim rex

[friðr raskaðist c). *þar varð Blámanna lið þola eggjar ok eld, áðr fengi bana* d).

a) Sic *H, Hk.*; *styrkar, A.* *b*) accepi pro dat. *τov aukir*, qui auget, quod, quamvis alibi non obvium, genio lingvæ conveniens esse puto; vel sic ordina: *Formintera, styrjar auki, varð fyrir stafni*, Formintera, belli augmentum (fecundam præliorum materiam præbens), proris objecta est; *gjörnum, Hk.*, i. e. *styrjargjörnum stafni*, proræ belli cupidæ, satis insolenter; multo melius convenit lectioni *friðraskaði.* c) *friðraskaði*, dat., *E; friðraskaðar*, gen. *Hk.*, a *friðraskaðr*, turbator pacis, i. e. bellator. *d*) ignorat hanc stropham *M.*

[1]) Ordo: *Konúngr a*) *náði meiða þat fólk, er flýði undan ferð-skundliga b*) (*illr hreimr c*) *varð í helli*), *banð djöfuls þrælum aftig d*) *lífs, þá er unnut gamalt* c) *vigi; úsæl öld beið kvöl í eldi f*).

a) *k.*, abbreviate, *M.* *b*) *skundila*, id., *M.* *c*) Sic *H, M*; *heimr, A*, mendose. *d*) Etsi vereor, ne hæc lectio corrupta sit ex *afstig* (quod pluribus parallelis adstrui potest), tamen eam non sollicitandam duxi, si forte ejus vera radix aliquando indagari possit. *e*) Sic *H, M*; *gamall, A.* *f*) nescit hanc stroph. *Hk.*

pugnandi cupiditate flagrabat[1]:
Deinde rex Sigurdus cum copiis ad insulam[2] dictam Minorcam, advectus, octavum cum paganis prælium fecit. Sic Haldor:

Octavum deinde prælium
commissum est in viridi
Minorca, ubi regii milites
tinxere cruore sagittas[3].

Cap. 8.[4] Rex Sigurdus eodem vere in Siciliam pervenit, ubi diu commoratus est. Dux Rodger, qui eo tempore huic regno præfuit, regem Sigurdum liberaliter exceptum ad convivium invitavit; quo magno cum numero comitum delatus, splendidissimo apparatu accipitur. Dux Rodger quotidie ad mensam stetit, et regi Sigurdo ministravit[5]; atque octavo[6] convivii die, cum convivæ accubuerant manusque laverant, rex Sigurdus dynastam prehensa manu in solium ad se duxit, eique regium nomen dedit, hoc jure con-

---

[1]) Ordo: *Margdýrkaðr merkir a) morðhjóls kom skipa stóli til b) Ívitzu: fremdar ræsir c) var fúss friðslits d).*

a) hæc vox in *M* cerni non potest. b) Sic *H, M, Hk.*; *í, A.* c) Sic *H, M, Hk.*; *rásir, A.* d) *M*; in *A* videtur esse *fyrir slits.*

[2]) Nordmannis, add. *H.*

[3]) Ordo: *Síðan knátti enn hin a) átta b) oddhríð verða háit* c) *í grænni Manörk: ferð grams rauð d) Finns gjöld e).*

a) Sic *E*; *in*, id., *H*; *hinn, A*; *hina, Hk.* b) *átto, Hk.* c) *vakit, Hk.*, i. e. *grams ferð knátti síðan enn vakit hina átto oddhríð.* d) Sic *A* et *H*; *lèt, E.* e) *gjald, E*; sequor interpretationem celeb. F. Magnusenii, *Finns gjöld* tributum Finni (i. e. sagittas) explicantis, quæ ratio unice vera est; J. Olavius et Sk. Thorlacius per *Finnsgjöld*, tributum Odini solutum, stragem intellexerunt; sed *Finnr* inter nomina Odinis non invenio.

[4]) H. l. unum folium abesse videtur in *M.* [5]) Sic *H*; et regi Sigurdo ad mensam ipse ministravit in convivio, ad quod eum invitaverat, satis magno cum apparatu, *A*, oratione ut videtur manca. [6]) septimo, *Hk.*

cesso, ut [imperio Siciliæ rex præesset, omnesque post cum regnantes regio nomine uterentur[1], cum antea dynastæ huic regno præfuissent[2]. Rodger, Siciliæ rex, potentissimus princeps evasit: subjecit sibi totam Apuliam (regnum Neapolitanum) multasque insularum majorum in mari Græciæ (Archipelago)[3]. Ejus filius erat Vilhelmus Siciliæ rex, qui cum imperatore Constantinopolitano diutina bella exercuit; eidem tres erant filiæ, nulla vero mascula proles; harum unam imperatori Henrico, filio imperatoris Fridreki[4] collocavit, quorum filius erat Fridrekus, postea imperator Romanus; alteram filiam regis Vilhelmi dux Cypri duxit, tertiam Margritus[5] archipirata, quos utrosque imperator Henricus e medio sustulit. Filiam Rodgeris potentis, Siciliæ regis, in matrimonio habuit Manulius[6], imperator Constantinopolitanus, quorum filius fuit Kirjalaxius imperator.

Cap. 9. Proxima æstate rex Sigurdus trajecto mari Græciæ in terram Hierosolymitanam navigavit. Ex alto delatus oppidum Acren attigit, ubi naves suas reliquit. Sic Einar Skulii:

Haud simplex poetæ materies adest
regnipotentis magnificentiam
concelebrandi: liberalis enim rex,
postquam tabulas navium, adsperso
mari frigidas, in salo Græciæ jactari
fecerat, naves ad perquam latum
oppidum Acren appulit; læta dies
omnibus copiis ipsique illuxit regi[7].

---

1) ei regno, quoad viveret, rex præesset, *H.* 2) h. l. *Hk.* spuriam laciniam, ex edit. Peringskjoldiana decerptam, assuit. 3) mari Saracenico (Africano), *E.* 4) Sic *Hk.*; Henrici, *A, H.* 5) Margavitus, *H.* 6) Manuel, *Hk.*

7) Ordo: *Skaldi es-at a) einfalt lof um risnu alvalds: hilmir lèt hafkaldan húf svifa i Grikksalti, áðr auðlestir festi skip*

Inde rex ad urbem Hierosolymorum adscendit. [Baldvinus autem, eo tempore Hierosolymorum rex, de itinere regis Sigurdi certior factus, cum cognovisset, eum urbem ingredi statuisse[1], viam, qua in urbem veheretur, pretiosis pannis sterni jussit. Idem suis: audivistis, inclytum regem ex septemtrionali terrarum orbe nobis adfuturum; de cujus plurimis et celebribus facinoribus, quibus adversus paganos gestis divinam ecclesiam christianam corroboravit, cum fama ad nos pervenerit, conveniens est, ut eum plurimo honore habeamus magnique æstimemus. In hoc autem adparatu magnificentiam et superbiam ejus æstimare licebit: quod si recto itinere urbem invectus fuerit, adparatum, quo honoris ejus causa usi sumus, parum curans, sic judico, eum tali honore domi adsvetum esse; sin vero itinere deflectat, neque in pannos invehi velit, vero simile est, [patriam ejus[2] divitiis parum abundare. Rex Sigurdus urbem superbe advehitur, et protinus ipse suique omnes in vestes equos concitant, adparatum pensi non habentes; rex enim antea suis præceperat, ut quibuslibet animadversis rebus insolitis parum moverentur. Quem rex Hierosolymorum honorificentissime excepit, et ad Jordanem, indeque rursus Hierosolyma equo vectus comitatus est. Rex Sigurdus se flumine Jordane lavit. Sic Einar:

Commemoro, regem serenissimum
terram Hierosolymitanam visum
ivisse; quo nullum præstantiorem
regem in terris norunt homines.
Et princeps, auri liberalis,
extemplo se lavit aqua

---

við einkar breiða Akrsborg: öll öld beið feginsmorgin með stilli.

a) Sic *Hk.*; *æsat*, id. (*æ* pro *e*), *A.*

[1]) Sic *H*; omissa in *A.* [2]) cum domi, *H.*

pura Jordanis; quæ ratio
laudabilis existimata est[1].

Insequenti autumno et prima hieme rex Sigurdus diu in Palæstina commoratus est.

Cap. 10. Rex Baldvinus regi Sigurdo omnibusque ejus militibus splendidum convivium apparavit. Aliquo die, cum ambo reges magno gaudio variaque oblectatione exhilarati, una considerent, rex Baldvinus: de multis ingentibus facinoribus et rebus præclare gestis, quas in itineribus tuis, domine rex Sigurde, perpetrasti, edocti, magnopere de tuo in hanc terram adventu nobis gratulamur, ut quem arbitremur et ipsum tibi divinam opem et animæ salutem conciliasse, et nobis honorem adventu majestatis tuæ præbuisse. Quare tibi vicissim honorem ante omnes alios principes, qui nostra ætate huc venerunt, præstabimus. Accipe, a nobis, quæso, rem aliquam, quam et ipsi tibi maximo honori, et patriæ tuæ insignis gloriæ monumentum futuram existimes. Cui rex Sigurdus: Deus tibi, domine, gratiam referat, quod et ipse facturus sum, pro tua comitate, et quo me accepisti honore, nec non pro splendida illa conditione, quam mihi nunc obtulisti; quid vero electurus sim, ubi animo perpendi, post indicabo. Convivium magna cum elegantia multos dies duravit. Rex Sigurdus cum sæpius animo reputasset, quid eligeret, quod

---

[1]) Ordo: *Ek gèt þess, er a) ógnbliðr gramr fór vitja Jórsala bygðar: meðr vituð b) æðra auðling und víðum glygs sal; ok hauka fróns leyghati náði hvatt c) laugast í hreinu vatni d) Jórdánar; þat ráð var leyft.*

a) Omitt. *H.* *b*) Sic *Hk.*; *vittu*, *A*, haud dubie mendose, pro *vitut*, id.; *mæðr* (*æ* pro e) *vita* (pro *vitu-a*), id., *H.* *c*) *hvatr*, strenuus, *Hk.* *d*) *vatri*, id., *Hk.*, quam lect. præferendam puto, tam quod rarior est, quam quod *hvatt* (quod ex *hvatr* facile depravari potuit) in hoc contextu minus aptum videtur.

ipsi maximam parere gloriam posset, cogitando persvasit sibi, inde sibi maximam salutem tam in præsenti, quam in futurum, orituram, si partem sanctæ crucis, cui Dominus noster affixus fuerat, accepisset; ante eum enim nemini ex terrarum septemtrionalium incolis contigerat, ut crucis, quæ Hierosolymis conservatur, sanctas reliquias accepisset; ea vero pars crucis, quæ Constantinopoli conservata, in sacros usus distributa erat, a corpore domini nostri remotior fuerat. Nam auctoritate Helenæ imperatricis media crux serra dissecta est, quo facto utramque crucem rite curari jussit, partemque, Christo crucifixo aversam, Constantinopolin filio Constantino misit, ea parte, quæ sangvine ex vulneribus domini manante maxime perfusa fuerat, Hierosolymis asservata. Paulo post quam reges convenerant, cum rex Sigurdus se optionem animo concepisse testatus esset, communi consilio decreverunt, ut comitia publica ab rege Baldvino edicerentur. Concione advocata et ordinata, rex Sigurdus oratione demonstravit, quot quantisque ipse honoribus ab rege Hierosolymitano affectus esset: ex cujus officiis gratissima quidem est, inquit, illa honorifica nobis oblata conditio, rem totius regni optimam eligendi; quam nunc, Deo suggerente, elegimus, nimirum particulam augustæ crucis, qua dominus noster supplicio affectus est. Tum rex Baldvinus: de hoc gravi negotio, cum tu, rex Sigurde, particulam sanctæ crucis optaveris, adeundi et in consilium adhibendi sunt regni principes et christianæ ecclesiæ præsides, ne hanc rem tam gravis momenti privato arbitrio decidere videamur; nemo enim huc venit tantæ auctoritatis, ut hæc consecutus sit. At vero, si per doctos ac sapientes viros fieri liceat, non impediemus, quo minus ista, rex Sigurde, consequa-

ris. Dein rex Baldvinus, patriarcha, ceterique episcopi et viri sapientes de hac re inter se disceptarunt; quos cum consuluisset rex, qua ratione res optime curari posset, ita ut ipsi minimum periculum adirent, omnes rem arbitrio et curæ ejus permiserunt, hortantes tamen, ne tantæ sanctitatis reliquias regi Sigurdo traderet. Heic rex Baldvinus: providentia divina huic rei prospiciet, nosque Deum precabimur, ut nos faxit hac in re ita nos gerere, uti ipsius gloria quam maxime proficiat, nosque periculo animæ vacemus. Fama accepi, in terra, cui rex Sigurdus imperat, homines esse christianos, et in his multos bene moratos; esse in eodem regno locum celebrem, in quo rex augustus ac sanctus, cui nomen Olavo, requiescat; [cujus causa meritorum Deus omnipotens multa et insignia miracula efficiat[1]. Huic sancto regi partem crucis dabo, sanctoque loco, ubi quiescit, addicam, et regnum Sigurdi regis sanctis crucis reliquiis ornabo, ea lege, si jurare velit, se crucem eo deportaturum, ibique, neque alibi usquam, repositurum. Quo consilio ab omnibus probato, rex Baldvinus Sigurdo regi hanc rationem exposuit: nunc tibi, inquit, particulam sanctæ crucis in manus tradcmus ea conditione, ut tu cum undecim[2] tuæ cohortis nobilissimis antea jures, te sanctas hasce reliquias regi Olavo sancto delaturum, eoque loco servaturum; insuperque alia tibi observanda, quæ jurijurando adjungere porro volumus. Cui rex Sigurdus: etsi, cum in regnum meum reversus ero, domine, hoc pro honoris detrimento æstimabitur, quod [in eum finem[3] Hierosolyma adii, ut ibi jusjurandum duodenarium dicerem: tamen ejus rei periculum faciam, si tu ac patri-

[1]) Deo omnipotenti, meritorum suorum causa, amicus, *H.*
[2]) Sic *H*; omitt. *A.* [3]) Sic *H*; omitt. *A.*

archa cum decem viris juratis, vos mihi illius ipsius crucis, in qua ipse Dei filius supplicium et mortem perpessus est, particulam, non alius cujusquam arboris, tradere. Quod cum affirmassent, sumta est sanctæ crucis scindula. Mox jusjurandum ex conditionibus antea memoratis ab utrisque absolutum. Jurejurando ab Sigurdo rege dato conditio adjecta, ut religionem christianam intra regni fines ex totis viribus promoveret et confirmaret, sedem archiepiscopalem, si posset, in Norvegia constitueret, et tam hanc, quam sanctas crucis reliquias, ad ædem sancti Olavi esse juberet; item decimas regno imperaret, ipseque solveret. Deinde sanctæ istæ reliquiæ, modo quo jam dictum est, regi Sigurdo traditæ. Eidem multas alias sanctas reliquias rex Hierosolymitanus dedit, et præterea multas res raras ac pretiosas. Ita rex Sigurdus in terra Hierosolymitana, ut aliis locis, magnam gloriam et honorem consecutus est. Lavit se Jordane, uti antea dictum. Quam rem memorat Thorarin Stuttfeldus:

Iter regis, Endilis alitem
saturantis, in ore semper
hominum versabitur, dum
manebit aula arcis sidereæ.
Tu, gloriose princeps, qui
hastæ tumultum leucophææ
moderatus es, te humidis
lavisti laticibus Jordanis[1].

---

[1]) Ordo: *För a) Endils svörgæðis b) mun ey c) uppi, meðan salr sólborgar d) stendr; vegsamr gráns e) geirs gnýstýrir f), þú hefir þvegizt í vátri Jórdáni g).*

a) Sic *H*; *fjör*, vita, *A*. *b*) *svargæðis*, *H*; ales Endilis (piratæ), corvus. *c*) *æ*, id., *H*. *d*) arx solis est cœlum; aula arcis solaris, aula cœlestis. *e*) *grams*, *H*, prave, forte ex male intellectis siglis. *f*) *gnýstærir*, qui auxisti, *H*. *g*) Sic *A*;

Rex Sigurdus magnam vim pecuniæ ad ornandum domini sepulcrum, aliasque sacras ædes, quacunque iret, donavit. Sic Thorarin:

Hördorum princeps
strenue, pecuniam
sepulcro Dei
impendisti.
Neminem unquam,
te, rex, magis pium,
sol radiis lustrabit
bellicosum principem[1].

Cap. 11. His gestis rex Sigurdus Acren ad naves descendit. Tum quoque rex Baldvinus copias suas instruxit, in Syriam profecturus[2] ad oppugnandam urbem Sidonem[3], quæ urbs paganæ religioni erat addicta, [rege Sigurdo in societatem expeditionis adsumto[4]. Illi urbem obsidione clauserunt, neque multum temporis in obsidione

---

sed persvasum habeo, h. l. legendum esse *vátri Jórdánar*, in aqua Jordanis, nam *vátr* est antiquior forma vocis *vatn*, Angl. *water*. Omitt. hanc stropham *Hk*.

[1]) Ordo: *Hvatr fylkir Hörða, varðir [lofs a) skulut b) kviksáttar c) at gröf guðs d). Siklingr, sól skín æfa á fjöldyggra yggs* e) *svangæli, en þik f)*.

a) *gulli, H.* *b*) *glaðr, H.* *c*) *kviksættar*, id., *H*; hæc tria verba a signo [non video quomodo possint aptum h. l. sensum fundere; auri appellationem contextus poscit; quod etiam vidit exscriptor cod. *H*, qui tamen omnes leges metricas neglexit; ex tribus istis vocibus certissima est *kviksáttar*, obscura tamen; forte *kvikr* (propr. vivax) est serpentis vocabulum, tum *kviks átt*, familia serpentis, sunt serpentes; porro si pro *lofs* conjeceris *lofl* (i. e. *lofi, laufi*), et ad consonantiam metricam quodammodo sustinendam, *glatt* pro *skulut*, ordo erit: *varðir glatt laufl kviks áttar at gröf guðs*, lætus impendisti frondes (i. e. cubile) serpentum (aurum) sepulcro Dei. *d*) *góðu*, *H*. e) Sic *H*, metro aptius; *ygs*, *A*. *f*) omitt. hanc stropham *Hk*.

[2]) navigaturus, *H*. [3]) vide infra cap. 26. sub fin. [4]) omitt. *H*.

consumserant, cum pagani victas manus dederunt; quo facto reges ipso oppido multaque præda potiti sunt[1]. Rex Sigurdus hoc oppidum regi Hierosolymitano dedit. Qua de re sic Haldor Skvaldrius:

Tu, qui lupo dapem præbuisti, quam
potenter accepisti urbem paganam,
eam liberaliter dedisti; sic quævis
pugna gloriose commissa est[2].

Pagani autem non prius oppidum dediderunt, quam expugnatum iri intellexissent; id enim reges armis et machinationibus bellicis oppugnarunt, teste Einare Skulii:

Novi familiarem populi amicum
Sidonem expugnasse; id quod
commemoro; cœperunt torqueri
ballistæ vehementer in prælio.
Rex manu fortis, bellicosus,
terribile perfregit munimentum;
splendidi gladii cruore tincti sunt;
rex alacer victoria potitus est[3].

---

1) Quæ hac periodo continentur, soli Sigurdo adscribit *H*.

2) Ordo: *Brædir benja tikr! þátt a) heiðna b) borg af c) ríki, en gaft af mildi; hverr hildr háðist við prýði.*

a) 2. imperf. v. *þiggja*, i. e. sponte deditam accepisti; *tókt*, cepisti, *Hk.*; *vant*, expugnasti, *Fagrsk.* *b*) *eina*, unam v. quandam, *H.* *c*) Sic et *Fagrsk.*; *við*, eod. sensu, *Hk.*

3) Ordo: *Ek frá [deili dróttar a) vinna Sætt: dreingr minnist þess b); valslaungr tóku ríða hvast í hríð Hristar. Styrkr c) gunnar vals munnlituðr d) braut válikt virki; fögr sverð ruðust; en e) snarr bragningr [hlaut fagna f) sigri.*

a) *Dæla drottinn*, Dalensium dominus, rex Norvegicus, *Hk.* *b*) *þat*, *H*, casu h. l. insolenti, et forte ex scripturæ compendiis depravato. *c*) *starkr*, id., haud vulgari forma, *H*; *sterkr* usit., *Hk.* *d*) qui accipitris prælii rostrum tingit, i. e. præliator, vir bellicosus. *e*) *í*, in, *H*, haud dubie mendose pro *ok*, nam librarii voces *ok* et *í* sæpe confundere solent. *f*) ad ver-

His gestis rebus rex Sigurdus ad naves reversus, se ad abitum ex terra Hierosolymitana paravit. Navigarunt boream versus ad insulam, quæ Cyprus dicitur, ubi aliquantum temporis commoratus rex Sigurdus, inde in Græciam trajecit, totamque classem ad promontorium Angeli[1] constituit, ubi dimidium mensem in ancoris stetit, vento vehementi quotidie spirante, boream versus per mare Constantinopolin navigantibus secundo; sed exspectare ventum libuit, quo ex transverso spirante, vela per longitudinem navium explicari possent; nam cum omnia ejus vela tam adversa quam aversa, bysso coccinea distincta essent, neque qui ad puppim, neque qui ad proram nautæ constituti erant, partem velorum deformiorem adspicere voluerunt.

Cap. 12. Classis Sigurdi regis, Constantinopoli adpropinquans, oram terræ legebat. Eo loco in terra superiori continua series est arcium, castellorum et oppidorum; hinc omnium velorum, nullo interjecto vacuo spatio unius instar tabulati consertorum, sinus ex terra prospicientibus obversi erant; omnesque, [quibus pernavigantes conspicere licuit[2], ex domibus foras se proripuerunt. Imperator quoque Alexius, de adventu regis Sigurdi certior factus, portam urbis Constantinopolis, quæ *Gullvarta* (Verruca aurea, porta aurea) dicitur, aperiri jussit; quam portam imperator equo vectus ingredi debet, cum diu Constantinopoli abfuit, insignemque adeptus victoriam rediit. Tunc imperator omnes vias urbis ad Laktjarnas usque, quæ splendidissima sunt imperatoris palatia, bysso coccinea sterni jussit.

---

bum: victoria gaudere contigit; sed h. l. verbum *hljóta* periphrastice adhibetur; *fagnar*, gaudet, *Hk.*

[1]) Hodie *Cap. St. Angelo*, promont. Maleum; Ongulis, *H.*

[2]) ut præternavig. conspicerent, *H.*

Ferunt, Sigurdum, urbem ingressurum, suos [suorumque equos[1] aureis soleis calceari jussisse; suisque præcepisse, ut splendide ac superbe urbem ingredientes, si quid insoliti objiceretur spectaculi, nihil quicquam moverentur, neu oculos quidem adverterent, si[2] soleæ ex pedibus equorum excuterentur; illi jussa fecerunt[3]. Tali pompa rex Sigurdus suique omnes Constantinopolin ingressi, splendidissima imperatoris palatia, eximie ad eos excipiendos præparata, accesserunt. Cum vero rex Sigurdus cum suis sedes occupassent, duo viri, ab imperatore Alexio missi, ingressi sunt, peram auro argentoque refertam inter se gestantes, hanc pecuniam regi Sigurdo mitti ab imperatore nuntiantes. Ille, non intuitus, suos capere atque inter se dividere munera jussit. Missi, ad imperatorem reversi, rem renuntiant. Tum hic: haud dubium est, quin rex iste magna sit animi superbia et opibus abundet, cui non opus videatur, ad tales res animum applicare, aut [grati animi testificatione[4] rependere. Eosdem dein redire jussit, ingentem ferentes cistam, auro plenam. Sic faciunt, et regem Sigurdum[5] convenientes significant, hanc ei pecuniam ab imperatore mitti. Heic ille: hæc ampla pecunia est; sumite, comites, et inter vos dividite. Redeunt missi et ejus dicta imperatori referunt. Ille: duo diversa ferri possunt de hoc rege judicia, aut enim plerosque alios reges potentia et opibus superare videtur, aut ea carere prudentia, qua potentem præditum esse decet regem. Ite jam[6] eique hanc cistam, rubro auro[7]

[1]) omitt. *H.* [2]) *M* inde ab initio cap. 8. mancus, hic iterum incipit. [3]) imperator vero obviam iis musicos cum organis misit, add. *M.* [4]) verbis honorificis, *M*, *Hk.* [5]) iterum, add. *M.* [6]) tertia vice, add. *M.* [7]) pretiosissimo auro purpureo, *M.*

bene refertam, afferte, cui auro duas crassas armillas aureas imperator superimposuit. Quibus cum hac pecunia advenientibus, et ab rege Constantinopolitano missam esse dicentibus, rex Sigurdus adsurrexit, sumtasque armillas brachio induit. Dein orationem græco sermone habuit, et imperatori pro sua munificentia prolixe gratias egit; jamque ipse acceptam pecuniam inter suos divisit, magnumque ea re honorem consecutus est[1].

Cap. 13. Hoc loco cum rex Sigurdus aliquantum temporis commoratus esset, imperator Alexius ad eum misit, qui quærerent, utrum sex auri[2] talenta dono accipere mallet, an ludos fieri, ab imperatore in Hippodromo edi solitos. Rege Sigurdo ludos præoptante, missi confirmarunt, ludorum apparatum imperatori non minori, quam ista auri summa, constare. Mox imperator ludos apparavit, quibus more solito institutis, fortuna singulorum certaminum imperatori [quam imperatrici[3] ea vice magis favebat. Dimidia pars certatorum imperatricis erant, cujus asseclæ cum regiis omni certaminum genere contendebant; et dicunt Græci, regem, ubi in Hippodromo e pluribus quam regina certaminibus victoriam referat, si bellatum exierit, victorem rediturum. Ferunt qui Constantinopoli fuerunt versati, Hippodromum sic factum esse: planitiem aliquam, [quæ cum area bene lata ac rotunda comparari possit[4], [alto aggere circumdatam esse[5], gradusque[6] ad [hunc aggerem lapideum[7] circa dispositos, quibus in-

[1]) ab imperatore, unde postea factum est, ut hic atque rex Sigurdus in uno solio considerent, add. *M.* [2]) et argenti, add. *H*; rubri auri, *M, Hk.* [3]) Sic *H, M*; omitt. *A.* [4]) rotundam, pæne areæ latitudine, *E*; quæ cum areola rotunda etc. *Hk.* [5]) Sic *M, Hk.*; om. *A.* [6]) Sic et *E, A*; aggerem, *Hk.*; aggeres, *H.* [7]) aggeres lapideos, *H.*

sidant spectatores, dum certamina in planitie edantur; eo loco varias res priscas depictas esse: Asas, Volsungos et Gjukungos, aere metalloque fusos tanta arte, ut vivorum speciem exhibeant, certaminique interesse videantur; ludos tantis præstigiis et dolis institui, ut homines in aere sublimes ferri videantur; ignem missilem adhiberi, [præter alia quædam a magica arte mutuata; adhiberi et omnis generis instrumenta musica[1], organum, symphonium[2], psalterium, citharas, panduras[3] et omne fidium genus.

Cap. 14. Rex Sigurdus, ut ferunt, aliquo die imperatorem epulis excepturus, suos omnia, quæ ad convivium opus erant, magnificentissime præparare jussit; comparatisque omnibus, quæ nobiles viros decerent, præcepit, ut in plateam urbis, ubi ligna venalia prostabant, concederent, magna lignorum copia opus esse præmonens. Illi dicere, non esse, cur metueret, ne ligna deessent, multas enim vehes quotidie in urbem invehi. Ubi autem capere ligna voluerunt, [omnia ablata erant[4]. Qua re regi nuntiata, ille: ite visuri, an juglandes comparare possitis; hæ enim facile lignorum vicem præstare poterunt. Illi iverunt, et quantum libuit juglandium nacti sunt. Dein imperator, ejusque principes et aulici, advenerunt, et sedilibus honeste consederunt, quos rex Sigurdus magno studio multiplicique splendore excepit. Imperator et imperatrix cum animadverterent, nullam ibi rem deesse, misit ea scituros, qua re lignorum vice uterentur. Hi ad domum quandam venientes, animadverterunt plenam juglandibus; reversi imperatrici referunt. Hic ea: hic rex sanequam magni spiritus est, neque facile cuiquam rei ho-

[1]) Sic *M*; omitt. *A*, *H*. [2]) omitt. *M*. [3]) fidiculas, add. *M*. [4]) forte evenit, ut omnia ablata essent, *M*.

noris ergo parcet, nullum enim lignum melius ardet juglandibus. Hæc vero fecerat, ut experiretur, quid consilii rex Sigurdus facultate lignorum destitutus caperet.

Cap. 15. Post hæc rex Sigurdus se ad redeundum paravit. Imperatori omnes naves dedit, ex quibus quam rex gubernaverat navis inaurata capita præferebat[1]; [quæ capita ædi Petro sacræ imposita fuerunt[2]. Imperator Alexius regi Sigurdo multos equos dedit, ducesque, qui eum per totum regnum prosequerentur, tradidit. Rex Sigurdus ab Constantinopoli profectus, multis suorum remanentibus et militiæ nomina dantibus[3], per Bulgariam, Pannoniam, Sveviam et Bojariam iter fecit, ubi[4] Lotharium imperatorem Romanum convenit, qui regem Sigurdum liberalissime excepit, eique viæ duces per totum regnum suum dedit, forumque, ubi omnes res necessarias emere posset, constituit. Ubi rex Sigurdus ab austro in Daniam venit, invenit Slesvikæ dynastam Eilivum, qui eum prolixe excipiens convivio splendide apparato honoravit. Hæc acciderunt circa mediam æstatem. Heidabæi convenit Nicolaum Sveinis filium, Daniæ regem, qui eum honorifice exceptum ipse in borealem Jotiæ partem prosecutus est, eique navem dedit, omnibus rebus instructam, qua in Norvegiam, regnum

[1]) quæ naves diu postea Constantinopoli subductæ et conspiciendæ servatæ sunt, add. *M.* [2]) dicitur rex Sigurdus caput grande et magna arte elaboratum navi suæ demsisse et in templo Petri collocasse, *M.* [3]) tum sapiens quidam Constantinopolitanus prædixit, gloriam regis Sigurdi corporaturæ leonis similem fore, ut enim armi leonis essent immanis crassitudinis, posterior vero pars exilior, ita regiam ejus dignitatem nunc quidem esse maximam, postea vero minoris habitum iri, add. *M.* [4]) in Svevia add. *M, E, Hk.*

suum vectus, ab omnibus civibus benevolentissime exceptus est; teste poeta:

Populus animosus
alacrem (principem)...[1]

et vulgo sermo est, iter hoc gloriosius ex Norvegia nunquam factum esse. Tunc rex Sigurdus erat annorum viginti, rex Eystein uno anno major[2]; [rex Olavus, frater eorum annorum duodecim[3]. In hac expeditione rex Sigurdus tres annos consumserat.

Cap. 16. Interea, dum rex Sigurdus in peregrinatione versabatur, rex Eystein res multas, rei publicæ utiles, administraverat. Bergis in Nordneso exstruendam curaverat ædem Michaelis et monasterium, augustissimum ædificium lapideum, cui magnas pecunias adsignavit; ibidem in aula regia templum Apostolorum ædificaverat, item ingentem illam basilicam, lignearum in Norvegia domuum splendidissimam. Ejus jussu facta est sacra ædes in Agdaneso, et in loco importuoso munimentum cum portu; in aula regia Nidarosi templum Nicolai, ædes [materiæ præstantia[4] et arte fabrili magnopere conspicua; Vogis in Halogia ædes sacra, cui annuos reditus attribuit. [Fabricandum quoque curavit ingentem illum draconem, qui ad similitudinem Serpentis longi factus est; multis rebus, quæ rempublicam beatiorem facerent, imperium auxit[5].

Cap. 17. Rex Eystein viros in Jamtia prudentissimos, missis nuntiis, ad se invitavit; [quotquot ad eum venerunt, comissime excepit, digredientesque muneribus, amicitiæ pignoribus,

[1]) Omitt. *Hk.* [2]) minor *M*, repugnante cap. 1. [3]) jam multa Norvegiæ loca rebus pretiosis, ab rege Sigurdo tum invectis, ornata sunt; ædi, sancto regi Olavo sacræ, ingens et eximium fundum legavit, add. *M.* [4]) toreumatis, *Hk.* [5]) omitt. *Hk.*

prosecutus est[1]; quibus rebus eos ad amicitiam suam pertraxit. Ex quibus cum multi in consvetudinem ejus visendi adducti, muneribusque ab eo donati, alii, qui eum non adiissent, missis donis aucti essent, factum est, ut in summam amicitiam omnium terræ principum potentiorumque colonorum perveniret. Quo facto, oratione docuit, male Jamtos fecisse, quod se in præstando officio solvendisque tributis ab regibus Norvegiæ avertissent; rem inde repetens, quod se Jamti imperio Hakonis Adalsteinis-alumni subjecissent, diuque postea regibus Norvegiæ tributarii fuissent; ostendit quoque, quot utiles res ex Norvegia obtinere possent, et quanto labore rex Svionum de rebus necessariis adeundus esset. Rem persvadendo eo deduxit, ut Jamti orantes rogantesque officium obsequiumque sponte offerrent, fassi, sibi non utile solum esse, sed etiam necessarium, ad obsequium erga reges Norvegiæ redire. Ita coalescente eorum societate factum est, ut Jamti terram imperio Eysteinis regis submitterent, eique dicto jurejurando addicerent, quod ab eo inde tempore semper obtinuit. Sic rex Eystein Jamtiam prudentia, non, ut quidam ex majoribus ejus, incursionibus in potestatem redegit.

Cap. 18. Rex Eystein de facie erat pulcer, oculis cæruleis et aliquantum patulis, coma flava et crispa, statura mediocri, sapientia insigni, præcipua legum et historiæ cognitione; hominum et genealogiæ multa peritia; in excogitandis consiliis ingeniosus; in dictis argutus, hilaritate et modestia ingenii præstans, omnibus acceptus et gratia populi valens. Habuit in matrimonio Ingibjargam, filiam [Guttormi, filii[2] Thoreris Stei-

[1]) quos intima comitate complexus, muneribus donavit, *M.*
[2]) omitt. *M.*

gensis; eorum filia erat[1] Maria[2], quam postea duxit Gudbrandus Skavhogi filius. Rex Sigurdus erat magna statura, coma subfusca, habitu virili, justa membrorum proportione, plurimum pauca loquebatnr; non comis, ingenio constanti, in comitiis parum disertus, morum honestatis ac decori studiosus, imperii diligens, pœnarum severus exactor, non[3] quidem juris admodum peritus, sed legum observantissimus, pecuniis liberalis, rex potens et multis virtutibus ornatus. Hi fratres, Eystein, Sigurdus, Olavus, dum Norvegiæ imperabant, populum multis oneribus, ab Danis imperante Sveine Alfivæ filio populo impositis, levarunt, unde insignem sibi gratiam conciliarunt[4].

Cap. 19. Rex Eystein conditionem civium multis ex partibus emendaverat, legesque diligenter exercuit. Omnium legum Norvegicarum ut notitiam haberet, operam dedit, insignemque rerum civilium prudentiam sibi acquisivit. Ex sequentibus intelligi potest, quantum consilii prudentia valuerit, quo affectu amicos dilexerit, quantaque diligentia ex amicis, quos tristitia affectos vidisset, causam doloris perquisiverit. Versabatur cum eo vir quidam Islandus, nomine Ivar Ingimundi filius, prudentia et generis nobilitate[5] insignis. Hunc magnopere diligebat rex, ut mox apparebit. Erat Ivari frater, nomine Thorfinnus, qui patria quoque relicta regem Eysteinem convenit, ibique fratris gratia multorum hominum benevolentiam expertus est. [Hic, quod fratrem virtutibus æquare vulgo non existimabatur, ipsiusque auctoritas fratris gratia nitebatur, invidia tactus est, quare commorationis cum rege

---

[1]) nati erant Gothormus et, *M.* [2]) Marta, *H.* [3]) negationem, quam *H, M,* exhibent, omitt. *A.* [4]) vide supra cap. 1. [5]) artisque poeticæ peritia, add. *Hk.*

pertæsus, iter in Islandiam paravit. Ante vero quam fratres digrederentur, Ivar Thorfinno: nunc abs te, frater, peto, ut meum negotium in Islandia cures; nosti feminam, Oddnyam Johannis filiam: hanc meo nomine salvere jubeas, eamque meis verbis admone, ne cui præter me nubat, ea enim ex omnibus feminis animo meo maxime arridet. Thorfinnus in Islandiam delatus, neglecto negotio a fratre demandato, ipse sibi hanc feminam, Oddnyam, petiit, ejusque connubio potitus est. Paulo post Ivar in patriam reversus[1], Thorfinnum judicavit mala fide rem sibi demandatam curasse, reique exitum ægre ferens, in Norvegiam remeavit, et apud Eysteinem regem, magno habitus honore, versatus est[2]. Mox eum animi ægritudo et tristitia cepit; qua re comperta rex Ivarem ad se vocatum, remotis arbitris, interrogavit, cur tristis esset: antea vero, inquit, cum mecum versabaris, sermones tui multum semper oblectamenti habuerunt. Quanquam non est, cur hac de re perquiram; novi enim, te, qua prudentia es, intelligere posse, id quod persvasum habeo, me nihil in te deliquisse[3]; quare age, dic mihi, quid rei sit. Ivar: non possum, domine, animum inducere, ut id quod res est dicam. Rex: itaque conjectura rem assequi conabor; numqui heic adsunt, quos averseris? Minime, domine, inquit ille. Rex: an tu minoris a me, quam optasses, fieri putas? Negat ille. Rex: ecquæ conspectæ res tantopere te affecerunt, ut ægritudinem tibi moverint? Ille negavit. Rex: aliosne reges visere cupis? Perneganti rex: jam mihi conjectura difficilis redditur, inquit: ecquæ feminæ sunt [aut hic aut

[1]) hac cognita re, add. *M.* [2]) a signo [omitt. *Hk.* [3]) eaque tibi prudentia est, ut non credibile sit, te vana suspicione seduci, add. *H.*

aliis terris[1], quarum desiderio tenearis? Ille rem ita esse fassus est. Rex: ne te ea res sollicitum habeat; si ea femina in Islandia est, eo, ubi vernaverit, trajice, pecunia et honoribus a me auctus, litterisque meo sigillo munitis instructus, ad eos homines datis, qui ejus conditionis potestatem habeant; neque enim quemquam esse crediderim, quin meis amicis aut minacibus verbis flectatur. Gravioribus fatis urgeor, domine, inquit ille, nam frater meus hanc feminam in matrimonio habet. Hanc curam missam faciamus, inquit rex; habeo consilium, quo huic rei occuram: statim post festum Jolense convivia te adsumto comite obibo, ubi multas honestas feminas videbis; quarum aliquam, modo ne regio sangvine orta sit, tibi conciliabo. Ivar: eo gravioribus fatis res meæ, domine, premuntur, quod, quotiescunque pulcras et generosæ indolis feminas adspicio, hujus mihi feminæ memoria subit, quæ dolori meo acriores addit stimulos. Rex: itaque dabo tibi præfecturam aliquam et possessiones, quibus delecteris. Ille: ea re non adquiesco. Rex: dabo tibi pecuniam, ut mercatum quocunque libuerit commees. Quod cum recusaret, rex: jam quærenti aqua mihi hæret; nunc enim, quantum potui, rem tentavi. Restat una res, exigui sane momenti ad eas, quas obtuli, quanquam difficile dictu, quid maxime profuturum sit: quovis die, mensis in medium positis, me adeas, si enim causas graviores[2] cognoscendas non habeam, tecum de hac femina quolibet modo, quantum comminisci licebit, colloquar, et his sermonibus vacabo; interdum enim usu venit, ut leniatur dolor, si verbis teratur; et huic rei id accedet, quod te nunquam indonatum dimittam. Cui ille: hoc mihi placet, do-

[1]) in patria tua, *M.* [2]) necessarias, *M.*

mine, ingentes tibi gratias pro tua sollicita exploratione ago. Sic itaque fecerunt, ut rex, quotiescunque causis gravioribus operam non daret, de hac femina cum Ivare sermonem sereret; unde brevi hic id commodi accepit, ut paulo post pristinam hilaritatem ac lætitiam reciperet. Idem deinde apud regem Eysteinem versatus, rebus suis bene adquievit.

Cap. 20. Ferunt, regem Sigurdum, magna affectum tristitia, ab colloquiis hominum pæne abstinuisse et parum temporis compotationibus dedisse. Quod ægre ferentes consilarii et amici ejus, ab rege Eysteine petierunt, ut aliquod consilium daret, quo certior fieret, quid causæ esset, cur regem de causis consulentes nulla responsa ferrent. His Eystein: haud facile est, talia ex rege Sigurdo quærere; tamen, victus precibus hominum, facturum pollicitus est. Aliquando, cum ambo una essent, rex Eystein, rem aggressus, quærit, quæ causa sit tristitiæ ejus: multis enim hominibus dolorem, domine, affert hæc res, quare causam scire vellemus; ecquid novi, quod gravioris momenti sit, audivisti? Rex Sigurdus se audivisse negavit. Rex Eystein: estne, frater, ut, [quemadmodum antea fecisti[1], patria relicta adhuc majorem potentiam acquirere velis? Ille negavit. Eystein: numqui hac in terra sunt, qui in odium tuum incurrerint? Hoc quoque neganti, [rex Eystein: age igitur, dic mihi, frater! Ego vero non dicam, inquit rex Sigurdus[2]. Eystein: ecquid somniasti, quod te sollicitum habeat? Ita esse affirmavit. Dic mihi, frater, inquit rex Eystein, quid somniaveris. Rex Sigurdus: haud faciam, inquit, nisi interpreteris, prouti eventus se dabit, quod rectene an secus feceris, probe novero. Rex Eystein: res anceps

[1]) exemplo patris nostri, *Hk.*, rectius ut puto. [2]) omitt. *Hk.*

habet discrimen: ex una parte offensam tuam, cui obnoxius ero, si somnium recte non interpreter, ex altera, mœrorem et calamitatem, qua universus populus ob tuam tristitiam afflictus est. Tamen rem aggressus, tuam indulgentiam periclitabor, etsi interpretatio tuæ sententiæ forte non respondeat; age, narra mihi somnium! Rex Sigurdus: Vidi per quietem nos tres fratres ante ædem Christi, quæ in emporio est, eadem sella considentes; visus mihi est sanctus rex Olavus, cognatus noster, e templo egredi, regio cultu ornatus, facie gloriosissima, vultuque perquam sereno; accedens ad regem Olavum, fratrem nostrum, arrepta manu ejus, eum comiter allocutus est: sequere me, cognate, inquit; ille mihi visus est surgere, et cum eo templum ingredi. Post aliquanto sanctus Olavus templo egressus ad te, frater, accessit, teque sequi se jussit, vultum tamen minus quam antea serenum præferens; deinde vos templum ingressi estis. Tum ego eum exspectavi ad me accessurum; quod cum non accideret, tanto timore et langvore perculsus sum, ut somno excuterer. Rex Eystein respondit: sic hoc somnium interpretor: sella imperium nostrum significat; quod vero tibi rex Olavus visus est vultu sereno Olavum, fratrem nostrum, accedere, id vitam ejus breviorem quidem, quam utriusque nostrum, sed post fata, ut videtur, beatam fore portendit; est enim parvo natu, omnibus acceptus, et rerum vicibus parum exercitus, quem sanctus rex Olavus Deo opitulante juvabit. Quod autem tibi visus est ad me accedere, minus tamen sereno vultu, hoc vitam mihi aliquanto productiorem, neque tamen longam, portendere auguror; qui cum ad me accesserit, spes mihi est fore, ut ejus patrocinio fruar, etsi me non æque splendido vultu exce-

perit, atque fratrem Olavum, ut qui multum in Deum deliquerim, ejusque præcepta violaverim. Quod autem ejus ad te adventus tardari visus est, hoc tuum e vivis discessum non significare existimo; sed fieri potest, ut in gravem aliquam calamitatem incidas, quod caligine quadam premi tibi visus es; quare puto te longissima ex nobis vita fruiturum et huic regno diutissime imperaturum. Tum rex Sigurdus: perite et prudenter hoc somnium, frater, interpretatus es, verique simillimum existimo, rem ita exituram. Hinc rex Sigurdus iterum lætari incepit.

Cap. 21. Rex Olavus [paulo post[1] morbum nactus est, sibi letalem. Humatus est Nidarosi in æde Christi, cujus mors omnibus quam maxime acerba fuit[2]. Post eum utrique fratres, Eystein ac Sigurdus, regno præfuerunt, antea vero hi tres fratres duodecim hiemes regnaverant, quinque post Sigurdi regis in patriam reditum, septem antea. Rex Olavus, cum obiret, quindecim[3] annorum erat; obiit autem die undecimo calendas Januarias[4].

---

1) Sic *H*; omitt. *A*; anno imperii fratrum decimo tertio, *M*, *Hk*. 2) addit h. l. *M*: mater regis Olavi erat Sigrida, filia Saxii de Vika, soror Karii Ostrattensis, dicti regis-avunculi, viri potentis et gratia florentis. Altera filia Saxii Vikensis erat Thora, quæ filium peperit, dictum Sigurdum, cognonime *Slembidjákn*, qui postea se filium Magni regis professus est. Karius regis-avunculus in matrimonio habuit Borgildam, filiam Dagi Eilivi filii, quorum filius fuit Sigurdus Ostrattensis, vir præfecti dignitate ornatus, pater Johannis, qui in matrimonio habuit Sigridam, sororem regis Ingii Bardi filii. 3) Cum rex Olavus in fine cap. 15. Sigurdo rege octo annis minor dicatur, hocque conciliari possit cum cap. 1., numerus quindecim annorum h. l. consistere nequit; quare recipienda est lectio *Hk*. h. l., quæ Olavum decem et septem annos natum obiisse tradit. 4) *M* finem capitis sic exhibet: mortuo rege Olavo, fratres, rex Sigurdus et rex Eystein, regnum inter se in duas partes di-

Cap. 22. Rex Eystein unam hiemem in australi parte regni versatus, rege Sigurdo eodem tempore in boreali parte commorante, magnam hiemis partem Sarpsborgæ transegit. Olavo Dalensi nomen erat colono potenti, Omordæ[1] in Dalis habitanti; huic duo erant liberi, filius, nomine Hakon, filia Borgilda, venustate omnes feminas superans, prudentia et rerum peritia insignis. Hieme antedicta Olavo cum liberis diu Borgæ[2] morante, Borgilda crebros sermones cum rege miscuit, quorum familiaritas sinistris vulgi rumoribus excepta est. Proxima æstate rex Eystein in partem regni borealem, rex Sigurdus in orientalem[3] concessit; et hieme proxime insequenti rex Sigurdus Konungahellæ ad orientalis regni fines commoratus, hoc emporium magnopere auxit. Hoc loco ingens munimentum ex cespitibus et saxis exstruendum, fossaque circumducta muniendum curavit; in quo munimento domus templumque ædificavit. Hoc in templo sanctam crucem asservavit, emporiumque Konungahellæ magnopere auxit; verum hac re jusjurandum, in terra Hierosolymitana datum, non servavit; decimas autem introduxit et cetera pleraque, quæ præstanda juraverat, observavit, excepto, quod crucem in orientali parte ad fines regni servavit. Sed quod ad tuendos regni fines multum expediturum crediderat, id imprudentissime factum esse, experientia postea docuit, dum hæ sanctæ reliquiæ potestati ethnicorum nimis

viserunt: rex Sigurdus regni partem orientalem, rex Eystein borealem tenuit; hic Nidarosi plurimum se continuit; inter quos brevi nonnullæ dissidiorum causæ exstiterunt.

[1]) hodie prædium *Aamod* (Omoda) in Osterdalia (Dalo s. valle orientali) in diœcesi Christianiensi. [2]) i. e. Sarpoborgæ. [3]) vicissim, add. *H.*

exponerentur. Borgilda Olavi filia, rumore cognito, qui de ipsius cum rege Eysteine colloquiis ac familiaritate vulgabatur, Borgam se contulit, ibique ferrum candens portatura jejunio se præparavit, ferroque gestando innocentiam suam manifeste declaravit. Quo cognito, rex Sigurdus, magno bidui itinere uno die emenso, equo vectus[1] in Dalum [Olavo insperante[2] pervenit, et Borgildam pro concubina raptam secum abduxit. Horum filius erat Magnus, qui nutriendus in Halogiam ad Vidkunnum Jonis filium, Bjarkeyæ habitantem, missus, eoque loco educatus est. Magnus æquales suos pulcritudine superavit, et staturæ viriumque incrementa mature consecutus est.

Cap. 23. Rex Sigurdus uxorem duxit Malmfridam[3], filiam regis Haraldi Valdemaris filii ex Holmgardo. Rex Valdemar erat filius Jarislevi senioris et Ingigerdæ, Olavi Sveci filiæ; mater vero regis Haraldi Valdemaris filii erat regina Gyda Prisca, filia regis Haraldi Gudinii filii ex Anglia. Mater Malmfridæ reginæ erat Christina, filia Ingii, Steinkelis Svionum regis filii. Altera filia regis Haraldi Valdemaris filii erat Ingibjarga, quam [rex Knutus Lavardus[4], filius Eiriki Semper-boni Danorum regis, qui filius erat regis Sveinis Ulvii filii, in matrimonio habuit. Nati ex Knuto Lavardo et Ingibjarga: Valdemar, regis Sveinis Eiriki filii in Dania successor, Margreta, Kristina, Katrina. Margretam duxit Stigus Hvitaledrus: horum filia Kristina, quam Karolus Sörkveris filius, Svionum rex[5], in ma-

[1]) præcedentia hujus cap. omitt. *M.* [2]) ad Olavum, *H.* [3]) Malfridam, *H*, ut hodie plerumque pronuntiatur. [4]) Knutus Jatvardus, perp. *H*; ceterum Knutus Lavardus, dux Slesvikensis, h. l. rex dicitur, utpote regio sangvine ortus. [5]) regis, *H.*

trimonio habuit; horum filius rex[1] Sörkver, pater regis Jonis[2].

Cap. 24. Fratribus, Eysteine ac Sigurdo, imperantibus, vir quidam Islandus, nomine Thordus, ex orientali insulæ parte oriundus, magna corporis statura, naturæque dotibus bene instructus, non quidem pecuniosus, sed multarum rerum peritus, felicique præditus vena poetica, in Norvegiam trajecit. Qui cum in emporium Nidarosi pervenisset, neque haberet, quo hospitium conduceret[3], domum feminæ cujusdam, Asæ nominatæ, invisit, quæ tunc temporis orba marito florem ætatis excesserat, cetera dives, amplæ cognationis, Vidkunno Jonis filio pluribusque Bjarkeyensibus propinqua consangvinitate juncta; hæc Thordum primo quidem, [dum habitationem sibi prospiceret[4], hospitio excepit, longiorem commorationem non pollicita; cum vero variis auditu jucundis familiam oblectaret, et matrem familiæ in rebus, quarum curam ei demandasset, administrandis juvaret, protracta paulatim hospitii mora, factum tandem est, ut totam ibi hiemem ageret, eo pluris a matrefamilias æstimatus, quo diutius ibi versatus erat; neque defuerunt, qui dicerent, eos inter se sæpius sermones conferre. Ubi aderat ver, Asa Thordum allocuta: præcedenti, inquit, hieme [benevolentiam meam tibi conciliasti[5]; nunc itaque merces tibi dabo, quibus in Anglia permutandis mercaturam facias, quarum fructus mihi tecum communis esto. Ille in Angliam commeavit, mercaturaque ex sen-

[1]) omitt. *H.* [2]) addit *M:* rex Sigurdus Hierosolymipeta et regina Malmfrida filiam habuerunt, nomine Kristinam. Quibus *Hk.* addit: cui dynasta Erlingus Skakkius matrimonio junctus erat. [3]) quodam vespere, add. *M.* [4]) temporario (ad tempus), *M.* [5]) bene mihi placuisti, *H.*

tentia defunctus [autumno domum reversus est, et sequentem hiemem apud Asam transegit. Aliquot æstatibus hoc modo peractis, res ejus magna cepit incrementa[1]; æstates in itineribus mercatoriis consumsit, hiemes apud Asam transegit, hujusque rem familiarem curavit, unde ei cognomen Asæ-Thordi adhæsit. Cognati feminæ hoc pro ignominia habentes, odium in eum conceperunt. Erat autem Thordus corpore pulcro, speciemque viri operam strenue navaturi præferens, in pecunia lucranda felix, et apud populum gratiosus. Accidit aliquando, ut aliquis ex amicis in colloquium ejus veniens significaret, adventum Vidkunni Jonis filii in oppidum exspectari: compertum autem habeo, inquit, Vidkunnum inimico in te animo esse ob Asam cognatam suam, nunc enim fama vulgatum est, te pudicitiam ejus tentare; quam ob rem hoc tibi consilii do, ut carmen in honorem Vidkunni, si potis es, facias, qui tibi ejus fidem et amicitiam reconcilies; nam hæc familia ex cognatis Asæ maximo in honore est. Thordus: rem gratam fecisti, quod me submonuisti, atque ego carmen facere conabor. Paulo post Vidkunnus multis comitatus advenit, et in aliquo oppidi deversorio hospitabatur. Huc Thordus aliquo die veniens Vidkunnum salutavit, a quo frigide exceptus est. Tum Thordus carmen recitare orsus est, magno audientium silentio, quo recitato omnium approbationem est consecutus. Heic Vidkunnus: hoc carmen bene compositum est; meum in te animum, Thorde, mutavi, quod re probatum dabo. Hæc dicens crassum annulum aureum depromtum Thordo dedit; qui pecunia sibi non opus esse significans: tuam inquit, amicitiam in præmium carminis, si tanti est, expeto. Quam cum Vid-

[1]) Omitt. *H.*

kunnus pollicitus esset, reconciliata amicitia digressi sunt.

Cap. 25. Interea processit tempus. Aliquo autumno Thordus ab Anglia redux, fluvium Nidam navi subvectus, navem, quam domicilio suo adjacentem deprehendit, submotam e statione avertit. Eo tempore rex Eystein in oppido aderat, multique viri nobiliores, Sigurdus Ranii, Vidkunnis Jonis, et Ingimar ab Askio, qui præfectorum erat potentissimus unus, ingeniique ferocioris. Hic cum navem suam in stationem Thordi constituisset, multique dicerent, Thordum haud impune laturum, quod navem Ingimaris e statione submovisset: Thordus, quid quisque jactaret, se audire dissimulavit. Cum vero Thordus ac socii navem exonerarent, tentoriumque proræ non reperiretur, ipse in navem Ingimaris transcendens, juvenem deprehendit, qui ablatum tentorium sibi substraverat. Hunc juvenem comprehensum Thordus ante se vinctum ad ædes egit, ibique custodiri jussit; dein omnes merces domum deportandas curavit. Ingimar, de his omnibus certior factus, ira excanduit, inauditum audaciæ exemplum esse dictitans. Extemplo aliquot viris comitatus ad ædes Thordi se confert, hominem illico tradi jubet. Cui Thordus: haud impune fecero, si furem indemnatum per oppidum libere vagari patior. Ingimar se putare ostendit, non fore, ut [sebosæ terræ civis[1] socios suos capite damnaret; se iterum ita rediturum, ut hominem ex ejus potestate erepturus sit, facturumque, ut hæc Thordo maximum incommodum afferant: neque enim, inquit, præfecti nomine dignus sum, si uni Islandico mendicabulo viribus impar sum. Cui Thordus his versibus respondit:

[1]) quisquam in patria sua (Norvegia) degens, *M.*

Nunc vir superbus hicce magnum
mihi terrorem incutere parat;
me tuus juvenis, ad prælia
promtus, tentorio spoliavit.
Vir aurum erogans! manifestum
furem in præsenti minime
dimittam, etsi res mea in tuo
arbitrio quodammodo versetur[1].

Ingimar perquam iratus abiit. Tum Asa Thordum hortata est, ut Vidkunnum arcessi juberet, rem enim, quo loco esset, minus tutam fore. Sic fecit. Vidkunnus allato Thordi nuntio, nihil cunctatus citissime advenit, areamque domus ingressus, in contignationem ad eum magna comitatus virorum multitudine adscendit. Deinde eodem Ingimar multis comitatus venit, Thordumque missum facere hominem jussit, ni faceret, accessurum se et cœnaculum effracturum comminatus. Tum Vidkunnus pro eis responsa dedit, is locutus est: æquissimum est, hanc causam ad judicium prætorum deferri; Thordus enim hoc solum fecit, quod debuit; nam accusari potuisset, si furem sceleris manifestum dimisisset; quare exspectabimus, donec causa legitime judicata fuerit. Cui Ingimar: evenit hic, quod vulgo dicitur: deprime me, inquit pala[2]; et conveniens esse existimo, nos, qui præfecti sumus, de principatu contendere, hocque multo esse congruentius, quam me ac Thordum inter nos certare.

---

1) Ordo: *Nú tekr ýgr ofkúginn at ægja a) mèr drjúgum; þinn hjaldrgegninn höldr hefir um hlannat b) mik tjaldi. Linnbóls- c) gjafi, trautt mun ek láta visan þjóf lausan at sinni, þótt min ván váfi d) und e) þínum hlut.*

a) *egja*, id., *M.* *b*) Sic *A, M*; *hlammat, H,* adversante metro. *c*) Sic *H*; *lindbóls, A, M,* invito metro. *d*) *wofi*, id. (*w* pro *v*), *H.* *e*) *um, M.*

2) hoc proverbium de iis usurpatur, qui rebus alienis se cupide immiscent.

Quibus dictis discessit. Tum Vidkunnus suis: adite Sigurdum Ranii, eumque rogate, huc ut veniat; quod si vero detrectet aut sese excuset, interrogate, quis ei strenuissime opem tulerit, cum Finni pecudes ejus rapere studuissent. Conveniunt Sigurdum; mandata Vidkunni exponunt. Quibus Sigurdus: conveniens esse puto, Ingimarem et Vidkunnum inter se contendere, horum enim uterque se altero potentiorem existimat. Tunc missi novissima Vidkunni verba referunt. Tum Sigurdus: verum est, neminem mihi æque naviter opitulatum, ac Vidkunnum; surgite, omnes mei, eamus Vidkunno opitulatum, si forte opus ei sit. Illi armis se induerunt, et aream Thordi ingressi sunt. Post paulo Ingimar magna cum hominum caterva adfuit[1]. Is locutus est: jam hominem conquirentes, Vidkunne, parum leniter agemus, nisi sponte in potestatem nostram tradatur. Cui Sigurdus: lenitatem et æquitatem, Ingimar, adhibeatis, nobis enim certum est, jura nostra defendere, etsi insignis fortitudinis sis. Ingimar: lepori in gallina clypeata parum præsidii est; magna jam ope opus esse censetis, cum vos duo, idque præfecti utrique mihi (uni) resistatis; verum tamen nondum ab incepto desistam; sic tertia vice adesse voluerim, ut ne hominem mihi per vim extorqueatis. His dictis abscessit, copiasque quam maximas contraxit, magnumque numerum effecit. Altera vero ex parte Sigurdus Ranii homines ad regem Eysteinem misit: hunc rogate, inquit, ut auxilio veniat; dicite, rem alioquin ad nimias[2] difficultates spectare; si vero forte rex venire dubitet, eum interrogate, quinam patrem ejus, in Hibernia occumbentem, postremi reliquerint. Missi regem

[1]) milites autem a Vidkunno collecti hic illic per ædes vagati erant, add. *M.* [2]) magnas, *M.*

adeunt, et verba Sigurdi referunt. Rex Eystein: mihi haudquaquam vires duorum præfectorum superare videtur, adversus Ingimarem contendere, quare non video, qui meo adventu opus sit; hi enim omnes magna sibi auctoritate valere videntur. Tum missi: ecquid nosti, domine, quinam strenuissime et diutissime operam patri tuo navarint, cum ultimum in Hibernia prælium faceret? Rex: Vidkunnus ac Sigurdus; magni sua referre putant, me adesse, quod et fiet. Rex multis stipatus in aream domus ad Sigurdum et comites se contulit. Mox Ingimar cum magna[1] hominum multitudine advenit, Sigurdumque allocutus: vero propius existimo fore, ut nunc manus conseramus, nisi hominem missum faciatis. Ad hæc rex Eystein: non convenit, Ingimar, hoc in oppido tantas ciere turbas de[2] tam malo homine, quamobrem, in primis, cum justam causam habeamus, quasi victi a te manus non dabimus. Heic Ingimar: jam res haud in expedito est, cum ipse rex advenerit, quare in præsentia absistendum nobis est. Dein rex furem deprehendi, deligatoque, [ut mos est[3], in tergum tentorio, in conventum duci jussit; [quo facto damnatus[3], in lingulas deductus, ibique suspensus est. Quo facto rex Eystein: qua sorte putas, Ingimar, furem in altera vita usurum? Bona, inquit Ingimar. Immo vero in infernum abibit, inquit rex, si sine pœnitentia moriatur. Ingimar: haud ita est, inquit; tu vero in agendi ratione tibi ipse repugnas, qui causam sebosæ terræ civis commendes, patrem vero, qui, canis instar super ossa recubantis, in Hibernia occisus fuit, ulcisci non audeas; quem potius in inferno versari putaverim, quam hunc, quem parva de causa

[1]) immensa. *M.* [2]) tantilla re deque, add. *M.* [3]) Sic *M*; omitt. *A, H.*

et pæne innocentem peremisti. Quibus dictis exsiliens, protinus ad navem properavit, et in Vikam navigavit, ubi regium aliquem procuratorem occidit. Inde in Daniam in exilium concessit. Rex Eystein, fatua quæ effutiverat dicta pensi non habens, iter ejus nullo modo impedivit, qua re prudentiam suam et benevolentiam testatam dedit. Thordus multis ex partibus vir magnus habitus est et multorum gratia valuit, contractisque cum Asa nuptiis, divitiis abundavit[1].

Cap. 26. Rex Eystein et rex Sigurdus aliqua hieme utrique in Uplandis versati, convivia per villas suas obibant; hic enim suæ cuique villæ erant, prædiis, ubi conviviis exciperentur, brevi intervallo dissitis. Fuere, qui auctores essent, ut ambo una conviviis interessent, per villas utriusvis alternis vicibus obeundis. Hinc primo in villa, quæ regi Eysteini erat, ambo una convivabantur. Vespere, cum potari cœptum esset, quod minus proba cerevisia infundebatur, convivas silentium oppressit. Tum rex Eystein: quanto convivantes silentio obmutescunt! is potius mos convivantes decet, ut aliqua oblectamenta quærant; nos igitur aliquam oblectationis materiam sumamus, qua sopita convivantium hilaritas mox reviviscat. Omnes vero præsentes honori, puto, ducent, si ego ac Sigurdus frater jucundos aliquos sermones incipiamus. Rex Sigurdus, majorem in modum indignabundus, excepit: loquacitate quantum vis indulgeas licet, inquit, verum facias, quæso, ne per te stet, quominus taceam. Cui rex Eystein: is convivantibus mos sæpe fuit, ut viros, quibus se pares existimarent, proposuerint; [quod ego heic fieri velim. Rege Sigurdo ad hæc tacente, rex Eystein: video, inquit, mihi

[1]) *M* addit: hic huic narrationi finis est; *Hk.* omitt. cap. 24 et 25.

initium hujus delectationis faciendum esse[1]; itaque te, rex Sigurde, mecum comparandum deligo, ea ratione, quod utrique nostrum par est honoris titulus, par ditio et imperium; neque enim educationis nostræ generisve ullum facio discrimen. Tum rex Sigurdus infit: meministine, te, licet anno majorem, a me pro lubitu resupinatum esse? Rex Eystein reposuit: illud non minus memini, te nullum ludicrum, quod agilitatem corporis requireret, exercere potuisse. Sigurdus: an meministi, quo exitu inter nos natando certaremus? scilicet, te, si libuisset, aquis demergere potuissem. Eystein: at ego tibi neque per longinquum spatium natando, neque sub aquis urinando cessi; ego vero tibiis pecudum pedes subligatus currere per glaciem didici tanta dexteritate, ut in tali ludicri genere neminem mihi parem nossem, quam tu artem haud magis quam bos calluisti. Rex Sigurdus: at viro principe dignior atque utilior mihi videtur ars sagittas arcu perite excutiendi; tu vero, ni fallor, ne pedibus quidem obnixus, arcu meo uti valuisti. Eystein: ego vero quantum tibi robore cedo torquendorum arcuum, tantum, puto, te destinata feriendi peritia supero; præter hæc multo major mihi est dexteritas per nives tabulis cursoriis[2] labendi, quæ quidem ars olim præstans habita est. Magni referre existimo (inquit Sigurdus), eum, qui aliorum hominum princeps esse debeat, in acie constitutum et corporis statura viriumque magnitudine et tractandorum armorum peritia ceteros antecellere, et his rebus, ubi multi homines convenerint, conspicuum esse. Rex Eystein contra: non minus conspicua res est formæ præstantia, qua qui excellit, in celebritate versans

[1]) Sic *Hk.*; omitt. *A, H.* [2]) *skiðum*] sic *Hk.*; *skipum*, mendose, *A, H.*

facile notabilis est; quam principi viro convenire autumo, nam formæ gratiam optimus ornatus decet; huc accedit, quod legum civilium te multo sum peritior, et quando disserendum nobis est, rotunditate oris te multum antecello. Sigurdus: fieri potest, ut plures juris calumnias didiceris, eo enim tempore alia negotia curanda habui; nemo vero tibi oris rotunditatem deesse objicit, illud autem multi dicunt, te in dictis non admodum constantem esse, parvamque fidem merere quæ promiseris, præsentiumque te auribus servire; quæ tamen regem minime decent. Cui Eystein: verum est, frater, multos me adire, quibus tantum boni, quantum animus svadeat, præstare non possim; sæpe causas hominum secundum vera testimonia dijudico, siquid autem verius postea innotescat, facio quemlibet hominem jus suum obtinere, quicquid antea judicatum fuerit; sæpe quoque quod rogor, promitto, cum velim omnes a meo congressu lætos discedere. At vero hoc demum mihi faciendum restare video, ut exemplum capiam ex te, qui cum omnibus mala mineris, a nemine, quantum audio, vanarum minarum accusaris. Rex Sigurdus: constat inter omnes, expeditionem a me susceptam, si quidpiam, principe viro dignam fuisse, te interea, veluti filia esses patris tui, domi desidente. Rex Eystein: jam ulcus tetigisti, quod jam dudum erupturum speraveram: verum enimvero de hac re mentionem non injecissem, nisi quod responderem habuissem. Illud enim similitudini a te propositæ melius convenire puto, quod te, antequam ad eam profectionem paratus esses, domo abeuntem, ut si gnata[1] mea esses, rebus omnibus instruxi. Sigurdus: haud dubie audisti, inquit, me valde multa prælia in Africa fecisse, et ex omnibus

[1]) soror, *Ilk.*

victoriam reportasse, vario potitum genere rerum pretiosarum, quarum similes hæc terra non vidit; ego iis locis maximo honore sum habitus, ubi cum viris amplissimis versatus sum, tu vero nondum, ut puto, cessatorem domesticum agere desiisti. Eystein: audivi, te aliquot prælia fecisse in exteris, quibus quæ opponam, pauca forte erunt: Vogis in regni parte boreali tabernas piscatorias exstruxi, ut pauperes eo loco haberent, unde vitam tolerarent; eodem loco ædem sacram collocandam curavi, reditusque dedi, unde sacerdos viveret, qui ejus loci incolarum, antea pagano fere ritu viventium, mores emendaret; quo loco qui vitæ subsidiis utuntur, regem Eysteinem Norvegiæ imperantem, opinor, recordabuntur. [In Thrandarneso quoque templum exstruendum curavi, reditusque addidi; cujus loci incolæ Eysteinis Norvegiæ regis memoriam colent*. Mons Dovricus multorum hominum ex Thrandheimo proficiscentium itineribus frequentatus est, quorum alii tempestatibus sub dio oppressi periere, alii in magnas itinerum difficultates inciderunt; hoc loco deversorium montanum, addita pecunia, faciendum curavi. Portum ante Agdanesnm, locum antea desertum[1], feci, quo loco nunc commodissima statio est quibusque boream versus aut meridiem versus terræ litora præternavigantibus[2]. Columnam[3] in freto Sundholmensi[4] eduxi; quarum rerum qui opus habeant, scient, regem Eysteinem in Norvegia fuisse; his autem rebus utentur tam piscatores, quam mercatores, qui plurimas res utiles hanc[5] in terram important[6]. [Ma-

*) Omitt. *Hk.* [1]) et importuosum, add. *M, Hk.* [2]) templumque ibidem exstructum, add. *M, Hk.* [3]) catenis munitam, add. *Hk.* [4]) Sinholmensi, *Hk.* [5]) nostram, *H.* [6]) quo pacto regnum ab omnium rerum importatione non excludetur, add. *M.*

gnam illam[1] basilicam Bergis ædificandam curavi, nec non ædem Apostolis dicatam, gradusque interjectos, quo opere reges mihi successuri fruentur. Ædem Michaelis [in Nordneso[2] exstruendam, monasteriumque ibidem condendum curavi. [Leges, frater, ordinavi, ut æquali jure cives gauderent, quæ si serventur, reipublicæ administratio melius succedet[3]. Jamtos ad obsequium præstandum tributaque Norvegis solvenda perduxi, [non tam vi usus, quam verborum blanditiis et prudentia[4]. Hæc quidem, quæ in censum veniant, parva, fateor, sunt, verum tamen ea omnia imperio nostro et universæ reipublicæ, non inutiliora, mihique ad salutem non minus profutura, existimo, quam tibi Mauros a te in gratiam diaboli obtruncatos in Africa, et in infernum deturbatos. Rex Sigurdus: [Hierosolymam adii, Apuliam attigi, neque te his locis vidi; octo prælia feci, quorum nulli interfuisti; sepulcrum domini visitavi, neque te ibi conspexi[5]; quo profectus ad Jordanem veni, transnatatoque flumine, in fruticeto aliquo, in ripa fluminis sito, nodum tibi rex Eystein, connexui, præfatus, ut aut hunc nodum solveres, aut conditioni ibi tum pronuntiatæ obnoxius esses[6]. Eystein: nodum illum, quem mihi solvendum ibi connexuisti, non solvam; ego vero tibi ab exteris redeunti, cum una nave vectus classi meæ te immiscuisti, nodum multo majori negotio solvendum connectere potui. [Nunc homines prudentes animum advertant, qua re me antecelleas, atque scitote, auro colla torquati, esse etiamnum in Norvegia, qui vos æquet[7].

[1]) *H*; omitt. *A, M, Hk.* [2]) omitt. *M, Hk.* [3]) Sic *M, Hk.*; omitt. *A, H.* [4]) Sic *M* et ex parte *Hk.*; omitt. *A. H.* [5]) Sic *M, Hk.*; omitt. *A, H.* [6]) Tunc ego ac rex Hierosolymitanus, tua ope aut consilio non adjuti, oppidum Sidonem expugnavimus, add. *M.* [7]) Sic *M, Hk.*; omitt. *A.*

[His dictis utrique, gravi ira commoti, conticuerunt[1].

Cap. 27. Ferunt, regem Sigurdum Hierosolymipetam convivio Mæriæ[2] in Thrandheimo interfuisse, præsente affini Sigurdo Ranii, qui Skjaldvaram, regis Magni Nudipedis sororem uterinam, in matrimonio habuit[3]; præsente quoque Ivare de Fljodis, præfecto, qui Sigridam Ranii, Sigurdi sororem, in matrimonio habuit; qui affines integram inter se amicitiam coluerunt. Rex Sigurdus vespere poculis indulgebat, et admodum hilaris fuit; manuque, quam aurea armilla circumdedit, in mensam prætensa: hanc armillam, inquit, nunc cuicunque libuerit dare muneri volo; qui vero eam dono accipere cupiat, is legationem meo nomine suscipiat. Quibus verbis non homines ignobiles intelligi volo, sed viros, præfecturis ornatos, excepto Sigurdo affini meo, cujus opera respublica carere non potest. Excepit Ivar de Fljodis: quandoquidem excepto Sigurdo Ranii filio ex præfectis hic adesse scio præter me neminem, temeritatis crimen haud incurrisse videbor, si ad hæc respondeam. Neque me, cum provida cura rem suscepisse videaris, tergiversantem habebis; quocunque enim voles, lubens proficiscar. Rex: notum vulgo est, patrem meum [occidentem versus in Hiberniam expeditionem fecisse, quæ qualem quantumque exitum habuerit, in aperto est[4]. Huc te missurus sum, ut [tributa et satisfactionem de jactura et clade hominum, quam ibi fecimus, postules; quibus mandatis si incolæ parere recusent, me ostende ar-

[1]) Omitt. *M.* [2]) in prædio regio, *M.* [3]) reliqua hujus cap. omitt. *Hk.* [4]) in Hibernia amplo regno, nempe Ulastiria, potitum esse; qui postquam decessit, nulla ex eo regno commoda, neque præfecturarum mercedes, neque vectigalia, percepimus, *M.*

matam classem adversus eos ducturum; nam opes haudquaquam illorum minores profligavi[1]. Jam extemplo in emporium excurre, ibique ex villa regia quantum libeat pecuniarum aliasque res necessarias sume. Ivar: haud cogitaveram, rem adeo subitam mihi obventuram. Atque extemplo una navi longa in oppidum vectus, ibidem iter comparavit. Trajecto mari occidentali, primo Orcadas attigit, ubi hiemavit. Insequenti vere in Hiberniam trajecit, et, præfectis terræ in colloquium accitis, mandata regis Sigurdi exposuit; ostendit, quantam ibi jacturam rex fecisset, quid damni Hiberni ei resarcire deberent, quantumque periculum metuendum esset, si jussis regiis parere recusarent; demonstrat, nobilium regni virorum prudentiæ magis convenire et honorificentius esse, principis, qualis Sigurdi, amicitiam rebus pretiosis muneri missis sibi conciliare, quam eo periculi descendere, ut eum copiis contra se tendentem sentiant. Docet et proponit, regem existimare vindictam cæsi patris ab illis expetendam: explicat, ut, vel levioribus injuriis ad ultionem instigatus, quæcunque voluisset, vi et consilio extorsisset: si vero, inquit, me intercedente, mandatis regis obtemperare, eique res, quas accipere eum deceat, in præsenti mittere velitis, ego studium operamque omnem in eo collocabo, ne talis pensio sæpius a vobis postuletur, et faciam, ut non tributi, sed xeniorum nomine appelletur. Ivar rem perorando eo deduxit, ut Hiberni ad solvendas pecunias descenderent; quam ingentem effectam pecuniæ summam accepit, et in Norvegiam transportavit.

Cap. 28. Sed illuc, unde digressi sumus, redeamus. Eodem vespere, quo ab rege Sigurdo Ivar digressus est, rex ingenti lætitia affectus in

[1]) debita nobis tributa postules, *M.*

multam vesperam poculis adsidebat. Sigurdus Ranii, quippe in somnum vespertinum pronus, et ab nôcturnis[1] accubationibus[2] alienus, cubitum eundi veniam ab rege petiit. Rex eum, uti liberet, facere jubens: tu Skjaldvara, remaneto, et mecum potato, inquit. Interim, producta in longius accubatione, convivæ, unus post alterum, e triclinio cubitum properare. Skjaldvaræ ac Sigridæ Ranii filiæ secedentibus rex comites dedit, quarum illa in cubiculum, ad lectum, ubi maritus Sigurdus dormiebat, deducta; Sigrida vero sola, alio itinere, in cubiculum, ubi ipse rex dormiret, ducta. Præterit nox. Postero mane Sigurdus Ranii, de dolo certior factus, magna ira excanduit, cumque rex ad mensas accessisset et celsam sedem occupasset, non ante triclinium ingressus est, quam misso nuntio vocaretur; ingressus, rege non salutato, confestim ad sedem suam se contulit. Heic rex Sigurdo: non eandem, quam soles, Sigurde, virtutem[3] adhibes, qui neque ad mensas more ceterorum accedas, neque me honorifice salutes. Ille: haud tu ideo magno honore mactàris, quod non parvo dignus sis. Asperum te nunc, affinis, et indignabundum præbes, inquit rex; age, ista ab nobis depellamus et hilares simus. Sigurdus: non induci possum, ut hoc faciam, cum me tanto rubore et ignominia affeceris. Tunc rex ira percitus: tu, fur, nimium audax es, inquit, qui ita me alloquare. Cui Sigurdus: non adhuc eo sum nomine usus, ut fur appellatus fuerim. Rex: quis, quæso, te furacior, qui singulis duodenis mensibus mihi pecuniarum non minus sexaginta[4] selibris surripias; tu enim commeatum et mercaturam cum Finnis exercens, ex pecuniis mihi debitis non

[1]) vespertinis, *H.* [2]) itionibus et vigilationibus, *M.* [3]) attentionem, *M.* [4]) quadraginta, *H.*

plus quam dimidium reddis, quarum tibi rationem reddendam esse, certo scito. Eo die plura non collocuti sunt. Sigurdus vero, certior factus, regem hanc causam non eo loco relicturum, cum rem tanto fervore agitatam repellere solus desperaret, villam reliquit; neque enim eum locum satis tutum credidit, neque in potestate ejus fuit sororis Sigridæ itionibus modum statuere. Itaque primo in emporium Nidarosi concessit, ibique brevi commoratus est. Inde cum undecim viris ex Thrandheimo vectus, oram terræ austrum versus præternavigavit, neque cursum stitit, priusquam in Vikam pervenisset, ubi regem Eysteinem conveniens, quæ se ac regem Sigurdum intercessissent[1] aperuit. Rex Eystein eum graviter quidem increpuit, quod tam audacter regem Sigurdum allocutus esset, tali cum principe incaute et temere actum esse dictitans; clam vero cum eo[2] collocutus, omnem causæ rationem diligenter scrutatus consiliaque quæ postea effecta sunt, machinatus est[3].

Cap. 29. Post hæc boream versus missi sunt, qui Skjaldvaræ, quæ Sigurdo in australes regni partes concedente in emporio remanserat, nuntiarent, regem Eysteinem insequenti vere eo venturum, ut [regem Sigurdum ac Sigurdum Ranii[4] in gratiam reduceret conaretur. Rex Sigurdus ea hieme in Thrandheimo, rex Eystein in parte regni orientali se continebat. Appetente vere rex Eystein iter ab oriente adornavit, et proximo vere in Thrandheimum venit, [regem Sigurdum et Sigurdum Ranii[4] in gratiam reconciliaturus; idem per exploratores cognoscere studuit, numquid Sigurdi regis in cognominem animus mitigaretur; quod fieri

[1]) soli, add. *H.* [2]) tres dies, add. *M.* [3]) Hoc caput *Hk.* multo brevius exponit. [4]) cognomines, *H.*

repertum non est. Reges ipsi Nidarosi congressi sunt; qui cum paulisper in oppido commorati essent, rex Sigurdus homines ad conventum classico advocari jussit. Quo conventu crimen Sigurdo intentavit, quod pecunias regum intervertisset, et tributum Finnicum per avaritiam invitis dominis depeculatus esset, gravi pœna obnoxium dictitans, quod possessionem regum violasset, remque severitate judiciorum esse dijudicandam. Sigurdus Ranii ad dicta regis hunc in modum respondit: notum vulgo est, inquit, regem Magnum Nudipedem cum copiis in Gothiam ingressum, multis locis depopulatis, magnam vim prædæ retulisse. Suis deinde, Sigurdo Ullstrengo multisque aliis principibus, in insula dicta Paldinseya[1] præsidio relictis, ipsum cum parte copiarum in aliis locis consedisse. Tunc ego, castra ejus secutus, certis nuntiis edoctus eum feci certiorem, regem Ingium Steinkelis filium cum invicto exercitu adventare, neque eo loco diutius hærendum esse. Quo allato nuntio, ipse fassus est, me amici officio defunctum esse. Itaque cum omnibus[2], quas secum habuit, copiis in Vikam recessit, Sigurdus vero Ullstrengus cum omnibus suis captus est. Hinc mihi, quod, ipsius regis Magni judicio, eum præsenti periculo liberassem, Skjaldvaram sororem in matrimonium dedit, me fidelissimum habuit, et profectionibus ac commerciis Finnicis, quoad ipse ac filii Norvegiæ imperarent, præfecit, ea lege, ut regi sexaginta selibras ponderatas singulis semestribus penderem, ipse vero, si quid lucri amplius esset, mihi haberem. Qua re pecunias, mihi ab ipso testibus adhibitis concessas, jure meo mihi videor possidere. Quod vero in te, domine, iratus verba

¹) rectius: Kvaldinseya, vide hist. Magni Nudip. c. 26; Valdinseya, *H*; Valdiseya, *M*. ²) omitt. *H*.

profudi justo contumeliosiora, hæc ego omnia tuo arbitrio permissa volo. Rex Sigurdus oblatam ab eo conditionem non accepturum se dictitans, crimen repetundarum persecutus est. Tum interposuit rex Eystein: hæc causa, quam Sigurdo intendisti, frater, ita est comparata, ut non in foro emporii (Nidarosiensi), sed in comitiis agi debeat, utpote quæ ad jus civile, non Bjarkeyense, pertineat, nam nulli non apparet, frater, talem causam non ex jure Bjarkeyensi dijudicari oportere. Huic rex Sigurdus: si tu, rex Eystein, quam causam agere non minus tibi quam mihi conveniat, hanc defendere velis, huic etiam rei occurretur. Dein rex Sigurdus comitia Kepsiseyensia[1] ad boream in diem decimum quartum indixit, ibique Sigurdum Ranii ad objecta crimina respondere jussit. Quibus actis suo cum comitatu ex conventu discessit. Rex Eystein Sigurdum Ranii nuncupare testes jussit, actionem regis Sigurdi in conventu lege peremtam[2] esse.

Cap. 30. Post hæc rex Eystein Sigurdum hortatus est, ut boream versus domum Steigam profectus, quam maximam posset hominum multitudinem contraheret, eamque copiam omnem in comitia adduceret. Sigurdus, ejus hortationibus inductus, appulsa ad Bjarkeyam navi, Vidkunnum Jonis filium auxilium imploravit. Qui se amicum ei esse libenter quidem velle ostendit, videri vero sibi, rem ipsorum regum agi; quare, cum ipse præfectus esset regis Sigurdi, hujus partes secuturum. Neque ita multo post rex Sigurdus ad Vidkunnum misit, ut se quanta comparare posset multitudine hominum conveniret; quod et fecit. Rex Sigurdus cum copiis prior ad comitia venit, permagno stipatus hominum numero. Regi

[1]) Kefseyensia, *M.* [2]) irritam redditam, *M.*

Eysteini boream versus tendenti Sigurdus Ranii magna cum manu occurrit. Ut insulæ adpropinquarunt, rex Eystein: jam copias quam strenuissime ordinemus, atque ut primum naves stationem attigerint, omnes cum clypeis et armis instructa acie escendunto, paucis ad custodiendas naves relictis; nam suspicor ex rusticis, qui cum rege Sigurdo in comitiis adsint, multos rei novitate permotos, ex comitiis certatim descensuros, ut mirabundos oculos pascant: tum nos quam citissime in comitia properemus, atque sic manum eorum nostra turba implicemus, quo facto nostra copia magnæ multitudinis speciem habebit. Hac ratione cum uterentur, magna ad eos multitudo mirabunda confluebat, paucis præter ipsius regis comites ac Vidkunni manum remanentibus. Rex Sigurdus, copias ab se dilabi animadvertens, in hæc erupit: mehercle omnes rustici Sigurdo Ranii adesse cupiunt. Excepit Vidkunnus: imo, ista, domine, dolo regis Eysteinis facta sunt, ut qui Halogos noverit res insolitas videndi cupiditate teneri. Tum rex Sigurdus causam agere orsus, Sigurdum eodem quo antea modo de repetundis postulavit, judicesque sententiam secundum leges civiles ferre jussit. Sigurdus Ranii eadem ac antea responsa dedit, easdemque conditiones obtulit. Rex conditiones ejus aspernatus, jure contendere maluit. Cui Sigurdus Ranii: per affinitatis nostræ necessitudinem, longinquam amicitiam multaque inter nos communicata beneficia te, rex Sigurde, obsecro, hanc litem ut mihi condones, nev sermonibus malorum et invidiosorum hominum, qui me calumniantur, aures præbeas; qua ex re honorem et gloriam consequeris, neque enim ex tributo Finnico plus lucri, quam æquum est, percipio Rex Sigurdus contra: haud dudum speraveram,

te concessi a me insignis muneris beneficium ita remuneraturum, ut, quod meum esset, tibi vindicaturus, et ex meis pecuniis plus quam concessum tibi erat retenturus esses. Sigurdus: non verum est, quod tibi nescio qui dixerunt, me ex iis plus, quam concessum est a te, retinere. Rex: ne te credas nuda oris affirmatione defungi posse. Hic rex Eystein surgens, locutus est: est quidem res ingratæ operæ hac de re disceptare, regique Sigurdo ex aliqua parte contra dicere; sed multum interest, jurisne ergo causa sustineatur, an eo consilio, ut regi obviam eatur. Utrique quidem nostrum actio causæ competit, sed propter necessitatem Sigurdi Ranii, quæque nos et eum intercedit affinitatem, pauca verba in ejus commodum proferemus; nimirum asserit, frater, se innocentem huic crimini implicitum esse, teque orat, ut diuturnæ vestræ societatis, nec non necessitudinis rationem habeas. Rex Sigurdus: decet regem, imperii diligentem, talia secundum leges punire. Rex Eystein: quod si leges rectamque juris dicendi normam sequi velis, cum maxime fieri convenit, ut ei [testibus suis[1] uti liceat; atque si, frater, in animum induxisti, legum præscripta hac in causa sequi, auctor sum, ut in id omnem curam intendas, ut causam legitime ac recte agas, ne legum periti reperiant, te contra jus et æquum dicere. Rex Sigurdus: verum tu mihi in emporio dixeras, hanc causam in comitiis agendam esse. Rex Eystein: at vero rustici hæc comitia constituerunt, ut alter ab altero, quod justum rectumque sit, obtineat; hæc vero causa, cujus actio in virum præfectum instituta est, in publicis comitiis, huic provinciæ propriis, id est, in comitiis Thrandheimensibus, agenda est. Deinde hoc membrum

[1]) amicorum opera, *M.*

causæ secundum leges discussum est, atque decreverunt prætores, sententiam regis Eysteinis legibus consentaneam esse. Tunc rex Sigurdus comitia in Thrandarneso habenda in diem decimum quartum indixit, eoque loco Sigurdum verba pro se facere jussit. Quibus actis cum omnibus copiis ad naves descendit. Rex vero Eystein et Sigurdus Ranii iterum testes nuncuparunt, quod causa in comitiis Kepsiseyensibus[1] peremta esset; hæc vero secreto egerunt.

Cap. 31. Jam rex Sigurdus præfectos præfectorumque stipatores ad se citavit, numerosam rusticorum manum ex quavis provincia inde ab australi parte regni nuncupavit; magnam contraxit hominum multitudinem; quas universas copias, litora legens, boream versus duxit, et immenso hominum numero stipatus in Halogiam contendit, remque summo ardore et severitate persequi statuit, ut Sigurdum Ranii filium in his locis, ubi natus educatusque erat, reum perageret. Itaque omnes Halogos et Nömdalenses ad comitia Thrandheimensia[2] convocavit. Rex Eystein, magno comparato hominum numero, in comitia contendit; tum suos jussit in itinere faciundo magnificentiam et pompam ostendere, proras navium consertis clypeis ornare, arma capere et in promtu habere, ut primum terram tetigissent, summa celeritate escendere, atque paratissimos sese ad eundum adversus regem Sigurdum ostendere. Sic fecerunt, et die constituta in comitia escenderunt; utrique magnam hominum multitudinem adduxerant, rex vero Sigurdus cum suis prior in comitia advenerat. Ut vero rex Eystein loco comitiorum adpropinquavit, Sigurdum Ranii allocutus: quas conditiones, inquit, offerre, quidve

[1]) Kefleyensibus, *M*, confer supra cap. 29. sub fin. [2]) Arnarheimensia, *M*; Arnarnesensia, *Hk*.

pro te hodie in comitiis respondere cogitas? Ille: abs te consilium et præsidium exspecto. Rex: itaque, si meis consiliis uti velis, huc accede, mihique dextra data testibusque adhibitis causam omnem tuam adversus regem Sigurdum defendendam trade; quo facto profiteamur, actionem adversus me institui: etenim multo æquius est, me ac fratrem inter nos contendere, ac experiri, uter utro juris peritior sit. Sic fecerunt, eoque facto rex Eystein cum copiis in comitia ivit. Rex Sigurdus litem adversus Sigurdum Ranii eadem atque antea contentione, quin etiam majori, egit. Tunc rex Eystein statim respondit ac locutus est: cunctis notum est, quas conditiones Sigurdus Ranii regi Sigurdo obtulerit; etsi enim objecto crimine parum labefactatus sibi visus sit, tamen rem soli regi Sigurdo decidendam permisit. Quoniam vero testes habet profitentes, regem Magnum ei commercium Finnicum concessisse eis conditionibus, quæ ad hoc tempus manserunt, easdemque conditiones ratas esse jussisse, dum filii ejus Norvegiæ imperarent, nunc, uti antea, nostra sententia est, ut ei testes producere, et quorumlibet argumentorum beneficio uti liceat, ipse vero de omnibus, quæ testimoniis probari nequeant, satisfaciat. Cum vero rex Sigurdus nihil velit nisi summo jure agere, quo labefactare Sigurdum possit, huic etiam rei acquiescendum erit, dummodo legitimam defensionem admittere velit[1]. Rex Sigurdus: actionem hujus causæ magnopere urges; ego vero, etsi, antequam ad finem perducatur causa, majores, quam cogitaveram, difficultates objiciantur, tamen, cum hominem hoc in territorio, ubi cognati ipsius sunt, reum peragere statuerim, in lite agenda perseverare decrevi. Rex

[1]) antecedentia hujus cap. *M* brevi compendio circumscribit.

Eystein: pauca credo esse, frater, quæ ad effectum perducere non valeas, si qua in re studium collocare velis, qui tot tantasque res gesseris; hac vero in causa credibile est et paucos et tenues homines ab adversa parte staturos. Rex Sigurdus significavit, placere sibi, hoc causæ punctum in quæstionem vocari, [haud licuisse[1] regi Magno munera dare, quæ ultra tempus imperii ipsius durarent: quod si jam aliquid desit, inquit, quin actio causæ secundum leges instituta sit, culpam in rege Eysteine hærere ajo, nunc enim, quibus in comitiis agi causam oportere rex Eystein monuerat, in his comitiis agendam denuntiavi. Ad hæc rex Eysteiu: dixi quidem, frater, hanc causam adversus Sigurdum Ranii filium in comitiis Thrandheimensibus agi oportere; quoniam vero facies causæ eam mutationem subiit, ut ipsi reges negotium inter se habeant, ea non potest in comitiis provincialibus peragi, sed peragenda est in comitiis publicis, aut Frostensibus, aut Gulensibus, aut Heidsævensibus; cumque hæc lis in territorio Frostensi orta sit, in comitiis Frostensibus peragenda causa est, si ex legibus agatur; nunc enim omnem causam, quæ proprie ad Sigurdum Ranii pertineret, in me suscepi, quapropter jam ad nos reges transiit; neque huic rei est ut contra dicas. Heic rex Sigurdus ita locutus est: quamvis hac causa suscepta te mihi adversarium ostendas, non tamen eo magis ab agenda desistam. Quo dicto regem Eysteinem ad comitia Frostensia citavit, eoque facto discessit. Rex Eystein denuo testes nuncupavit, quod causa agente rege Sigurdo peremta esset. Sed eo jam processerat æstas, ut tempus comitiorum Frostensium præteriisset, unde causam in proximum annum differre necesse

[1]) an licuisset, *H.*

erat. Permisit quoque lex, ut comitia Frostensia, etsi indicta essent, in oppido Nidarosi, quo tempore æstatis solebant, haberentur.

Cap. 32. Ferunt, eadem æstate cum rex Sigurdus in oppido versans cum Sigrida Ranii filia colloqueretur, conspectas naves, oppido adpropinquantes; quas cum Ivaris Fljodensis esse, suspicio esset, rex sacerdotem Einarem Skulii misit, ut exploraret, rediisset Ivar, nec ne. Qui ad regem reversus, hos versus fudit:

Princeps Mærensium, cui insignis
est gloria, cui non deest copia
prudentiæ, habeo, quem tibi
afferam, exoptatum nuntium:
Digitulus Ivar Fljodensis, vir
ille splendidis conspicuus annulis,
nondum huc advenit; quieto tibi
etiamnum apud illam sedere licet[1].

Sic Ivar olim cognominatus fuerat. Post eadem æstate Ivar in Norvegiam revenit; atque sic ea res periit.

Cap. 33. Rex Eystein sequentem hiemem in Thrandheimo egit. Proxima æstate uterque rex

---

[1]) Ordo: *þeingill Mæra a)! þinn vegr er mikill, ertu b) alfróðr c) svá at eigi skortir; hefig góða sögu (at) segja þér: fingrmjórr d) Ívar af Fljóðum e), fægi-rjóðr f) bauga g), er eigi kominn hingat; sittu enn kyrr hjá henni.*

a) Møra, id., *M.* *b) H; er þú, A.* *c) allfróðr, H, M,* quod quis facile prætulerit. *d)* i. e. digitis tenuibus, cognomentum Ivaris. *e) M; Fljóði, A.* *f) fegi-rjóðr,* id. (*e* pro *æ*), aut, quod malim, a *fegja* (id. qv. *fægja*), quæ vox occurrit *Fm. S.* 6, 336 et in Gloss. Njalæ. *g)* proprie, is, qui annulos polit, splendidos facit; hic accipi potest de viro, qui aut splendidis annulis utitur, aut annulos usu splendidos reddit, h. e. annulos liberaliter distribuit; prius h. l. in versione expressi, posterius secutus sum in simili appellatione *lægis logfágandi,* Script. Hist. Isl. Vol. 2, p. 275.

ad suos quisque præfectos, aliosque aulicis ministeriis addictos misit, ut comitia frequentarent. Rex Olavus, frater eorum, quo tempore hæc acciderunt in vivis erat; hic quoque cum aulicis ad comitia evocatus est. Aderat in oppido rex Eystein, et in ædibus regiis se continebat; rex Olavus prior rege Sigurdo in oppidum advenit, et prope templum Sancti Olavi consedit; paulo post adveniens rex Sigurdus cum magna classe, amnem Nidam ingressus est, et se suosque in navibus sub tentoriis continuit. Eo die, quo agenda erant comitia, causaque disceptanda, rustici et comitiales signo tuba dato jussi, ut primi in comitia irent ac judicia legitime ordinarent; heic juris peritissimus erat Jon Mörnevus[1], vir præfecti dignitate, [amplo genere, pater Eindridii, qui ad Serkum occubuit[2]. Versabatur cum rege Olavo Sigurdus Sigurdi filius de Hvitasteino, ex præfectis, qui in Norvegia essent, unus in prudentissimis. Rex Eystein cum sua cohorte primus ex regibus in comitia ivit, magno comitatus asseclarum numero, statimque postulavit, ut præfecti in ejus sententiam irent, ac Sigurdi Ranii causam, prouti possent, sustinerent et confirmarent. Jon Mörnevus[3] respondit, dicens magnum discrimen subiturum, qui alterum fratrem alteri præponeret, se tamen maxime a partibus regis Eysteinis stare, si legibus conveniens esset, cupere ostendit. Tum rex Eystein: nihil postulo, quam ut jus dicatis quod jus est; si vero rem consilio et legis peritia ita præparare potero, ut vestri ne officii sit, de his causis, qui hodie agentur, sententiam dicere, postulo, ut fide data promittatis, vos hoc fratris impotentiæ non tributuros, ut contra jus fasque dicatis sententi-

[1]) Mörnevi filius, *M.* [2]) Sic *H*, *M*; omitt. *A.* [3]) Mörnevi filius, *M.*

am. Hæc oratio magna audientium acclamatione comprobata est. Proximus in comitia rex Olavus sua cum cohorte advenit, qui ex illis multo paucissimos habuit comites. Postremo advenit rex Sigurdus, cujus copiæ pæne plena armatura instructæ erant, nisi quod clypeos non habuerunt. Mox rex Sigurdus orsus, accusationem in Sigurdum Ranii filium, quam maxime legibus convenire putabat, auctoritate consiliatorum, qui ei adsistebant, denuntiavit. Rex Eystein defensionem causæ suscepit; cumque in comitiis primo disputaretur, regine Magno ullum munus diutius, quam quoad ipse imperaret, concedere licuisset, an hæc adsumtio pro justa defensione haberi oporteret, decreverunt prætores, licere regi, donationibus suis centum annos præfinire, quæ præfinitio in omnibus Norvegiæ conventibus forensibus, nempe in comitiis Frostensibus, Gulensibus et Heidsævensibus, promulgaretur. Dein quæri cœptum, an Sigurdus Ranii filius talem præfinitionem, quæ ætatem regis Magni excederet, usquam promulgasset, [quod factum esse, nullis productis testibus probari potuit[1]. Tunc rex Sigurdus significavit, haud placere sibi, ulli regi diutius quam per ipsius ætatem [concedere munera[2] licere; contendens, sic elisam esse defensionem regis Eysteinis, quod Sigurdo Ranii commercium Finnicum exercere liceret. Excepit rex Eystein: placere sibi, regi ab hoc tempore, uti antea, licere donationibus suis centum annorum spatium præfinire. Quæ quæstio, auctoritate procerum, ita transacta est, ut reges sortium arbitrio permitterent, cujus sententia in posterum prævaleret; sortes vero notarentur et in sinum conjicerentur. Tum rex Eystein fratrem, regem

[1]) hocque factum esse, productis testibus probare posset, *M.*
[2]) constituere leges, *M.*

Olavum, interrogavit, utrius sententiæ hac in re adstipularetur. Ille: cum nos diu mutuo amore conjuncti fuerimus atque animorum concordia coaluerimus, quæ tibi, rex Eystein, de legibus ac civili regimine placeant, mihi quoque placere ajo. Rex Eystein: itaque moneo, rex Sigurde, ut tertia sors notata in sinum conjiciatur; nam rex Olavus rege Magno juxta atque nos natus est. Rex Sigurdus: jam intelligi potest, omnia adjumenta in subsidium vocari, cum duas sortes in sinu habere velis, me unam habente; verum tamen nullus prohibebo, quo minus regi Olavo debitus honor habeatur. Dein sortes in sinum conjectæ; exiit sors regis Sigurdi, ipsi arbitrium constituendi deferens; ille vero, quæ antea placuerat, sententiam pronuntiavit.

Cap. 34. Postquam causa hunc in locum perducta erat, inquiri cœptum est, an Sigurdus Ranii pecunias invitis dominis retinuisset. Qua de re, ut se haberet, cum multi disputarent, nemo erat, qui sententiam aperte proloqueretur, præter Bergthorem Bokkum filium Sveinis Bryggjufoti; hic Sigurdum criminis reum esse denuntiavit. Quo facto rex Sigurdus prætores et judices hortatus est, ut Sigurdum Ranii de repetundis damnarent, statum enim causæ perductum ad liquidum esse, putare se, male cum eo actum iri, qui hoc statu causæ sententiam voto suo non respondentem pronuntiaret. Rex Eystein iniquum sibi videri dixit, si Sigurdus possessionis, ipsi ab rege Magno, suo filiorumque nomine, concessæ, quam nemo ad id tempus reprobasset, damnaretur: ac ne putetis, inquit, meam indignationem minus, quam regis Sigurdi, valituram, sciatis, velim, me, si aliud judicatum fuerit, quam legibus putem convenire, haudquaquam in levi habiturum; existimo enim me aliquantum illo esse juris peri-

tiorem. Tum Jon[1] Mörnevus: etsi haud in facili esse putemus, hac de causa dijudicare, si ratio officii postulabit, hoc faciemus, utcunque utrivis placebit. His rex Eystein: manete paulisper, dum sententiam pronuntiatis. Dein testes in medium procedere jussit, primo in conventu appellatos, qui confirmarunt, accusationem regis Sigurdi elisam esse; mox testes ac testimonia, in comitiis Kepsiseyensibus[2] prolata, produxit, inde rejectam causam esse affirmantia; deinde prolata testimonia in comitiis Thrandarnesensibus nuncupata, ibi quoque eandem causam interiisse. Post hæc rex Eystein: jam sententiam vestram, prætores, posco, ut quid legitimum sit declaretis, nunquamne possit actio causæ adeo male administrari, ut unam eandemque causam, quotiescunque libuerit, persequi non liceat; puto enim justum esse, si litigantes prudentia juris adeo inter se differant, ut aliqua causa in tribus[3] conventibus forensibus perimatur, hocque testibus nuncupatis confirmetur, hanc causam exinde nunquam debere in integrum restitui, neque judices postea ad eam dijudicandum obligari. Dein, testibus nuncupatis, judicibus interdixit, ne causam judicarent. Tum Jon[4] Mörnevus: equidem, si officii ratio postularet, sententiam ferrem, quam legibus putarem convenientissimam, nunc vero gaudeo, judicium hac re interpellari; regis enim Eysteinis sententiam legi consentaneam esse affirmo. Hic rex Sigurdus, magna ira incensus: fieri potest, ut rex Eystein hanc causam juris calumniis peremerit, sed unum adhuc restat judicium, cujus exercendi fortasse non minorem illo usum habeam; quod, si jus non obtinebo, controversiam nostram penitus decidet. His di-

[1]) Joan, *M.* [2]) Arnarnesensibus, *M.* [3]) aut quatuor, add. *M.*
[4]) Joan, *M.*

ctis, relictis comitiis, ad naves cum omnibus copiis descendit; rex Eystein ac rex Olavus in ædes, ubi hospitabantur, se receperunt. Rex Eystein, cubiculum ingressus, consedit potaturus, magna jam lætitia gestiens. Erant ex suis, qui demonstrarent, quantum inter se discrimen prudentiæ fratres eo die ostendissent; alii, quem exitum res esset habitura, magna contentione disputabant. Rex Eystein ex Sigurdo Ranii filio quæsivit, ut ei exitus causæ aut latum auxilium placeret. Ille: tua hac in causa navata opera optime mihi placet; mihi enim auxilium tulisti omnibus numeris absolutum, ne dicam nimium. Quibus iratus rex: haud facile invenias hominem, qui ea sit constantia et fiducia animi, ut a superiore plenum auxilium accipere audeat; unde fit, ut negotiis hominum magis, quam alias, abstineam.

Cap. 35. Post paulo Sigurdus Ranii occasionem e triclinio exeundi captabat; sera erat vespera. Ut animadvertit, se a nemine observari, repente solus se abripuit. Erat sine pallio, tunica indutus coccinea, brachiisque cæruleis, quibus tunicam circumcinxerat; manu gerebat ingentem hastam, brevi manubrio, cubitali longitudine. [Per plateas[1] descendens gradum non stitit, antequam venit ad pontem, quæ puppim navis Sigurdi regis cum terra jungebat. Aderat hic aliquis, et excubias agebat. Qui cum Sigurdo oranti veniam in navem transgrediendi tardius responderet, Sigurdus: duarum, inquit, conditionum alterutram elige, aut ex ponte recede, aut hastam corpore recipe. [Recessit e ponte excubitor[2]; Sigurdus in navis interscalmium anterius transgreditur. Stabant (instructæ) mensæ,

[1]) ad mare, *H.* [2]) Ille potiorem (conditionem) elegit, *M.*

unde Sigurdus a nemine observatus est, priusquam ad pedes regis in genua provolutus, verba faceret: nolo, inquit, domine, rex Sigurde, vos fratres mea causa odiis capitalibus certare, quo res nunc spectat; malo me [caputque meum[1] in tuam tradere fidem et potestatem, quo quod libuerit facias; mori enim, quam discordiæ inter te et regem Eysteinem causa esse, malo. Multis pro Sigurdo deprecantibus, regemque orantibus, ut Sigurdum, qui se in potestatem ejus tradidisset, bene acciperet, rex, interjecta mora, tandem locutus est: tu sane excellentis animi es, Sigurde; rem enim suscepisti, nobis omnibus maxime salutarem. Nam modo res in tantum discrimen erat adducta, ut, quo evasura esset, præter Deum solum, intelligere posset nemo; [animo enim statutum habueram, cras cum omnibus copiis in campos Ilenses egredi, et cum rege Eysteine prælium committere[2]. Jam tecum in gratiam redibo, si omnem causam meæ potestati et arbitrio dextra data committere velis. Sigurdus ita fecit. Tum rex Sigurdus: jam pacificatio non amplius protrahenda; satis diu res nostra antea impedita est[3]: multam tibi irrogo quindecim auri selibrarum, quam totam pecuniæ summam cras, antequam sacra antemeridiana in æde Christi perfecta sint, pendito. Me quidem fratres mei afficere contumelia cogitarunt, quorum ego honori, pariter atque meo, prospicere volo: itaque regi Eysteini quinque selibras pendito, alteras quinque regi Olavo, mihi tertias quinque, et eorum utrique, antequam mihi pependeris, solvito. Hæc omnis pecunia nulla alia re, nisi puro auro, solvenda est; audivi enim, te,

[1]) resque meas, *H.* [2]) omitt. *M.* [3]) antecedentem narrationem inde ab initio cap. 30. *Hk.* brevi compendio includit, et sequentia hujus cap. plane omittit.

surreptis vectigalibus regiis, auro divitem factum. Si vero hanc pecuniam ea prorsus ratione, quam modo dixi, non solvis, inita inter nos gratia dissolvetur. Sigurdus Ranii filius respondit: gratias tibi ago, domine, quod tecum in gratiam redeundi copiam mihi fecisti, utut sese habeant aureæ illæ divitiæ meæ. His dictis e navi in oppidum regressus, cum in cubiculum veniret ad regem Eysteinem, huic de omnibus, quæ inter se ac regem Sigurdum intercessissent, exposuit. Ad quæ dicta facies regis Eysteinis sangvinis instar adeo rubuit, ut pæne solo digito ei mittere sangvinem posses; dein fatus est: tu me gravi sane discrimini implicuisti, maleque meum auxilium accepisti, quare hujus pacificationis ad me nihil pertinere existimabo. His dictis rex Eystein cubitum ivit; Sigurdus vero amicos adiit, ab eisque mutuas pecunias sumsit, quæ cum iis, quæ antea ei erant, quinque amplius selibras auri defæcati effecerunt. Sequenti mane, perfectis sacris matutinis, Sigurdus regem Eysteinem conveniens rogavit, ut lances sumi aurumque ponderari juberet. Quo facto, Sigurdus: hanc pecuniam, domine rex, accipias velim, sive velis multam, sive auxilii mercedem, quamvis justo minorem, appellare. Rex Eystein: ubi pecuniæ, quas fratribus meis, regi Olavo et regi Sigurdo, solvere debes? Ille: ei primum solvere ordior, cui plurimum debere mihi videar, quemcunque demum exitum reliquæ pensiones habebunt. Rex Eystein: scio[1], te haud dubie pecunias istas mutuo sumsisse, quare velim hoc pecuniæ dono accipias. Actis de munere gratiis, Sigurdus regem Olavum adiit, seque ei velle aurum pendere ostendit. Rex Olavus quæsivit, an regi Eysteini solvisset. Sigurdus, ut res inter eos cessisset,

[1]) puto, *M.*

exposuit. Tum rex Olavus: eodem modo nunc res se habet, atque heri, quod meliorem quam sequar rationem non novi ea, qua rex Eystein usus est; quare has tibi pecunias do[1]. Inde Sigurdus Ranii regem Sigurdum adiit, quo tempore sacra antemeridiana in æde Christi celebranda pulsis campanis indicebantur. Petiit ab rege Sigurdo, ut pecunias ponderari juberet; factum; pependerunt amplius quinque selibras. Quærenti Sigurdo, an pecuniæ regibus persolutæ essent, Sigurdus utrique solutas esse, respondit. Cui rex: confirmavit res meam opinionem, te auri perquam esse divitem. Hic Sigurdus Ranii, ut res cecidisset, exposuit, nimirum utrumque regem multam sibi condonasse, hocque idem aurum esse, quod illis pependisset. Rex[2] locutus est: Ego quoque has tibi pecunias condono, ea lege, ut si quod dissidium inter me ac fratres oriatur, tu hujus rei causa mihi amicus sis. Sigurdus: lubenter votum fecero, ne quando inter vos dissentiatis, vobisque omnibus bene cupio; sed quantavis pecunia invitatus, ne in vitæ quidem discrimen adductus, nunquam quoad vivam inducar, ut quenquam regi Eysteini anteponam. Rex: plurimum itaque discriminis intercedet, si hanc pecuniam accepero; quare, etsi nullam mihi amicitiam polliceri velis, hanc omnem pecuniam tibi dono. Sigurdus Ranii gratias regi pro hoc munere, ceterisque omnibus rebus, quibus honorem suum auxisset, amicissime egit, [eumque quot vellet viris comitatum domum suam eodem die ad cœnam invitavit; quo rex se venturum promisit[3].

---

[1]) ut eorum dissidia sedari possint, add. *M.* [2]) cum aliquantisqer tacuisset, tandem, add. *M.* [3]) omitt. *M*, *Hk.*

Cap. 36. Perfecta re divina, rex Sigurdus cum sexaginta viris domum Sigurdi Ranii filii intravit. Qui triclinium ingressi, lectissimam suppellectilem aulæorum armorumque conspiciunt, parietesque domus clypeis undique ornatos, tamque splendidum apparatum, ut ipsi regi et cunctis miraculo esset. Hic splendidissimum convivium agitatum est, quod per totum diem duravit. Sigurdus Ranii cum suis mensis ministrabant, potum aliasque res necessarias intro ferebant. Eodem die, cum hi egressi essent, rege solo cum suis remanente, rex Sigurdus suis: ubi talem vidistis suppellectilem in cujusquam præfecti domiciliis? qualem ne regiæ quidem ædes aspiciunt; tantum omni ex parte præstat. Huic Bergthor Bokkus: eximius sane hic est armorum, splendidusque suppellectilium apparatus; multo vero plurimum honoris ad invitantem redundaret, si ipse aliquam partem rerum tam pretiosarum possideret, neque singula ab aliis commodasset. Quibus dictis iratus rex: tum omnibus facillime apparet hominis favor et apud omnes gratia, si, quæcunque voluerit, ab omnibus accipiat; quæ vero dixisti, ab animo benevolo haud proficiscuntur. Sigurdus Ranii, eodem tempore triclinium ingrediens, quæ inter se collocuti fuerant, exaudivit. Ubi cantus vespertinus pulsata campana indicebatur, rex abire voluit, quem Sigurdus amplissimis muneribus donavit, petiitque, ut finito cantu vespertino rediret, atque poculum memoriæ Christi dicatum hauriret. Rex sic fecit. Ut vero triclinium ingressi sunt, omnes clypeos ablatos animadvertunt, præter unum vetustum clypeum equestrem, qui ad abacum pependit, juxtaque syrma vetustum. Tunc rex Sigurdus: subita facta mutatio est, Sigurde, dum abfuimus. Sigurdus Ranii excepit: exspectari

merito potest, domine, unumquemque, quod suum est, recipere velle; nam ex clypeis, qui hoc loco conspecti sunt, nullus meus fuit, præter hunc unum, qui nunc hic pendet, qui meus futurus sit, an non, in tuo vertitur arbitrio. De quo clypeo hæc referre habeo: cum rege Magno, patre tuo, in expeditionem profecti in Hiberniam, ultimum in terram (utinam nunquam factum!) egressi sumus. Hic immensa Hibernorum multitudo nobis obcurrit; præliumque ortum, ut audisti, rebus maxime memorabilibus insigne, morte regis Magni, patris tui, Eyvindi Olbogii aulæ-magistri, multorumque aliorum fortium virorum. Nostri, in fugam versi, ad naves, quantum quisque potuit, cucurrerunt, neque mihi fugientium primus fuisse videor. Tendentibus ad naves obcurrit palus aliqua profunda, in margine litoris sita, quam fugientes, qua quisque advenit, transilierunt; quorum cum alii transilire possent, alii nequirent, hi, qui nequiverunt, hastarum cuspidibus confossi sunt. Cum vero ad paludem tendebamus, vidi hominem ante me fugientem, hunc clypeum in tergo gestantem, et syrmate circumcinctum. Qui cum transitum paludis impeditiorem videret, primo abjecit clypeum, deindeque syrma dirupit; capite gestavit mitram bombycinam bracteatam; cujus præclarissimum fuisse duco, quod mitram retinuit[1]. Hic, nisi me fefellerunt oculi, Bergthor Bokkus fuit; verum sciet Vidkunnus Jonis filius, qui mihi adfuit, cum syrma et clypeum sustuli, nullum enim antea in prælio gestaveram. Hunc ego clypeum ex eo tempore servavi; tu vero, domine, edic, utrius nostrum, meus an Bergthoris, esse debeat. Rex, voce abrupta ac celeri: tuus esto, inquit. Rex disces-

[1]) non abjecit, *H.*

sit, Bergthore gravi ira incenso. Paulo post rex O'avus morbo obiit, uti supra scriptum est. Quo mortuo Sigurdus et Eystein ambo reges fuerunt, qui, etsi nunquam bene concordes essent, tamen, dum vixerunt, res erant domi quietæ. Sigurdus Ranii filius eandem quam antea provinciam administravit, atque vir honestissimus et præsentissimi animi habitus est[1].

Cap. 37. Vulgaris opinio est, non fuisse in Norvegia virum magis heroicæ indolis aut imperii diligentiorem, quam regem Sigurdum. Accidit tamen ei, cum ætas longius processisset, ut ingenio suo et animo vix moderari posset, quin etiam interdum gravius (vesania) tentaretur; semper autem rex memorabilis et peregrinatione sua insignis habitus est. Accidit, ut rex Sigurdus in Uplandis versatus convivio alicui interesset; hic cum balinea parata essent, rexque balneo, cujus vicem vas velo contectum præstabat, uteretur, piscem in vase se præterlabentem animadvertere sibi visus est; hinc in risum solutus est, cum impotentia quadam ac vesania[2] conjunctum; qui casus eum postea sæpe tentavit. Ragnilda, filia regis Magni Nudipedis, a fratribus in matrimonium collocata est Haraldo Kesjæ, filio Eiriki Boni, Danorum regis; ex quibus nati Magnus, Olavus, Kuntus, Haraldus.

Cap. 38. Nicolaus Sveinis filius, Danorum rex, duxit reginam Margretam, regi Magno Nudipedi antea nuptam; illorum filius erat Magnus Robustus. Rex Nicolaus legatos ad regem Sigurdum Hierosolymipetam misit, et ab eo petiit, ut se auxilio quantisque posset imperii sui opibus adjuvaret, junctisque secum copiis in Smalandiam, provinciam orientalem Svioniæ, iter faceret, ut incolas ad religionem christianam re-

[1]) Omittunt hoc cap. *M, Hk.* [2]) langvore, *H.*

ducerent; nam qui hæc loca incoluerunt, etsi ex his nonnulli baptizati essent, tamen instituta religionis christianæ deseruerant. Scilicet eo tempore multi ex incolis regni Svecici paganismo adhærebant, multique instituta religionis christianæ negligenter observabant; erant enim eo tempore ex regibus, qui abjecta religione christiana deorum cultum instaurarent, ut Svein Sacrificulus, et post eum rex Eirikus Annona-felix. Rex Sigurdus se adfuturum promisit, tempusque constitutum est, quo utrique reges in freto Orano convenirent. Post hæc rex Sigurdus totius Norvegiæ copiam militarem, naves mililesque, evocavit; quæ copiæ, ut in unum locum convenerant, amplius trecentarum et sexaginta navium classem effecerunt. Rex Nicolaus in locum præstitutum multo prior advenit, ibique præstolatus est: tum Dani murmurare, ac Norvegos non venturos dicere; mox contractus exercitus dilabi, rege cunctisque militibus domum revertentibus. Adveniens proxime ab his rex Sigurdus, etsi rem ægre ferebat, tamen orientem versus Sunrarosum[1] contendit, ibique concione (tribunorum militum) habita, de levitate, quam in pactis servandis rex Nicolaus ostendisset, conquestus est. Placuit, ut hanc ob causam in regno ejus hostilia quædam fierent. Oppidum, dictum Tumii[2], haud procul ab Lundo situm, diripuerunt, inde orientem versus contenderunt ad emporium, quod dicitur Calmaria, ubi populationem fecit, ut et in Smalandia, Smalandiæque incolis stipendium mille octingentorum boum imposuit, quo facto incolæ religionem christianam receperunt. His gestis rex Sigurdus exercitu reducto domum revenit, magna præda multisque rebus pretiosissimis, quas

[1]) Sumarosum, *Hk.*; hodie *Cimbrishamn*. [2]) Sic *Hk.*; Komii, *A, H*; hodie *Tommerup*.

in hac expeditione acquisiverat, ditatus. Hæc expeditio, dicta Calmariensis, magnam illam solis eclipsin una æstate antecedebat[1]; quam solam expeditionem maritimam rex Sigurdus, dum Norvegiæ imperabat, suscepit[2].

Cap. 39. Accidit aliquando, ut rex Sigurdus ex cœnatione veniens ad cantum vespertinum celebrandum se conferret, suis bene potis atque hilaribus. Rex et aulici ante ædem sacram sedebant, et hymnum vespertinum pronuntiarunt, parum dextra vocis modulatione. Tunc rex Sigurdus: quis est ille curto[3] quodam pallio indutus, quem istic juxta templum video? Suis nescire dicentibus, rex locutus est:

Omnis perturbatur scientia,
viro isto auctore palliato.

Prodiit homo, et locutus est:

Pallium, puto, nimis curtum
facit, ut facile noscamur;
ego vero istum minus decorum
vestitum mihi convenire ajo;
nam quo me possum nisi vili
velare veste? esses liberalis,
rex, si me condecorare velles
toga aliquanto meliore[4].

Cui rex: cras me adito, poculis adsidentem. Postridie hic Islandus, qui postea appellatus est

---

[1]) Anno 1124, die 10. Augusti, hora 11. 29′ ante merid. eclipsis solis conspecta est Londini, decunce orbis solaris tenebris offuso. Tabulæ eclips. solarium et lun. [2]) omitt. hoc cap. *M.* [3]) *M*; omitt. *A, H, Hk.*

[4]) Ordo: *Hykk, at her megi þekkja oss í heldr stuttum feldi; en ek læt a) mer hlýða þessa óprýði: hvat hafim b) heldr en tötra? Hildingr! værir c) mildr, ef þú vildir mæra d) mik muni vildri skikkju.*

a) *M, Hk.*; *lit, A, H,* video. *b*) *hafi* (i. e. *ek*), *Hk.* *c*) *væri, M.* *d*) *M*; *mæra, A, H, Hk.*

Thorarin Stuttfeldus (cum curto pallio), ad triclinium potatorium, ubi rex Sigurdus accumbebat, accessit. Stabat extra triclinium aliquis, cornu manu tenens, qui eum allocutus: jussit rex, Islande, si quod xenium ab eo velles accipere, ut, antequam intrares, stropham pangeres; quare, age, carmen fac de viro, cui nomen est Hakoni, Serki filio, ita ut mentionem facias, eum cognominatum esse Mörstrutum[1]. Hic vir, qui hominem Islandum alloquebatur, dictus est Arnius, cognomine Fjöruskeivus[2]. Cum triclinium ingressi erant, Thorarin regem adiit, et hos versus pronuntiavit:

Bello acer, Thrandorum rex!
spem fecisti, daturum te mihi
aliquid, cum te convenissem, si
carmen de Serki filio facerem.
Dixisti, munifice princeps,
Hakoni nomen esse ex seboso
pilei apice; me vero hujus
facere probe mentionem oportet[3].

Rex ad hæc: ego vero istuc nunquam dixi; est profecto aliquis, qui te deluserit; itaque conveniens est, ut Hakon tibi pœnam (temeritatis) constituat; in hujus contubernium te recipe. Hakon: exoptatus nobis adesto Islandus iste, video enim, unde hæc profecta sunt. Thorarin juxta Hakonem consedit, summa omnium voluptate.

---

[1]) i. e. sebosum habens pilei apicem, v. collum omento cinctus. [2]) i. e. valgus erro litorum.

[3]) Ordo: *Fólkrakkr a) þengill þrænda! þú vændir b) (at) gefa mer nakkvat c) at fundi, ef ek fenga Serks frændu stef. þú hinn femildi kildingr! lètz at Hákon heiti d) mörstrútr; en e) mer f) samir at minnast gjörva á þat.*

a) albrakkr, H, sine sensu et contra metrum. *b) vendir,* id. (*e* = *æ*), *H, M.* *c) M, H; nökkut,* id., *A.* *d) Hk.; hèti, A, H, M.* *e) Hk.; nú,* nunc, *A, H.* *f)* omitt. *M.*

Procedente die, cum potus cœpisset homines inebriare, Hakon locutus est: putasne esse aliquid, Islande, de quo mihi satisfacere te oporteat? nonne te in fraudem haud vulgarem inductum fuisse putas? Cui Thorarin: ego vero fateor, me tibi satisfacere debere. (Ille:) mihi reconciliatus eris, si aliam stropham de Arnio Fjöruskeivo pepigeris; ad quod paratissimum cum se Thorarin ostendisset, per transversum pavimentum ad locum, ubi Arnius sedebat, transgrediuntur. Thorarin hos versus pronuntiavit:

Valgus litorum erro, qui alios
cupide carpit, in vulgus carmina
late sparsit, et antiquæ aquilæ
lutum cum voluptate projecit.
Et tamen, maledice Valge,
qui timidus in Africa galeam
gestasti, unam vix cornicem
saturare præda valuisti[1].

Arnius exsiliens, gladium destrinxit et Thorarinem ferire voluit. Hakon eum monuit, ut absisteret, quietumque se contineret; debere eum meminisse, quod inferior discessurus foret, si quid inter se commercii haberent. Dein Thorarin regem adiens significavit se carmen laudatorium de eo composuisse, audientiamque carmini poposcit, quam ei rex concessit. Hoc carmen appellatur Encomium Stuttfeldi. Recitato carmine, rex, quid in posterum agere constituisset,

---

[1]) Ordo: *Lastsamr Fjöruskeifr hefir viða veifat fræðum um a) her, ok lystr b) kastað leiri hins gamla ara c). Ok, orðvándr d) skeifr, vantu varliga brædda eina kráku á Serklandi, bartu hræddr Högna húfu e).*

a) omitt. *H*; *of*, id., *M*, *Hk*. *b*) *H* videtur habere *lyst*. *c*) i. e. carmina male facta et lutulenta projicit; fundus locutionis est *Edd. Sn.* p. 86-87. *d*) id. q. antea *lastsamr*; sic dedi pro *orðvandr*. e) posterior semistropha in *M* legi non potest.

interrogavit; ille se Romam proficisci statuisse ostendit. Rex ei multum pecuniæ dedit, jubens, ut reversus se viseret, tumque se rebus ejus consulturum pollicitus est. An vero postea inter se congressi fuerint, hoc loco non demonstratum est.

Cap. 40. Aliquando, cum fratres una essent, rexque Sigurdus sedem suam occupasset, Eystein vero non item, Ingibjarga Guttormi filia, uxor regis Eysteinis, regem Sigurdum allocuta dixisse fertur: multæ atque magnæ res, quas apud exteros, domine, gessisti, diu hominum memoria colentur. Rex carmine respondit:

Olim, haud invitus in pugnam
procedens, candidum gestavi clypeum,
eundemque inde retuli rubentem.
Poeta rerum eventus commendat Deo.
Tale virtutis specimen tuo, mulier,
marito imitandum proposui
Maurorum in terra. Deus prælii
victoriæque liberum habet arbitrium[1].

Cap. 41. Sex annis post mortem regis Olavi rex Eystein, cum in convivio Askstadis[2] ad meridiem versaretur, repentino morbo correptus est, qui cito ei mortem maturavit[3]. Funus ejus in emporium (Nidarosi) deportatum, et in æde Christi humatum est; et vulgaris sermo est, ex quo

---

[1]) Ordo: *Ár bar ek ótrauðr skjöldinn a) hvíta skjótt til eggjaskúrar, en rauðan frá; skald b) biðr, at guð valdi. Svanni! þat högg hefik of-höggvit þínum manni c) á Blálandi; guð ræðr handoist d) sókn ok sigri.*

a) skjöld enn, M; skjöld inn, Hk. b) se ipsum intelligit; *H* videtur habere *skalldr s. skalldz.* c) ad verbum: eum ictum marito tuo (imitandum) ici; sensum in versione expressi. d) *M, H, Hk.; handlaust,* sine manu, *A*, mihi obscurum.

[2]) *M;* omitt. *A, H*; Stinna et Hustadis, *Hk.* [3]) obiit 4. kal. Sept., add. *Hk.*

obiisset rex Magnus, filius Olavi Sancti, nullius hominis funeri tantam mœstorum multitudinem in Norvegia adstitisse[1]. Post eum Sigurdus, quoad vixit, solus Norvegiæ imperavit.

Cap. 42. Ferunt, die quodam pentecostes regem Sigurdum cum amicis et in multa hominum multitudine versatum, ubi in solium adscenderat, visum esse magno cum langvore et vultu melancholico, multis, quorsum res evasura esset, timentibus. Rex circumstantes despiciens, oculos torve distortos per scamna circumtulit. Sustulit codicem illum pretiosum, quem ab exteris advexerat, totum aureis literis perscriptum, quo uno libro nullam rem pretiosiorem Norvegia viderat. Adsedit ei regina. Tunc rex: ætas humana, inquit, multas habet rerum vicissitudines; duæ mihi erant res, cum ab exteris redii, omnium carissimæ, regina et hicce quem manu teneo liber, quarum utraque nunc mihi altera pejor videtur; horum utrumque omnium, quæ mihi sunt, rerum maxime detestabile judico: reginam, quæ formæ turpitudinem non animadvertat, cornu enim caprinum ex capite[2] ejus exstat, quæ quo magis mihi antea placuit, eo nunc mihi displicet: librum, quod nulli usui sit. His dictis librum in ignem, in pavimento aulæ accensum, projecit, reginæ vero alapam inflixit. Illa flevit, regis incommodum magis quam injuriam sibi factam deplorans. Apparebat coram rege vir, nomine Ottar Birtingus (Albidus), rustici filius; is a candelis erat et ministerium eo die obire debuit; erat autem parva statura, sed lepidus, nigro comæ et cutis colore, unde Albidi cognomen minime in eum quadrare videbatur. Hic accurrens codicem ex igni ereptum manu tenuit, et locutus est: quantum his distant ea tempora, domine,

[1]) 20 annos Norvegiæ imperavit, add. *Hk.* [2]) fronte, *H.*

cum splendida cum pompa Norvegiæ velis advectus es, cum omnes tui amici gaudio triumphantes obviam tibi cucurrerunt, cum universi cives regiam tibi dignitatem summo cum honore et gloria detulerunt. Contra nunc in tristia tempora incidimus; nam hoc insigni festo multi huc advenerunt amici tui, qui tuæ infirmitatis causa hilares esse nequeunt. Quare rogo oroque, optime princeps, ut[1] meo sincero consilio animum advertas: ut primo reginam, quam magnopere læsisti, humanitate exhilares, et deinde omnes principes, aulicos, amicos famulosque gaudio impleas. Huic rex: quid tu mihi consilium dabis, turpissimi rusticuli fili, humillimoque genere prognate? et protinus exsiliens, gladium destrinxit, et utraque manu security elatum ei intentavit. Ottar erectus stetit, vultu immutato, ne connivens quidem. Rex, cum telum in caput Ottaris deferretur, obliquato ictu, latus[2] ejus plana gladii parte leniter percussit; quo facto conticuit et in solio resedit; tum quoque omnes, qui in aula erant, conticuere. Rex, vultu paulo quam antea placidiore oculos circumferens, fatus est: sero, quales homines sint, cognoscas; heic intus consident viri mihi amicissimi, præfecti, aulæ magistri, mensarum apparitores, et quotquot hoc in regno sunt illustrissimi, quorum nemo se tam benevolum in me ostendit, quam hic puerulus, quem fortassis parvi pretii præ vobismet existimetis. Ottarem Albidum dico; is me jam maxime dilexit: cum enim mente captus huc ingressus, pretiosam rem, quæ mihi erat, perdere vellem, ille, cum factum correxit, nullum ut inde damnum existeret, tum etiam altera ex parte præsentem mortem non extimuit: deinde scitam

[1]) dolorem depellas, amicos tuos, qui omnes te læti videre volunt, delectes, et, add. *M.* [2]) humeros, *Hk.*

habens orationem, verba sic temperavit, ut meo honori maxime consuleret, mentione non facta earum rerum, quibus meus dolor augeretur, omnibus suppressis, quæ jure dicere potuisset; tamen ejus orationi ea inerat vis, ut nemo sapiens adsit, quem dissertius verba facturum fuisse existimem. Tum ego mentis inops exsilui, atque me letalem ei plagam inflicturum simulavi, illi vero ea aderat animi præsentia, ut si nihil periculi timendum esset. Quod videns, ab incepto destiti, nam propter virtutem suam morte indignus erat. Jam palam amicis meis faciam, quo eum præmio afficere velim: antea mihi a candelis fuit, nunc præfectus esto, quo accedit, quod minoris non est, quod propediem[1] omnium præfectorum princeps existimabitur. Itaque tu, Ottar, ait rex, sedem apud præfectos occupa, neque amplius famuli ministerio fungere. Post ea Ottar Albidus vir inter Norvegos præstantissimus multis bene [et eximie[2] factis exstitit.

Cap. 43. Rex Sigurdus Konungahellam sedem regiam et caput regni fecit, quod emporium adeo opibus crevit, ut nullum in Norvegia divitiis magis afflueret. Hic rex arcem saxis et cespitibus faciendam, fossaque circumducta muniendam curavit. Qua in arce aula regia exstructa; ibidem templum Crucis, ubi sancta crux a rege asservata est; super ejusdem templi altari tabula, auro argentoque ornata, quam ab exteris advexerat, collocata est.

Cap. 44. Accidit aliquando, ut rex Sigurdus cum multis principibus viris considens animo aspero esset; erat vespera quintæ feriæ. Dapifero aulico quærenti, quæ dapes appararentur, rex; quid, nisi carnes? Tantum omnibus metum

[1]) summorum principum consvetudino utetur, atque, add. *H.*
[2]) *M, Hk.;* omitt. *A, H.*

incussit rex, ut nemo contra dicere auderet; omnes vero tristitia cepit. Mox discubitum homines ivere. Lata intro fercula, et primo quidem caro calida. Cuncti intus conticescere, regisque fortunam dolere. Antequam cibus consecratus esset, vir quidam, nomine Aslakus Hanius (Gallus), vegetus, parva statura, haud amplo genere, qui regem Sigurdum peregrinantem comitatus fuerat, sermonem orsus, ex rege quæsivit: quo cibo catillus tibi, domine, appositus fumat? Cui rex: quo velles, Aslake Galle, quidve tibi videtur? Ille: quod nollem, inquit, caro mihi esse videtur. Fac sit, Aslake Galle, quid tum, inquit rex. Ille: res est magnopere dolenda, regem, qui peregrinatione sua multisque aliis præclare gestis tantam gloriam et famam adeptus sit, tantopere hallucinari; tu aliud pollicitus es, cum aqua lotus, qua ipse Filius Dei baptizatus est, ex amne Jordane egressus es, palmam manu præferens, cruce pectus insignitus, quam te diebus jejunii carnem esurum. Quæ si vilioris notæ homines facerent, digni essent, qui gravibus pœnis plecterentur. Neque vero aulam tuam, quanta exspectari possit, quantaque debeat, copia bonorum virorum ornat, cum nemo sit, præter me, virum ignobilem ac pauperem, qui talia proferre sustineat. Rex cum paulisper consedisset, nullam emittens vocem, neque carnes attingens, lances carnium efferri jussit, quo facto cibus intro latus, quo vesci rite licuit. Procedente cœnæ tempore, rex lætari et poculis se recreare cœpit. Aslakus, hortantibus quibusdam, ut fuga salutem quæreret: haud faciam, inquit, nescio enim, quid profuturum sit, nam rex jus habet mei occidendi; atque, ut verum fatear, nunc mors aliquid jucundi habere videtur, cum, quod volui, effecerim, ut regem a peccato avocarim. Aliquanto

post, eadem vespera, rex Aslakum vocari jussit, eique locutus est: quis te, Aslake Galle, hortatus est, ut in frequentia hominum tanta in me libertate loquendi uteris? Ille: nemo, domine, inquit, nisi egomet ipse. Rex: scilicet scire aves, quid te meruisse putem, qui talia ausus sis. Ille: si bene remunerare velis, domine, gratum feceris; sin secus, ipse videris. Rex: minus quam pro merito præmium referes: tria prædia tibi dono; nam præter opinionem te fortuna potius delegit, qui infortunium a me averteres, quam aliquem e præfectis meis, de quibus optime promeritus essem. Hunc exitum ea res habuit.

Cap. 45. Præter hæc accidit prima vespera festi Jolensis, cum rex Sigurdus in aula cum multis principibus et aulicis versaretur, ut rex, positis mensis, carnes apponi juberet. Monentibus suis, Norvegis eam non esse consvetudinem, ut carnes ederent vespera festi Jolensis, rex: [hocne moris esse[1]? at hoc ego more uti volo. Tum inlata est caro delphini fervida, quam cum rex cultro prætentasset, intactam reliquit. Tunc rex: adducite mulierem aliquam. Introducta est mulier quædam, peplo demissiori caput velata. Rex, manu capiti ejus imposita, cum faciem inspexisset: forma quidem illiberali es, inquit, neque tamen ita, ut reprobari possit. Dein, inspecta manu: en turpem manum et informem, acquiescendum tamen est ea. Tum eam porrigere pedem jussit, quo facto, rex, cum eum inspexisset: fœdus quidem ac prægrandis pes, sed id non curandum, eique acquiescendum est. Denique pallam tolli jussit, sed, conspecto crure: apage te cum crure tuo, quod et lividum et crassum est, et te meretricem esse arguit; abducite eam, inquit; hanc enim abest, ut admittam.

[1]) omitt. *H*, *M*.

Cap. 46. Rex Sigurdus postremis vitæ annis convivio cuidam in villa sua, quæ in Jadare erat, interfuit. Mane diei cujusdam, cum vestes induerat, et pauca loquebatur, et tristis erat; quare verebantur sui, ne amentia eum caperet. Villicus regius, qui convivium apparaverat, vir prudens et magna adversus superiores libertate loquendi utens, regem interpellavit et quæsivit, utrum nova quædam accepisset, quæ tanti essent, ut sollicitudinem ei afferrent, an causa tristitiæ esset convivium minus ex voto instructum, aliæve res, quæ humana opera corrigi possent. Rex nihil horum, quæ villicus recensuisset, sibi causam esse tristitiæ significans: verum ea causa est, inquit, quod cogito de somnio, quod proxime antecedente nocte mihi oblatum est. Utinam faustum somnium esset, inquit villicus, quod sane audire, quale sit, cupio. Rex: visus mihi sum hic in Jadare constitutus, in mare prospectans densum animadvertere globum caliginis, in quo aliquid erat, quod cum motu procedebat atque huc appropinquabat. Mox ingens arbor apparere, cujus rami ex aquis exstabant, radicibus mari occultatis; quæ arbor, cum terram attigisset, ad litus confracta, hic illic in terram ejecta est. Tum nova species oculis subjecta: videbar mihi totius Norvegiæ litora, qua mari alluuntur, oculis perlustrare, et fragmina hujus arboris, alia majora, alia minora, in quemvis maris sinum ejecta animadvertere. Villicus excepit: credibile est, domine, te optime hoc somnium, [quid significet, intelligere[1], quod quomodo interpreteris, magnopere audire cupio. Rex: vero mihi simillimum videtur, hoc somnio adventum significari alicujus viri hac in terra sedem fixuri, cujus

[1]) explicaturum, *M.*

posteri, varia admodum fortuna usi, alii alia hujus terræ loca occupaturi sint.

Cap. 47. [Paulo post vir quidam potens, nomine Halkel Hukus (conquiniscens), relicta Norvegia[1], mare occidentale trajecit, primoque Orcadas, indeque Hebudas attigit. Hic ad eum venit vir, nomine Gillikristus, quem comitata mater significavit, ei verum nomen esse Haraldo, patreque natum esse rege Magno Nudipede. Haraldus, juncta cum Halkele itineris societate, cum eo in Norvegiam rediit, statimque ut terram attigerat, regem Sigurdum adiens, causam adventus sui explicuit, veniam poscens, ut sibi natales argumentis confirmare liceret. Rex rem ad principes ac præfectos retulit, qui quod cuique placeret, in medium proferebant; quorum etsi plures Haraldo adversarentur, tamen eo res venit, ut omnes rem regis judicio commendarent. Tunc rex Sigurdus Haraldum arcessi jussit, eique sic locutus est: haud obstabo, quominus ferro gestando veritatem generis paterni probes, si firma sponsione recipis, te regiam dignitatem in Norvegia, quamdiu ego filiusque Magnus vivemus, non affectaturum, etsi quod jactas paternum genus gestatione ferri comprobetur. Hac re probata, dictoque jurejurando, Haraldus se ad ferrum gestandum præparavit; quæ ferri gestandi probatio omnium, quæ in Norvegia factæ sunt, exactissima fuisse dicitur: septem[2] ferreæ laminæ, igni candefactæ, ordine compositæ sunt, per quas Haraldus, ab duobus episcopis ductus, nudis pedibus incedebat, interea sanctum Kolumbam invocans; lectus ei juxta paratus erat. Tunc Magnus, regis Sigurdi filius: haud animose laminas calcat[3]. Cui rex: tu male ac ferociter

[1]) Halkel Hukus, filius Jonis Smjörbalti, vir præfecti dignitate in Mæria, *Hk.* [2]) novem, *Hk.* [3]) calcas, *H, M.*

loqueris, rem enim strenue exsecutus est. Dein Haraldus in lectum procubuit, tribus vero diebus ab ferri gestatione elapsis, pedes ejus igne intacti sunt reperti. Quæ ferri gestandi ratio justo severior fuisse visa est, quod tantummodo generis paterni probandi causa, non regni affectandi, facta erat. Sed Haraldus, cum a rege Sigurdo fratris loco agnosceretur et haberetur, Magnum filium ejus in se infestissimum habuit, cujus exemplum multi ex principibus secuti, injuriis eum lacessere non desistebant[1]. Cumque lingvam Norvegicam perquam imperite loqueretur, et in pronuntiando valde balbutiret, multisque ob eam rem derisui esset, rex Sigurdus, si animadverteret, ne fieret severe interdixit.

Cap. 48. Accidit aliquando, cum rex Sigurdus litora terræ classe prætervehebatur, ut in portu aliquo starent. Aliquo die, aere tepido, quidam ex classiariis natando se oblectabant; ex quibus vir quidam, nomine Jon, ceteros arte natandi antecellebat, cujus peritiam multi laudibus extulerunt. Rex Sigurdus sub tecto puppis navis suæ quiescebat, animo ægritudine affecto, præsentibus duobus viris, quorum alteri nomen erat Erlendo Gapamunno (ore hiulco), alter erat sacerdos Einar Skulii filius. Quibus necopinantibus rex se e navi in mare ejecit nataturus, Jonemque natando aggressus sub aquis demer-

[1]) Rex Sigurdus gratia, qua apud universum populum valuit, tantopere confisus est, ut postularet, ut omnes judicarent, Magnum filium se mortuo solum regem futurum, effecitque, ut hoc jusjurandum ab universo populo diceretur. Haraldus Gillius erat statura procera, sed tenera, collo longo, facie oblongiore, nigris oculis, coma fusca, membris vegetis et agilibus; cultu Hibernico, veste brevi et levi, utebatur, add. *Hk.*

gebat, cumque emersisset, eum iterum submersit diuque sub aquis detinuit; cum rex tertio Jonem demergebat, Einar Skulii locutus est: jam res ad periculum spectat; rem forti viro dignam faceret, si quis homini opem ferret, regemque ab infortunio averteret. Erlendus Gapamuunus omnes homines magnitudine corporis et virium superabat; is locutus est: ut periculosum est, certamen cum rege committere, ita certum est, vitam hominis in summo periculo versari. His dictis e navi se ejicit, regi adnatat, correptumque deprimit, quo iterum iterumque facto, cum eum longo temporis spatio sub aquis detinuisset, sub auras educit. Deinde terram repetunt. Alii Jonem morti vicinum in litus deduxerunt, eique, donec ad se redierat, adsederunt. Haraldus Gillius, qui in navi regis Sigurdi erat, nondum magno honore habitus, Erlendum hortatus est, ut saluti consuleret, regisque iram effugeret. Hic vero se minime fugiturum, sed noctu in terra commoraturum ostendit.

Cap. 49. Locum in navi Haraldo proximum tenebat vir, nomine Lodin, humili genere, sed in cultu splendidus, et ostentator. Hic sæpe verba contumeliosa in Haraldum jecit, quis esset se scire dissimulans, famulumque ejus petulanter incessit. Hoc eodem vespere Haraldus famulum jussit in ipsius lecto coriaceo insequenti nocte quiescere, ipse vero cum Erlendo in terram egressus est. Quo animadverso Lodin se passurum negavit, famulos se incessere, et quæsivit, quis ei lectum prope viros honestos designasset. Cum famulus, quæ Haraldus imperasset, se facere significaret, ab Lodine e lecto expulsus, ad Haraldum se contulit, eique rem narravit. Qui incensus ira, in navem decucurrit, neque pensi habuit, si accedens vestes Lodinis concul-

caret. Ille iratus exsilire, eumque sæpe ignominiæ maculam sibi inurere velle, dictitare. Haraldus eum minori quam meruisset affectum contumelia dicens, telum ei inflixit, cæsa in humerum veniente, et in pectus descendente, quod vulnus cutem tantum et carnem diruperat. Tum aliis intercurrentibus, Haraldus, relicta navi, eam noctem in terra transegit.

Cap. 50. Proximo mane rex, stragulis ab se rejectis, extemplo quæsivit, ubi Erlendus Gapamunnus esset. Cui Einar Skulii: haud satis exacte novimus; num ei in congressum tuum venire tuto licebit? Nihil certi ea de re promitto, inquiente rege, Einar hos versus lusit:

Erlendus Gapamunnus
tuo, monarcha, ludo
se subduxit; alios ne,
rex, hujus culpam imputes.
Necessitas, puto, huncce virum,
auro minime parcentem, adegit,
hæc ut faceret; id quod coram
honestis viris commemorandum est[1].

---

[1]) Ordo: *Erlendr Gapamunnr a) hefir haldit undan gleði alvalds; gramr, skalattu kunna gumna um þat. Nauðsynjar munu b) hafa valdit heiðar c) jöfra d) galdrs hliðrækjanda e); geta verðr þess fyrir friðum f) gotnum.*

a) *Gapamunn, H,* i. e. *gramr gumna, skalattu kunna Gapamunn um þat*, rex virorum, ne id Gapamunno vitio vertas. *b*) *mun, H.* *c*) *heiðr á, H; heiþir, M,* utrumque prave. *d*) *jöfrar, M, H,* minus recte. *e*) *heiðar jöfra galdrs hliðrækjandi* est appellatio viri poetica, sic resolvenda: *heiðar jöfrar,* reges tesquorum, montanorum, sunt gigantes monticolæ, *heiðar jöfra galdr,* sonus, vox gigantum, i. e. aurum, sec. *Edd. Sn. Raskii* p. 83; *hliðrækjandi*, aversans, detestans quietem, a *hlið*, intermissio, quies (cf. *Fm. S.* 7, 289, *hlið varð á orrustunni*, ubi alii *hvild*), et *rækja* pellere, aversari;

Rex eum arcessi jussit, quo facto, cum in navem venisset, rex ad eum locutus est: quomodo tibi heri videris regem tuum in ludendo tractavisse? Ille: sic fere, inquit, uti tu, domine, antea feceras. Recte, inquit rex, ego factum abs te in bonam partem accipiam, nam tuum in me amorem virtutemque ostendisti; en, gladium et pallium dono accipe; tu in amicis meis esto, fortisque viri nomen ab hoc tempore gerito. Quid vero tumultus fuit, quod heri vesperi intra navem audivi? Quo indicato, rex: huc advocate Haraldum et Lodinem. Qui cum ad regem venissent, quæsivit, an rem suam ipsius potestati tradere vellent. Affirmantibus rex: etsi vos minime æquales ducam, tamen pro vulnere Lodini[1] inflicto, quod ille in mea cohorte naveque erat, aliquam satisfactionem decerno; quanquam convenientius foret, te, Lodin, omnis satisfactionis expertem fieri. Quare postea ne eo audaciæ progrediare, ut verba minus honesta in Haraldum aliosve frugi homines jacias; æquum enim est, eum a me pluris quam hominem ignobilem fieri. Lodin e re sua maxime esse duxit, si rem, quo loco erat, esse pateretur; rex vero Haraldum inter aulicos mensarum apparitores esse jussit, eumque magni æstimavit; sed Magnus regis filius ejusque asseclæ eo magis ei inviderunt.

Cap. 51. Moris erat regi Sigurdo, cum in emporiis aut villis suis commorabatur, ut quovis vespere mature dormitum iret, Magno filio cum asseclis remanente et poculis diutius indulgente. Haraldus regi cubitum eunti semper comes ad-

sic *heiðar jöfra galdrs hlið*, quies auri, est tenacitas, quam qui aversatur, est vir liberalis. Ceterum in uno cod. msc. vidi *hliðrækjandi*, quod in voc. ad regem commode refertur. *f)* *H* dub. *friðum* an *firðum*.

[1]) Sic *H*, *M*; *A* h. l. prave Haraldum infert.

hærere solebat; aliquo autem vespere Magnus ac sui eum apud se retinere potuerunt, ut ille ac ceteri omnes una morarentur, et in multam noctem potarent. Missus Magno fuerat muneri equus Gothicus eximiæ magnitudinis ac celeritatis; cui nullum equum celeritate præstiturum, Magniani hoc vespere, mero saucii, multis disserebant. Tandem rem ad Haraldum detulerunt, quærentes, an ullum equum pari celeritate nosset. Hic nullam unam rem adeo præstare dixit, quin alia eidem par inveniri posset. Illi pernegare, eum unquam vidisse equum isti celeritate parem. Cum se multos vidisse celeres confirmasset, interrogarunt: tune celeriorem equum vidisti. His verbis non usus sum, inquit. Illi: immo, usus es, atque sic locutum esse te existimabimus. Ille: vos magno impetu in hanc rem incumbitis; itaque, quoniam hanc rem tanta contentione urgetis, concedo, visos mihi equos celeriores, immo homines visos ad cursum non tardiores. Itaue putas, inquiunt, te celeritate pedum huic equo non cedere? Haud equidem id ajo, inquit. Magnus: tu vero aisti, atque hoc experiemur, et sponsione certabimus; depono armillam auream, tu tantundem pecuniæ deponito. Haraldus: nondum ad me tantum pecuniæ in Norvegia venit, ut unius annuli pretio æquiparari possit. Itaque caput tuum depone, inquit Magnus. Nullus faciam, inquit Haraldus. Tu vero facito, inquit ille; quibus dictis digressi sunt. [Postero mane res extemplo regi Sigurdo nuntiata. Ille: exspectari potuit, rem eo venturam; tu mihi annulum trade! o, vos miseros Norvegos, qui vesano rege utimini! verum tamen præsagit animus, propediem fore, ut rubro auro, si liceret, mereri velitis, ut ego rex vobis præessem, potius quam Haraldus ac Magnus, quorum

alter crudelis, alter insipiens est[1]. Dein in planum campum, ubi cursu certandum erat, processerunt. Haraldus indutus erat braccis lineis[2], quarum pars, quæ genua tegebat, liberam versationem habuit; breve indusium gerebat; sagum humeros texit; exiguum in manu tigillum. Tum quoque Magnus ad certamen paratus erat, et in equum conscenderat. Aderat rex Sigurdus, magnaque hominum multitudo. Ut parati erant, Magnus concitato calcaribus equo, stadio se inferebat. Quem paululo intervallo antevertens Haraldus, in ultimum curriculum veniens æquali spatio post se reliquit. Tunc rex Sigurdus: hoc jam certamen satis exploratum est, neque Haraldus quidquam celeritate cedit. Regio filio ad certamen amplius tentandum provocante, stadium iterum ingrediuntur, Haraldo inter currendum habenam, qua cingulum ephippii excipiebatur, latere stringente. Cum ad metam venerunt, Magnus: an habenæ ephippii nostri adhærescis? si cursu deficis, manus da. Ego vero nondum dabo, Haraldus inquit. Itaque ad tertium certamen se accinxere; tunc omnes, qui præsentes aderant, animadverterunt, Magnum prius curriculo se intulisse, ut aliquantum eos intervallum intercederet. Sed Haraldus in sublime emicans insonuit, et tanta celeritate stadium pervolavit, ut pedes ejus terram vix attingere viderentur; in ultimo stadio decubuit, moxque exsilivit, atque [curriculum obviam Magno remensus[3]: salve fratruelis Magne, inquit. Itaque sic digrediuntur[4], ut

[1]) omitt. *Hk.* [2]) vocem *nafarskeptr*, quæ h. l. in textu est, nondum intelligo. [3]) omitt. *H.* [4]) Interea vero rex Sigurdus sacris primariis interfuerat, quare hæc non rescivit priusquam post cœnam. Quibus cognitis, irato vultu Magnum allocutus: vos quidem Haraldum stultum vocitatis, tu vero, inquit, mihi magis fatuus videris, quippe qui exterorum mores plane ne-

rex Sigurdus, invito Magno filio, pignus, quo certatum fuerat, Haraldo traderet.

Cap. 52. Vergente ætate regis Sigurdi, ea subiit rerum suarum novatio, ut reginæ nuntium remittere, mulieremque, nomine Ceciliam, ampli viri filiam, ducere statueret. Cum hac nuptias Bergis jungere cogitavit, ibique splendidum apparari convivium jussit. Quod ubi cognovit Magnius episcopus, tristitia affectus, quodam die ad aulam regis Sigurdi accessit, sacerdote uno, cui nomen erat Sigurdo, comitatus. Qui cum ad aulam venissent, episcopus regem excivit. Rex egressus est, nudum gladium manu tenens, salutatumque episcopum, ut intraret ad compotationem, invitavit. Episcopus: alia de causa adsum; an verum est, domine, te, regina repudiata, ducere uxorem statuisse? Rex, verum esse profitens, extemplo de facie intumescere et livescere cœpit. Cui Magnius episcopus: cur ista in nostra diœcesi fieri placuit, ut [sanctæ ecclesiæ divina jura[1], nostraque episcopalis dignitas tanta ignominia contaminaretur? Quare, ut quæ nostri officii sunt faciam, nomine Dei et sancti Petri apostoli omniumque sanctorum, ista nefanda tibi veto. Episcopus, dum verba ad regem faciebat, erecto corpore stabat, collum inclinaturus et ad ictum regii gladii, cervicibus impendentis, paratus. Sacerdos autem Sigurdus, qui tunc episcopo Magnio præsens aderat, [et postea episcopus Bergensis creatus est[2], sic retulit, regem, ensem librantem torvosque in episcopum oculos conjicientem, tam sibi visum esse terribilem, ut

scias; an hoc antea nesciisti, quod exterarum regionum incolæ aliis potius artibus operam dant, quam ut cerevisiam in se ingurgitent, quo se mentis impotes et ad agendum inutiles reddant, humanosque sensus exuant, add. *Hk.*

[1]) honor Dei et sancta ecclesia, *H.* [2]) omitt. *H, M.*


ipse præ metu omnem fere abjecisse sensum sibi visus sit. Inde rex aulam ingressus est; episcopus ad suas ædes se recepit, tanta tum lætitia affectus, ut quemlibet puerulum ridens salutaret et præ gaudio digitis micaret (gestiret). Hic sacerdos Sigurdus: quæ te lætitia invasit, domine! tibine in mentionem venit, fore, ut rex iram in te effundat? quare magis e ratione fuerit, salutem fuga quærere. Cui episcopus: verosimilius putem, eum hoc non facturum; quænam autem mors est honestior, quam vitam pro sancta ecclesia ponere, remque turpem factu prohibuisse. Nunc ideo lætor, quod feci, quod ratio officii postulat. Post hæc magnus strepitus in oppido ortus, quod rex abitum inde paravit, frumentoque et polenta ac melle comportatis in Stavangriam descendit, ibi convivium apparaturus. Quo intellecto episcopus ei oppido præpositus, regem adiens, interrogavit, an verum esset, eum viva regina ducere uxorem statuisse. Verum hoc quidem est, episcope, inquit rex. Episcopus: hoc si ita est, facile intelligere, domine, potes, quam severe talia facta tenuioris sortis hominibus vetita sint. Verum haud dubie vos, qui aliis potentia prævaletis, ista vos melios decere arbitramini; quod rectæ rationi omnino repugnat. Neque scio, cur hoc in nostra diœcesi facere sustinueris, ut præcepta Dei et sanctam ecclesiam adeo contumeliose violares. Quare hortor, ut Deum, tam gravi legum (divinarum) violatione offensum, grandi pecunia oppido nostro attribuenda, places. [Huic rex: tu vero age, pecuniam sume; valde quidem dissimilis Magnio episcopo fuisti. Quibus dictis, episcopus abiit[1], regi vero hic episcopus non magis placuit, quam qui interdictum enuntiaverat.

[1]) omitt. *H.*

Post hæc rex hanc uxorem duxit, eamque in magnis deliciis habuit.

Cap. 53. Rex Sigurdus, Osloæ in orientali regni parte constitutus, in gravem morbum incidit. Tum amici eum rogarunt, ut hanc feminam, quam contra jus fasque sibi junxerat, dimitteret, ipsaque regem morbo conflictantem obsecravit, ut copiam divortii sibi faceret, hoc enim ei fore maxime salutare. Rex: haud putaveram, inquit, te, tanquam ceteros, me despicere velle. Quæ locutus se ab ea convertit, facie perquam rubente. Post hæc morbo invalescente, mortem obiit. Funus ad locum sepulturæ deportatum, et in templo Halvardi humatum est; jacet in pariete lapideo ante chorum templi ab australi latere. Magnus, filius regis Sigurdi, eo tempore in oppido erat; qui patre mortuo omnem regiæ pecuniæ curam suscepit. Sigurdus Hierosolymipeta viginti septem annos Norvegiæ rex imperavit; idem cum obiit, quadraginta annos compleverat. Cujus imperium civibus et annonæ vilitate et otio pacis commodum fuit.

HISTORIA
REGIS HARALDI GILLII ET
MAGNI CÆCI.



HISTORIA
REGIS HARALDI GILLII ET
MAGNI CÆCI.

Cap. 1.

Magnus, regis Sigurdi filius, totius regni rex Osloæ creatus est, prouti universus populus patri ejus jurejurando interposito promiserat[1]; statimque complures fide data inter aulicos recepti, alii provinciis præfecti sunt. Fuit Magnus omnium, quos eo tempore Norvegia tulit, formosissimus; idem ingenio vehementi ac sævo, animi corporisque dotibus præstans, paternæ fere gratiæ populi favorem debuit. Erat insignis potator, pecuniæ avarus, asper et difficilis.

Cap. 2. Haraldus Gillius erat [procera statura, et quidem teneriore, collo longo, facie oblongiore, oculis nigris, coma fusca, motu membrorum corporisque vegetissimo[2], ingenio facili, ad ludos prono, modesto, tamque liberali, ut nullam rem petentibus amicis negaret; in aliorum consiliis admittendis adeo facilis, ut amicorum auctoritati in omnibus, quæ vellent, obsequeretur. Quæ cum ei favorem et gratiam civium conciliarent, multi viri amplissimi ejus se partibus, non minus quam Magni, adjunxerunt. Haraldus, cum Tunsbergi constitutus obitum fratris, regis Sigurdi, cognovisset, jam tum amicorum conventus habuit, quorum auctoritate factum est,

[1]) Vide supra Hist. Sigurdi Hieros. cap. 47. sub fin. not.
[2]) omitt. h. l. *Hk.*, vide l. c.

ut comitia Högensia[1] in oppido agerentur. In quibus comitiis Haraldus rex dimidii regni creatus est; tum enim jusjurandum, quo regnum sibi a patre relictum abjurasset, necessitate expressum vulgo dicebatur; mox aulicos legit, præfectosque creavit. Ad quem cum non minores, quam ad regem Magnum, copiæ confluerent, pacis internuntii inter eos intercedere cœperunt. Sic per septem dies res utcunque quietæ. Cum vero Magnus multo minores copias nancisceretur, nihil sibi reliqui esse intellexit, quam ut regnum cum Haraldo partiretur; itaque ea facta partitio est, ut uterque dimidium regni ab rege Sigurdo possessi teneret; naves vero, mensæ suppellex, res pretiosæ omniaque mobilia, quæ regi Sigurdo fuerant, Magno cesserunt, qui tamen sorte sua minus contentus erat. Sic aliquantum temporis regno quiete imperarunt, etsi animis inter se valde dissidentes. Haraldus filium, nomine Sigurdum, ex Thora, Guttormi Grabardi filia, procreavit; uxorem duxit rex Haraldus Ingiridam, filiam Rögnvaldi, filii regis Ingii Steinkelis filii[2]. Rex Magnus in matrimonio habuit Kristinam, Knuti Lavardi filiam, sororem Valdimaris, Danorum regis. Hanc Magnus sibi minus dilectam in Daniam remisit, ex quo tempore fortunam sibi magis adversam expertus est, atque in gravia cognatorum repudiatæ odia incurrit.

Cap. 3. Cum uterque rex, Magnus et Haraldus, per tres hiemes Norvegiæ imperarant,

---

[1]) *Haugaþing*, comitia in tumulis habita, haud dubie ab locis editioribus prope Tunsbergum adpellata, cf. *Hkr.* T. 3. p. 296, not. Conventus publicos in locis editioribus habitos fuisse, inter alia adparet ex *Fm. S.* 6, 203. Exempla usus privati tumulorum attulit Thorlacius, *Hk.* l. c., quo addi potest *Fm. S.* 2, 59. [2]) Svionum regis, add. *Hk.*

quartam hiemem ambo in emporio (Nidarosi) transigentes, mutuis conviviis alter alterum excipiebant, dum utriusque milites præliorum minas spirabant. Proxime insequenti vere Magnus australes regni partes circumvectus, quas comparare potuit copias contraxit, amicorum opem imploravit, ut se in Haraldo regia potestate exuendo sublevarent, eique, quantum regni ipsis[1] videretur, concederent: docens, Haraldum antea regni possessionem abjurasse. Quam ad rem consensum multorum, qui in republica administranda multum pollebant, rex Magnus nactus est. Haraldus per superiora profectus in Uplanda, inde in Vikam descendit, cognitoque adventu Magni regis, ipse quoque copias contraxit. Utriusque partis milites, quacunque iverunt, pecoribus concidendis hominibusque occidendis alteri alteros fatigabant. Rex Magnus numero copiarum superior erat, nam ex plurimis regni partibus copias coegerat. Haraldus in ea parte Vikæ, quæ ab orientali latere sinus (Osloensis) est, copias coegit; tunc utrique homines bonaque alterorum rapuere. Tum apud regem Haraldum versatus est frater ejus Kriströdus, eadem natus matre, multique præfecti; multo tamen plures regis Magni castra secuti sunt.

Cap. 4. Rex Haraldus cum copiis versabatur loco, dicto Forso in Raurikia[2], unde cum ad mare descendissent, vespera festi St. Laurentii[3] cœnam sumserunt loco, Fyrirleifa dicto, custodibus [per totam noctem[4] ab omnibus oppidi partibus excubias in equis agentibus. Hi animadverterunt, copias Magni regis oppido adpropinquare; habuit tum Magnus [ad sexaginta[5], Haraldus quindecim militum centurias. Venit unus

[1]) ipsi, *Hk.* [2]) nunc Fosso in Bahusia. [3]) die 10. Augusti. [4]) *H*; om. *A*, *Hk.* [5]) quadraginta, *H.*

excubitorum, regi Haraldo explorata nuntians, militesque Magni regis prope ab oppido abesse significavit. Ille: quid ergo veniet Magnus cognatus? non est, credo, ut adversus nos pugnare velit. Cui Thjostolvus Alii: ita tuæ tuorumque, domine, saluti prospicias necesse est, ut si rex Magnus per totam æstatem copias contraxerit, prælium, ut primum te convenerit, commissurus. Tum rex surgens suos allocutus est: arma capite! si rex Magnus prælium committere volet, confligemus[1]. Mox signo tuba dato, omnes regis Haraldi milites oppido egressi in agellum quendam septum, vexilla erexerunt. Rex Haraldus duabus loricis indutus erat, Kriströdus frater ejus nulla; hic summa fortitudinis laude inclaruerat. Rex Magnus ac sui, conspectis Haraldi regis copiis, aciem instruxerunt, tamque late extenderunt, ut totam possent aciem Haraldi regis circumvenire. Sic Haldor Skvaldrius:

Eo loco Magnus, copiarum
numero adjutus, multo longiora
aciei cornua nactus est; calida
cæsorum texerunt corpora campum[2].

Rex Magnus sanctam crucem in acie sibi præferri jussit. Vehemens acreque prælium commissum. Kriströdus, frater regius, qui cum cohorte sua se in mediam aciem Magni regis immerserat, gladium ad utrumque latus vibravit, hominibus utrinque refugientibus. Colonus autem aliquis amplæ auctoritatis, qui castra regis Haraldi secutus fuerat, a tergo Kriströdi constitutus, gæsum ambabus manibus elatum in ter-

---

1) *Á*; omitt. *A*, *H*.

2) Ordo: *Magnús fèkk þar miklu leingri a) fylkingar arma: hann naut margs geingis; varmr valr b) nam at hylja völl.*

a) *leingi*, diu, *H*, quod constructionem turbat. *b*) Sic *Hk.*; *vallr*, *A*, *valið*, *H*, utrumque prave.

gum ejus inter scapulas impegit tanta vi, ut telo per adversum pectus exeunte collaberetur. Quærentibus multis, cur tam malum facinus perpetrasset, respondit: jam novit, (quam ei sortem cogitarim), cum sui hac æstate pecudes meas conciderent, omnemque rem familiarem diriperent, meque invitum abstraherent; hoc ipsum ego, si occasionem nactus fuissem, illi cogitaveram. Quo facto milites Haraldi regis in pedes se conjecerunt, ipseque cum omnibus suis fugam capessivit. Tum multi ex Haraldianis ceciderant; in his letalem plagam acceperat Ingimar Sveinis filius ab Asko, vir præfecti dignitate, qui castra regis Haraldi secutus fuerat[1]; et ex aulicis ad sexaginta.

Cap. 5. Rex Haraldus in Vikam ad naves suas refugit; inde profectus in Daniam, regis Eiriki Emunii opem imploravit. Congressi sunt in Sclandia[2]. Quem rex Eirikus benigne excepit, maxime eo quod fraternam inter se societatem juraverant; concessit illi Hallandiæ provinciam administrandam et conviviis obeundam, octoque naves longas sine armamentis dono dedit. Quo facto cum Haraldus copias per Hallandiam transduceret, multi milites[3] ad eum confluebant. Post prælium rex Magnus, totum Norvegiæ regnum in potestatem redegit; adversariis, qui quidem saucii essent, non vitam solum concessit, sed etiam eorum vulnera curari jussit, ut si sui essent, totumque regnum suæ ditioni vindicavit; viros ex omni regno præstantissimos secum habuit. Qui cum consilia conferrent, Sigurdus Sigurdi filius, nec non [Ingiridæ filii[4], omnesque

[1]) *Hk.* addit h. l. versus, quos moriens Ingimar fudit. [2]) Smalandia, *Hk.* [3]) Norvegorum, *Hk.* [4]) Thorer Ingiridæ filius, *H, Hk.*

viri prudentissimi hortati sunt, ut copias in Vika retinerent ibique manerent, si forte Haraldus copias ab austro adduceret. Rex vero Magnus, suo ipsius arbitrio usus, id consilii cepit, ut Bergas profectus, militibus et præfectis ad prædia sua dimissis, eo loco hiemem transigeret.

Cap. 6. Rex Haraldus cum copiis, quæ eum ex Dania secutæ erant, Konungahellam pervenit. Hic præfecti et oppidani collecto exercitu aciem a superiore parte oppidi constituerant; Haraldus vero, navibus egressus, ad excercitum colonorum misit, ne se regno suo prohiberent, pollicitus, se plura, quam jus esset, non postulaturum. Itaque internuntiis intercedentibus factum est, ut coloni dimissis copiis ad Haraldum transirent. Hic Haraldus præfectis præfecturas et conviviorum beneficia distribuit, colonorumque [qui ejus castra sequi vellent[1], privilegia auxit. Qua re cum magna ad eum multitudo hominum confluxisset, per Vikam transgressus, ceteris quidem omnibus pacem et securitatem concessit, milites vero Magni regis, ubicunque deprehenderentur, diripi et occidi jussit. Sarpsborgam delatus, duo præfectos Magni regis, Asbjörnem hujusque fratrem Næreidum[2] comprehendit, conditione data, ut alter suspenderetur, alter in cataractam Sarpum præcipitaretur, optione ipsorum arbitrio permissa. Asbjörn, utpote senior, optavit, ut in Sarpum descenderet, quod mortis genus atrocius visum est. Sic factum, teste Haldore:

Asbjörn, qui verbis in regem
male temperavit, coactus est
in Sarpum descendere; rex multis
locis belli saturat alitem.
Princeps Nereidum arbore, Sigaris
hosti mortifera, suspendi jussit;

[1]) omitt. *H.* [2]) Nereidum, *H*, *Hk.*

cui liberali viro perniciem attulere
consilia in concionibus agitata[1].

Quo facto Haraldus Tunsbergum concessit, ibique benigne exceptus est. Quo loco magnus quoque militum numerus ad eum confluebat.

Cap. 7. Rex Magnus, qui Bergis agebat, his cognitis rebus, principes, qui in oppido erant, in colloquium advocatos interrogavit, quid faciendum esset. Cui Sigurdus Sigurdi filius: utile hoc loco consilium dare possum; cursoriam strenuis viris instructam mihi aliive ex præfectis gubernandam mandes, ut regem Haraldum, cognatum tuum, convenientes, ei pacis conditiones, ex justorum hujus regni virorum sententia decernendas, offeramus, dimidio regni, quantum ipse habeas, concesso; quas conditiones, auctoritate bonorum virorum accedente, accepturum Haraldum, pacemque inter vos factum iri, non est quod dubitem. Huic rex Magnus: hanc accipere conditionem nolo; quid juvat, totum imperium præcedente autumno subegisse, si nunc dimidia ejus pars alii concedenda est? Aliud, quæso, consilium date. Sigurdus: præfecti tui, domine, qui [autumno proxime elapso[2] veniam abs te domum redeundi petierunt, nunc domi hærere, neque ad te venire velle videntur; fecisti vero meis consiliis valde repugnantia, cum multitudinem tunc

[1]) Ordo: *Ásbjörn, sá er hèlt illa orðum um a) stilli, varð at stiga i Sarp; gramr fæðir viða val vigs. Gramr lèt heingja Næreið b) á grimman grandmeið Sigars fjanda c); glötuðr hrannbáls galt húsþinga mála.*

a) *við*, id., *H*, *Hk*. *b)* *Nereið*, *H*, *Hk*. *c)* hostis Sigaris, Hagbardus, qui ob vitiatam filiam Signyam a patre Sigare, Halfdani Prisci pronepote, rege sec. 3tii et 4ti, suspendio necatus est; hinc „arbor Hagbardo letalis" patibulum poetis dicitur. Vide *Edd. Sn.* ed. Rask, p. 192, et Saxonem Grammat. libr. 7.

[2]) Sic *H*, *Hk*; in provinciis, *A*.

collectam dimisisti: persvasum enim habebam, regem Haraldum ac suos, ubi cognovissent, Vikam principe carere, eo se recepturos. Itaque alterum consilium audi, severum quidem, sed forsitan effectu haud cariturum: speculatores aliosque his adjunctos mitte, qui præfectos tuæ necessitati nunc subvenire nolentes, domi oppressos occidant; quorum bona et possessiones his dona, qui, quanquam antea parum habuerint auctoritatis, fidelem tibi operam navabunt; hos jube populum ad arma excire, nullo facto bonorum malorumve discrimine; quo facto cum copiis, quas nactus eris, adversus Haraldum contende, et prælium committe. Rex: odiosum erit, multos summæ auctoritatis viros ad necem dare, homines vero ignobiles ad honores evehere; nam hi neque minus fidem fefellerunt, et reipublicæ commodis pejus prospexerunt; quare plura de te consilia audire aveo. Sigurdus: tu vero impeditam mihi reddis consilia suggerendi facultatem, qui neque pacem facere, neque prælium committere velis. Age, recipiamus nos in Thrandheimum, ubi maximum adest imperii robur; hic si quicquid licuerit copiarum comparaverimus, fieri potest, ut Gothalbenses istos persequi nos distædeat. Rex: at vero ab his, quos superiore æstate pepulimus, nunc repulsus fugere minime volo; quare melius consilium suggere. Heic Sigurdus surrexit, et ad abeundum paratus: dabo igitur consilium, inquit, quod temet ipsum desiderare, quodque ratum fore video: hoc loco, Bergis, conside, usque dum adveniet cum immenso exercitu rex Haraldus, quo facto aut necem pati aut ignominiam tibi necesse erit. Quo dicto Sigurdus in hoc concilio non diutius moratus est.

Cap. 8. Rex Haraldus, ab oriente profectus,

litora prætervectus est, bene magno copiarum numero stipatus; hæc hiems catervarum est appellata. Bergas vespere festum Jolense præcedenti advectus, classem in Floruvogis constituit; nam feriis Jolensibus, religione festi ductus, prælium committere noluit. Rex Magnus, quæ ad defendendum usui erant, paranda in oppido curavit: in Holmo (insula) extra oppidum ballistam erigi, ferreasque catenas, partim claustra lignea, fabricari, hæcque per transversum sinum a pontibus regiis ad pontes monachorum in Nordneso obtendi jussit; murices cudendos, et in (campis) Jonsvallis disjiciendos curavit; per festum Jolense tres tantum dies festi acti, quibus nihil operis fabricatum esset. Ultima vero festi Jolensis feria rex Haraldus signo tuba dato copias ad abitum[1] excivit; quo tempore[2] novem hominum centuriæ in Haraldi partes transierant. Victoriæ ergo Sancto regi Olavo votum vovit, se templum in oppido ipsi sacrum proprio sumtu ædificaturum. Rex Magnus aciem in cœmeterio ædis Christo sacræ instruxit; Haraldus vero primum ad Nordnesum classem adpulit. Quo viso Magniani ad interiora oppidi conversi, ima sinus petiere; per plateam transgredientibus, complures oppidanorum se in cœnacula, ubi domos habebant, surripuerunt, ex his autem, qui per campos transgressi sunt, multi stimulis se induebant. Heic Magniani conspexerunt regem Haraldum classem in (brachium) Hegravikam remis propulisse, ibique escensione facta in crepidinem supra oppidum contendere. Quo viso cum rex Magnus per plateam ex oppido contenderet, copiæ dilapsæ sunt, aliis in montes, aliis in cœnobium monialium, aliis in templa aliasque latebras profugientibus. Rex ipse navem suam con-

[1]) oppidum, *Hk.* [2]) pæne, add. *H, Hk.*

scendit; elabendi vero facultatem objectæ catenæ præripiebant; neque, paucis regem comitantibus, ulla resistendi copia erat. Sic Einar Skulii in encomio Haraldi:

Clausere Bergensem sinum
per septem continuos dies;
neque exeundi copia
data est prææltis navibus[1].

Post paulo Haraldianis in navem supervenientibus, rex Magnus captus est, in interscalmio puppis anteriore cistæ solii insidens, adsidente Hakone Föko, avunculo ejus, magis venustate formæ, [quam prudentia[2] notabili, nec non Ivare Össuris filio; multi alii ex amicis ejus tunc comprehensi, alii confestim necati.

Cap. 9. Rex Haraldus, consiliariis in consilium adhibitis, sententias eorum exquisivit; quo habito consilio tandem constitutum est, ut rex Magnus ita regno exueretur, ut postea appellari rex non posset. Itaque in potestatem traditus est servis regiis, qui eum effossis oculis alteroque pede obtruncato mutilarunt, et postremo ca-

---

[1]) Ordo: (*Menn*) *luku vág Björgynja a*) *viku*; *háskrautum bryns b*) *var-a kostr fara braut.*

a) verbo tenus: sinum Bergensium, a *Björgynjar*, m. pl., Bergenses; *Hk.* et *Fagrsk.* h. l. habent *Björgynjar*, *Björgvinjar*, Bergarum, eodem sensu. *b*) *Hk.* T. 3. vertit: acris viri (i. e. Magni regis), ab adject. *brýnn*, celer; *Hk.* T. 6. jungitur *brýnn kostr*, expedita facultas, ex conjectura, nullus enim codex habet *brýnn*; in utroque loco *háskrauti*, ab *hár*, scalmus et *skrauti*, bos, per bovem scalmi, i. e. navem, apte explicatur. Putavi *brýns* (in qua voce librarius forte omisit lineolam supra *n*, aut vocem secundum pronuntiationem literis expressit) idem esse ac *brynns*, *brynnr* pro *brunnr* (*y* pro *u*), fons, it. poet. mare; hinc *háskrauti* (ab adject. *hár*, altus) *bryns*, altus maris taurus, navis. Cod. *K*, in *Hk.* citatus, habet quoque h. l. *bruns.*

[2]) omitt. *H.*

straverunt. Ivar Össuris exexcecatus, Hakon Fökus occisus. Post hæc cum universum regnum se ditioni Haraldi subjecisset, sollicita cura inquisitum est, quinam regi Magno amicissimi fuissent, quive maxime scirent, ubi thesauri ejus resque pretiosæ essent. Post prælium Fyrirleivense rex Magnus crucem sanctam secum habuerat, neque indicare voluit, quid ea factum esset. Reinaldus, episcopus Stavangriæ, vir Anglus, et, ut putabatur, habendi cupidior, rege Magno amicissime usus fuerat; quare orta suspicione, ingentem pecuniæ vim resque pretiosas Magni regis ejus curæ commissas esse, missi sunt, qui eum adducerent. Bergas delatus, cum hac de re insimularetur, præfracte negavit, et sui purgandi causa jusjurandum obtulit. Quo repudiato, rex Haraldus multam duodecim auri selibrarum ei irrogavit. Episcopus se negavit sedem episcopalem, suæ curæ commissam, adeo exhausturum. Dein episcopum Reinaldum in insula ad ballistam suspenderunt. Qui cum ad crucem accederet, ocream pede excutiens: juro, inquit, mihi de regis Magni pecunia non aliud, quam quod hac ocrea continetur, notum esse; huic autem unus annulus aureus inerat. Funus Reinaldi episcopi in Nordneso in æde Michaelis humatum; vulgo hæc facta graviter culpante. Post hæc Haraldus Gillius, quoad vixit, rex Norvegiæ solus præfuit.

Cap. 10. Quinque hiemibus post mortem Sigurdi regis elapsis, magna prodigia Konungahellæ evenerunt, præfectis Guttormo, Haraldi Fletteris filio, et Sæmundo Husfreya; quorum hic in matrimonio habuit Ingibjargam, filiam sacerdotis Andreæ Bruni filii: ex quibus nati, Paulus Flipus et Gunnius Filus[1]; filio Sæmundi ex

[1]) Fis, *Hk.*

concubina nomen erat Asmundo. Fuit Andreas Bruni filius vir perquam insignis, et sacra curavit templi Crucis; hujus uxori nomen erat Solveigæ. Versabatur tunc temporis apud illos Jon Lopti filius, eorum educationi et curæ demandatus, tum undecim[1] annos natus. [Ibidem quoque tum aderat sacerdos Loptus Sæmundi filius. Altera filiarum sacerdotis Andreæ nominata est Helga, quam Einar in matrimonio habuit[2]. Accidit Konungahellæ, nocte diei dominicæ, hebdomadem paschalem proxime insequentis, ut ingens strepitus [in omnibus oppidi plateis[3] exsisteret, qualis rege cum tota aulicorum cohorte oppidum transeunte exsistere solebat; accessit, ut canes tanta rabie concitarentur, ut custodiri non possent: qui [in fores irruptione[4] facta, [quotquot exire potuerunt[5], in furorem versi, omnia obvia, homines pecudesque, momorderunt; quorum omnia, morsu lacerata, sangvine erumpente, rabie correpta sunt; partum ferentia, abortu facto, efferata sunt. Quæ prodigia quavis fere[6] nocte a festo paschali ad diem ascensionis evenerunt. Quibus prodigiis multi perterrefacti, ex oppido demigrarunt, venditisque habitationibus, in mediterranea aut alia emporia concesserunt; [quo quisque prudentior, eo magis his rebus moveri [ac timere[7], dicentes[8], ut erat, graves eventus, [qui nondum accidissent[9], his rebus præsignificari. Sacerdos Andreas die pentecostes longam et disertam orationem habens, sub finem orationis digressus est ad incommoda oppidanorum commemoranda, orans, ut animos confirmarent, neque tam egregiam sedem desererent, quin potius rebus suis prospi-

[1]) novem, *H.* [2]) omitt. *H.* [3]) in platea, *H.* [4]) eruptione, *Hk.* [5]) *Hk*; omitt. *A*; inde a signo priori omitt. *H.* [6]) omitt. *H.* [7]) ominantes, *H.* [8]) *Hk.*; omitt. *A. H.* [9]) omitt. *H.*

cerent, consilia conferrent, sibique ab omnibus, quæ incidere possent, rebus, incendiis bellove, præcaverent, Deique pacem exposcerent. Tredecim naves onerariæ ex oppido solvere et Bergas petere paratæ erant; ex quibus undecim unacum hominibus et pecunia omnibusque rebus, qui in navibus erant, periere; duodecimæ navis vectores naufragium fecere, amissis pecuniis, hominibus servatis. Eodem tempore sacerdos Loptus Bergas cum omnibus suis demigravit, suaque omnia incolumia retinuit. Onerariæ festo Laurentii interierunt. Eirikus Emunius, rex Danorum, et Össur archiepiscopus, misso utrique Konungahellum nuntio, jusserunt, oppido caverent, Vindos enim, ingenti copiarum numero in expeditionem misso, christianos homines bello invadere, perpetuoque victoriam reportare. Oppidani de rebus suis nimis securi, ista negligebant et oblivioni tradebant, quo plus temporis recesserat ab terribili illo eventu, qui ipsis inciderat.

Cap. 11. Festo Laurentii[1], cum oratio pro concione inter sacra antemeridiana haberetur, Rettibur, Vindorum rex, Konungahellam advenit; adduxit trecentas liburnas Vendicas, quarum singulæ quadragenos quaternos viros binosque equos vehebant. Filius sororis regis nominatus est Duniniz, uni autem centurionum, qui numerosæ cohorti præfuit, nomen erat Uniburi. Hi duces classem per brachium fluvii orientale propulerunt, Hisingamque prætervecti ad oppidum devenerunt; pars classis, occidentali brachio subvecta, eodem pervenit. Appulsis ad palos navibus, equites in terram exposuerunt, qui per superiora (colle) Bratzaso superato ad oppidum cursu circumflexo pervenerunt. Einar, gener

[1]) Id incidit in diem 10. Augusti.

Andreæ, hujus rei nuntium in templum Arcis pertulit; quo oppidani ad audienda sacra antemeridiana convenerant. Interveniens Einar, quo tempore sacerdos Andreas orationem habebat, vulgo palam fecit, hostes oppido adventare ingenti cum classe navium, quorum partem, superato colle Bratzaso, per exteriora advehi. Multi dicere, adesse fortassis Eirikum, Danorum regem; a quo multi pacem exspectabant. Inde cuncti in oppidum ad res suas decucurrerunt, armisque sumtis in pontes descenderunt, extemplo hostes immensasque copias adesse cognoverunt. Novem naves mercatoriæ, commeatibus ad loca maris Baltici destinatæ, in fluvio ante pontes stabant. In has Vindi primo impetum fecerunt, et cum mercatoribus conflixerunt. Hi, armis arreptis, se diu fortissime tutati sunt; acreque fuit certamen, donec naves expugnatæ essent. Quo impetu Vindi naves centum et octoginta unacum omnibus propugnatoribus amisere. Acerrimo autum instante prælio, oppidani in pontibus constituti, tela in paganos conjiciebant. Remittente pugna, oppidani in oppidum refugerunt, indeque in arcem; quo omnes sese incolæ receperunt, allatis rebus pretiosis, quæque comportari poterat pecunia. Solveiga cum filiabus [aliisque duabus feminis[1] in rus secessit.

Cap. 12. Vindi, navibus mercatoriis expugnatis in terram egressi copias lustrarunt; tumque, quantum damni accepissent, apparuit. Tum alii in oppidum cursu contendere, alii in naves ascendere, omniaque, quæ secum ferre gestirent, rapere. Quo facto totum oppidum omnesque naves igne subjecto inflammarunt. Dein omnes copias ad arcem duxerunt, hasque ad oppugnationem instruxerunt. Rex Rettibur eis, qui in

[1]) omitt. *H.*

arce erant, conditionem fecit, ut exirent cum armis, vestimentis, auro et argento, vitæque gratiam impetrarent; at cuncti contra inclamantes recusarunt, et procedentes in munimenta, alii tela miserunt, alii saxa ingesserunt, alii stipites conjecerunt. Sic acris pugna redintegrata est, multis ex utraque parte, pluribus tamen Vindis, cadentibus. Solveiga, in villam Solbjargas dictam delata, rei nuntium attulit; hic excisa sagitta belli nuntia, Skurbagumque[1] missa, quo haud pauci homines convenerant, compotationem ex pecunia collatitia agitantes; in quibus aderat colonus aliquis, nomine Ölver, dictus Miklimunnus[2]. Hic extemplo exsiliens, arrepto clypeo et galea magnaque securi: surgite, commilitones, inquit, armaque capite, eamus auxilio oppidanis; omnium enim, quotquot audient, vituperationem incurremus, si hic desidemus, cerevisiam in nos ingurgitantes, dum eximiæ virtutis oppidani nostra causa moriuntur. Obloquentibus multis ac dicentibus, ipsos vitam temere profusuros neque eo magis ullam opem oppidanis laturos, Ölver exsiliens: etsi vos omnes remanetis, inquit, ego solus ibo, atque pagani unum alterumque me auctore amittent, antequam occubuero. His dictis ad oppidum decurrit, subsequentibus quibusdam, qui rei exitum cognoscere, eique, si possent, aliquid auxilii ferre voluerunt. Ut arcem tam prope accesserat, ut conspici ab hostibus posset, octo viri, plena armatura instructi, adversus eum se proripiunt, obviamque facti unum omnes circumsistunt. Ölver, sublata securi, anteriorem cuspidem sub mentum ejus, qui ab tergo ejus stabat, tanta vi adegit, ut ille, dirupto gutture et maxillis, resupinus in tergum recide-

[1]) Skyrbagum, *H*; Skurhagum, *Hk.* [2]) i. e. grandi ore; omitt. *H.*

ret. Eodem ictu securim antrorsum vibratam capiti alius cujusdam incussit, et hunc usque in humeros dissecuit. Impugnatus ab reliquis duos præterea occidit, ipseque graviter vulneratus est; reliqui vero quatuor fugerunt. Quos insecutus Ölver, cum in obvia quadam palude hæsissent pagani, horum duos interfecit, ipseque tum cœno paludis immersus hæsit; sic duo soli ex octo paganis evaserunt. Ölver ab iis, qui eum subsecuti fuerant, receptus et Skurbagum deportatus est, curatisque vulneribus pristinæ sanitati restitutus est; constanti fama, nullum unum hominem majorem in congrediendo virtutem exhibuisse. Duo præfecti, Sigurdus Gyrdi filius, frater Philippi, et Sigardus[1] cum sex hominum centuriis Skurbagum venerunt; ex quibus Sigurdus[2] cum quatuor centuriis reversus est, et postea parvi æstimatus brevi tempore vixit: Sigardus[3] cum duabus centuriis in oppidum descendit, et cum paganis conflixit, ibique cum omnibus suis occubuit.

Cap. 13. Vindi arcem oppugnabant, rege ac gubernatoribus navium extra prælium constitutis. Aliquo loco, ubi Vindi steterunt, vir quidam fuit, arcu sagittas ita emittens, ut singulæ sagittæ, ab eo emissæ, hostium alicui mortem afferrent. Ante hunc duo viri constiterunt, qui eum prætensis clypeis texerunt. Tum Sæmundus, filium Asmundum allocutus, hortatus est, ut utrique uno tempore tela in sagittarium mitterent: ego vero, inquit, sagittam emittam in eum, qui clypeum tenet. Sic fecit; ille vero objecto clypeo se protexit; tunc Asmundus sagittam inter clypeos misit, quæ fronti sagittarii illapsa per occiput transvolavit, ut is exanimis in tergum col-

[1]) alter Sigurdus, *H.* [2]) Gyrdi filius, add. *H.* [3]) *Hk.*; Sigurdus, *A*, *H.*

laberetur. Quo viso omnes Vindi canum aut luporum instar ulularunt. Mox rex Rettibur arcis propugnatores inclamari, pacisque conditiones offerri jussit; quas cum reprobarent, pagani acrem impetum redintegrarunt. Erat ex paganis aliquis, qui tam fortiter rem gerebat, ut, ad portam arcis accedens, hominem intra portam consistentem transfigeret. In hunc magna vis sagittarum et missilium ingesta. Qui, nullis armis defensoriis tectus, tantum magia valuit, ut nullo lædi telo posset. Tum sacerdos Andreas ignem consecratum sumsit, fomitisque particula suscepit, et conceptis verbis bene precatus fomite cuspidem sagittæ induit, Asmundoque dedit, qui hanc sagittam cum fomite in veneficum illum misit. Qui ictus tantum valuit, ut hominem conficeret humique exanimum prosterneret. Pagani, horrendo ut antea clamore edito, ulularunt et dentibus infrenderunt, regemque universi adierunt; christianisque hominibus id consilium agitari visum est, ut ab oppugnatione desisteretur. At interpres aliquis, qui Vindicam lingvam calluit, verba intellexit tribuni cujusdam, nomine Unibur-ris, hunc in modum loquentis: hic populus est atrox et difficilis; in quo oppugnando tot milites, tot principes amisimus, ut, si vel omnem, quam hoc oppidum continet, pecuniam nacti fuerimus, tantundem pecuniæ lubenter expenderemus, ne hunc in locum devenissemus. Etenim hodie cum primo castellanos oppugnare cœperamus, telis sese ac jaculis defendebant; post saxis nos incessebant; nunc teretibus bacillis, tanquam canes, nos verberant. Verum tamen, cum provideam, hostibus brevi arma defore ad defendendum, jam acrem in eos impetum faciamus, et, quid valeant[1], experiamur. Rem vero acu

[1]) amplius, add. *Hk.*

tetigit: tunc enim vallos conjiciebant; primo autem certaminis ardore missilia[1] et saxa per imprudentiam effuderant. [Sed videntes copiam vallorum minui, singulos vallos in duas partes diffindebant[2]. Pagani, acri facto impetu, eos oppugnabant, per intervalla quiescentes, utrisque tunc fessis ac vulneratis. Intermittente aliquando certamine, rex eis pacis conditiones obtulit, ita ut arma vestesque, quæque ipsi ex arce efferrent, haberent.

Cap. 14. Tum ceciderat Sæmundus Husfreja. Ceteri, qui in arce superstites erant, id jam consilii ceperunt, ut arcem[3] paganis dederent. Quæ stolidissima ratio fuit; pagani enim fidem non præstiterunt. Nam omnes homines, viros, feminas et pueros, comprehenderunt; qui vulneribus affecti aut teneræ ætatis erant, quosque non sine aliquo negotio abducere possent, omnes interfecerunt; omnem pecuniam, quæ in arce erat, abstulerunt. Templum Crucis ingressi omnibus ornamentis spoliarunt. Sacerdos Andreas regi Rettiburi baculum securi armatum, [argento ornatum et inauratum[4], ejusdemque nepoti ex sorore, Dunimizo, annulum aureum dono dedit; unde eum alicui oppidi parti præfectum esse collegerunt, et majori quam ceteros honore habuerunt. Sanctam crucem raptam abstulerunt; abstulerunt et tabulam, super altari collocatam, quam rex Sigurdus in Græcia faciendam curaverat, et ab exteris advexerat. Hac in gradus ante altare deposita, pagani templo excesserunt. Tunc rex Rettibur: hæc ædes summo in Deum, cui dicata est, amori suum debet splendorem; [verum haud dubie tam oppidi, quam ædis, segnior cura habita fuit, quod video, Deum templi custodibus

[1]) sua, add. *Hk.* [2]) ab signo omitt. *H.* [3]) et semet ipsos, add. *Hk.* [4]) auro exornatum, *H.*

iratum esse[1]. Rex Rettibur sacerdoti Andreæ[2] scrinium, crucem sanctam, codicem (sacrum), plenarium[3] et quatuor sacerdotes tradidit; pagani vero templum et omnes domos, quæ in arce[4] erant, succenderunt. Cum vero ignis, templo injectus, bis forte exstinctus esset, ipsam ædem cædendo demoliti sunt, quo facto intus tota ardere cœpit; [sic templum aliæque[5] domus conflagrarunt. Pagani cum præda ad naves regressi, copias lustrarunt; quas cum accisas esse animadverterent, omnes incolas captivos abduxerunt et in naves partiti sunt. Sacerdos Andreas cum clericis et sancta cruce regiæ navi impositus est. Hic objectum omen ingenti pavore paganos implevit, cum regiam navem tantus æstus invasisset, ut omnes pæne absumi calore sibi viderentur. Rex interpretem ab sacerdote, qui sic fieret, quærere jussit. Is ab Deo omnipotenti, in quem christiani crederent, signum iræ missum asseruit, quod, qui in creatorem non crederent, monumentum passionis ejus manibus contrectare ausi essent: tantam adesse cruci vim, ut talia omina, eaque clariora, paganis eam contrectantibus objecta sint. Tum rex clericos in scapham demitti jussit, Andrea sacerdote crucem amplexu ulnarum gestante. Primo scapham antrorsum propter navem, dein proram circumflectentes retrorsum secundum alterum latus ad puppim traxerunt, et ope contorum ad pontes repulerunt. Andreas nocte proxime insequenti crucem Solbjarga deportavit, vento sæ-

[1]) omitt. *H.* [2]) templum et, add. *Hk.* [3]) *Missale plenarium*, et nude interdum *Plenarius* v. *Plenarium*, his temporibus dicebatur *enchiridion s. manuale ecclesiasticum*, missis papisticis rite celebrandis præscriptas evangeliorum et epistolarum pericopas plene continens, *Hk.* Tom. 3, p. 293. [4]) oppido, *H.* [5]) quo facto templum, sicut aliæ, *Hk.*

viente cæloque pluvio, eandemque in tutam custodiam commisit. Rex Rettibur cum milite superstite in Vindlandiam reversus est; hic multi ex iis, qui Konungahellæ capti fuerant, longo dein tempore servilibus laboribus afflicti sunt. Qui vero pecunia redemti in Norvegiam ad proprios fundos redierunt, minori quam antea successu usi sunt. Neque unquam emporium Konungahellæ ad idem atque olim dignitatis fastigium pervenit[1].

Cap. 15. Magnus, qui excæcatus fuerat, [Nidarosum profectus[2], sumto habitu monachico, [monasterium, quod Holmi fuit, ingressus est[3]. Tum ad eum sustentandum huic monasterio Hernesum magnum, [in Frosta situm[4], legatum[5] est. Haraldus, quod reliquum erat hiemis, solus[6] regno præfuit, omnibusque pacem cupientibus concessit, multosque, qui Magnum secuti fuerant, in numerum aulicorum recepit[7]. Memorat Ei-

---

[1]) Hanc totam narrationem omitt. *M.* [2]) omitt. *M.* [3]) in Holmum (i. e. Munkholmum) deportatus est, *M.* [4]) Sic *A*, *M*; omitt. *H.* [5]) emtione acquisitum, *H.* [6]) *enn*, i. e. *énn*, *A.* [7]) Sic dicit Haldor:

Divitiarum distributor! nunc
tota tibi Norvegia subjecta est;
tua fortuna, Deo administrante,
viridis terræ nititur præsidio *a*).

Sic Einar Skulii:

Juvenis gratia florens,
qui feras saturat,
totum regnum suam
in ditionem redegit *b*); add. *M.*

a) Ordo: *Auðsendir! nú er allr Noregr fallinn undir þik;* [*þín gipt liggr á grœno a*) *láþi: þat er guþs a*) *ráþ.* *a*) hæc verba in cod. membr. dubiæ lectionis sunt.

b) Ordo: *Úngr lœuaðr* (i. e. *lofaðr*) *lifgjafi Ello geitúnga a*) *varþ ráþandi alls lanz.* *a*) *Ella*, celeber Northumbriæ rex,

nar Skulii, Haraldum duo prælia in Dania commisisse, unum ad Hvednam, alterum ad Hlesejam[1]:

Rex bellicose, in perferendis laboribus
constans! tenuem gladii aciem
cruentasti, cum perfidis viris
confligens altam propter Hvednam.
Strenue princeps, qui loricam sangvine
tingis! prælium commisisti ad planam
Hlesejæ crepidinem, ubi vento spirante
vexilla super viris undulabant[2].

Cap. 16. Rex Haraldus Gillius omnes æquales liberalitate superabat. Ferunt, Magnum Einaris filium, ut muneri episcopali inauguraretur, ex Islandia in Norvegiam venisse. Hunc rex Haraldus summo studio excepit, maximoque in honore habuit. Cumque navis, qua episcopus in Islandiam trajiceret, parata ad solvendum erat, episcopus cœnaculum, ubi rex ad pocula sedebat, ingressus, eum salutavit. Rex eum bene et comiter excepit; adsidebat juxta regem regina. Rex: jamne, domine episcope, ad abeundum paratus es? Affirmanti episcopo rex iterum: haud commodum ades, qui mensis jam

---

h. l. pro regulo maritimo ponitur; *Ello geitúngr*, avis piratæ, corvus v. aquila, cujus *lífgjafi*, nutritor aquilæ, vir bellicosus.

[1]) victoriaque potitum esse, add. *M.*

[2]) Ordo: *Eljunþrár hrafns munnlituðr! [þú lèzt a) þunnar b) eggjar roðnar á ótryggum höldum und hári Hveðn. Harðr c) serkrjóðr Hárs d)! áttuð e) sókn við slèttan f) Hlèseyjar þröm, þar er hregg blèsu merki of virðum g).*

a) *lèt*, 3. pers., *M*, *Hk*; *lèt ek*, 1. pers., *H*, vix recte. *b*) *þunnan*, *H*, nihil habet, quo referatur. *c*) *harða*, vehementer, *Hk.*, jung. cum *blèsu*. *d*) qui tingit indusium Odinis, præliator. *e*) *átti*, 3. sing., *Hk.* *f*) *slètta*, f. gen., *Hk.*, sed *þrömr* apud veteres masc., apud recentiores *þröm* fem. g. *g*) pro 5. et 6. versu *M* habet: *dþr þar er ógnar prúþom úlfnistanda visto*, quæ ab h. l. aliena videntur.

stantibus adveneris, nullum enim præsto est dignum munus, quo doneris; ecquid adest muneris, quo donetur episcopus? Cui quæstor regius: thesauros tuos jam omnibus rebus pretiosis exhaustos credo. Rex: video, quid præsto sit, poculum hocce; accipe, quæso, domine! haud nullius pretii est. Episcopus ei pro munere gratias egit, honoremque omnem, quo se mactasset, gratus agnovit. Tum regina: vale, remque feliciter gere, domine episcope! Cui rex: vale, domine episcope, remque gere feliciter, inquisti; quamnam, quæso nobilem matronam[1] sic audisti episcopum allocutam, sine munere dimissum? Illa: domine, quid præsto est? Rex: pulvinus, cui insides. Is episcopo datus est; erat nova bombyce coccinea circumdatus, et in suo genere præstantissimus. Et antequam episcopus digressus est, rex pulvinum, cui insidebat, sumi jussit, et locutus est: hunc quoque pulvinum accipe, domine episcope; nam hi ambo diu una fuerunt. Dein episcopus discessit, et in Islandiam reversus, sedem episcopalem adiit. Episcopo inde aliorum sententias exquirente, quid poculo fieret, ut regis honori optime consuleretur, fuere qui hortarentur, vendendum esse, pretiumque pauperibus distribuendum. Hic episcopus: aliam ineundam rationem puto; calix [in usum hujus cathedræ[2] inde faciendus, quo super calice quotiescunque missa canatur, precor, ut omnes sancti, quorum sanctæ reliquiæ hac æde conservantur, fructum pietatis ad regem Haraldum redundare faciant. Sic factum; atque hic calix [semper exinde in templo Skalholtensi permansit[3]; ex pannis bombycinis, quibus pulvini obducti erant, saga præcentoria in usum ejus-

[1]) dominam, *H.* [2]) *M, Hk.*; omitt. *A.* [3]) Skalholtensium maximus est, *M.*

dem cathedræ facta. Quibus ex rebus intelligi potest magnanima regis Haraldi Gillii liberalitas. [Rex Haraldus Thoram, filiam Guttormi Grabardii, concubinam sibi adscivit, ex qua filium progenuit, nomine Sigurdum; filium quoque, nomine Ingium, ex regina Ingirida suscepit; filiarum regis Haraldi uni nomen erat Brigidæ, alteri Mariæ. Brigidam filiam ejus primo in matrimonio habuit Ingius Halsteinis filius, Svionum rex, deinde Magnus Henreki filius, postremo Birger Brosa. Rex Haraldus summa liberalitatis documenta amicis exhibuit[1].

Cap. 17[2]. Vir erat nomine Sigurdus, qui in Norvegia educatus est, sacerdotis Adalbrikti filius appellatus, matre natus Thora, filia Saxii de Vika, sorore Sigridæ, matris regis Olavi Magni filii et Karii regii fratris[3], qui in matrimonio habuit Borghildam, filiam Dagi Erlingi[4] filii; horum filii Sigurdus Ostrattensis[5] [et Dagus; filii Sigurdi erant[6] Thorstein, Andreas Surdus et Jon, qui in matrimonio habuit Sigridam, sororem regis Ingii et Skulii Ducis. Sigurdus jam puer ad literarum studia adplicatus, clericorum ordini adscriptus, et diaconus inauguratus est. Qui cum ætate et viribus maturuerat, omnes æquales fortitudine superavit; insigni erat staturæ viriumque magnitudine; omnibus artibus non solum omnes sui temporis æquales, sed universos pæne Norvegos præstitit. Idem prima jam ætate insigni ferocia fuit, in plerisque rebus nemini facile parcens (cedens); unde cognomen *Slembi-*

[1]) add. *E*, et maxima ex parte *Hk.*; omitt. *A*, *H*. [2]) Historia Sigurdi, dicti *Slembidjákn*, qualem exhibet cod. *M*, a ceteris valde discrepantem, ad calcem libri rejicitur. [3]) aliter supra hist. Sigurdi Hierosolymipetæ c. 21. not. [4]) Eilivi, *Hk*. [5]) confer hist. Sigurdi l. c. [6]) Sic *Hk.*; omitt. *A*, *H*.

djákn ei adhæsit; erat facie pulcerrima, crinibus quidem raris, pulcris tamen. Mox, matre indicante, Sigurdus certior factus est, regem Magnum Nudipedem patrem suum esse. Ut sui juris factus est, institutis clericorum repudiatis, patriam reliquit, et in peregrinationibus multum temporis consumsit: Hierosolyma adiit et ad Jordanem pervenit, multaque ignota loca, [more peregrinatorum[1], visitavit. Reversus aliquot hiemes itineribus mercatoriis tribuit: fuit aliquamdiu[2] in Orcadibus cum Haraldo dynasta, cui in occidendo Thorkele Alumno, [Sumarlidii filio[3], adfuit. Fuit quoque in Skotia cum Davide, Skotorum rege, a quo magni æstimatus est. Inde in Daniam trajecit, ubi, secundum ipsius et sociorum relationem, genus paternum, præsentibus quinque episcopis, ordalio probavit, eo quidem eventu, ut regis Magni filius esse comprobaretur. Id quod testatur Ivar Ingimundi filius in suo de Sigurdo carmine:

Quinque episcopi, in
præstantissimis habiti
de genere principis
ordalium instituerunt.
Quo tentamine probatum
est, Magnum patrem
esse potentis illius
ac munifici regis[4].

Quæ ab Danis per fraudem ficta esse, amici regis Haraldi contenderunt.

Cap. 18. Cum Haraldus Gillius per sex

---

[1]) omitt. *H.* [2]) aliqua hieme, *H.* [3]) omitt. *H.*

[4]) Ordo: *Fimm biskupar, þeir er framast þóttu, gerðu skírslu um a) kyn skjöldúngs; svá bar raunir b), at Magnús var faðir þess [hins c) milda d) ríks konúngs.*

a) of, id., *Hk.* *b) raun,* sing., *E.* *c) ens,* id., *H.* *d)* Sic et *Á, E; hinn mildi, Hk.*

hiemes rex fuerat, Sigurdus in Norvegiam venit, regemque Haraldum Bergis convenit. Quem protinus adiens, coram aperuit, quo patre natus esset, orans, ut se pro cognato agnosceret. Rex, cum præcipitem de ea re sententiam ferre nollet, rem coram amicis exposuit, et cum eis conventus ac colloquia habuit. His autem deliberationibus tandem factum est, ut rex Sigurdo crimini daret, quod in insulis maris occidentalis cædi Thorkelis Alumni interfuisset. Thorkel regem Haraldum, cum primo in Norvegiam proficisceretur, secutus fuerat, et in intimam ejusdem amicitiam pervenerat. Hæc res tanta contentione acta, ut Sigurdus hanc ob causam capitis accusaretur, et auctoritate præfectorum damnaretur. Quo facto, sero quodam vespere speculatorum quidam Sigurdum accesserunt, et eum domo elicuerunt; sumta cursoria aliqua, ab oppido [austrum versus ad Nordnesum[1] remigarunt, Sigurdum secum abducentes. Sigurdus, cistæ in puppi insidens, causamque suam meditans, se dolo circumveniri suspicatus est. Sic vestitus erat: indutus erat braccis cæruleis et indusio, sago tæniis instructo superindutus. Ille, demissis in solum oculis, tænias sagi manibus attrectavit, easque jam in caput levavit, jam iterum demisit. Interea illi promontorium prætervecti,[2] potu hilares remigationem studiose urgebant, parum sibi metuentes. Tum Sigurdus surrexit et ad oram navis accessit; duo viri, quorum custodiæ commissus fuerat, surgentes, cum ad oram duxerunt, amboque sagum prehendentes, ut illustribus viris famulantes facere solent, distinebant. Cum vero plures vestes ab iis retineri suspicaretur, utrumque utraque manu cor-

[1]) Holdhellam a septemtrione circumflectentes, *E.* [2]) cum ad (amnem) *Mjólkrá* (lacteum) tantum non pervenissent, add. *E.*

reptum retinens, se ipse e navi præcipitavit. Navis, magna celeritate procurrens, ægre circumflecti potuit, nec nisi longiore mora interjecta natantes socios recipere potuerunt. Interea Sigurdus tantum spatium sub aquis natando emersus erat, ut terram prius attigisset, quam navigium possent ad eum persequendum circumagere; cumque pedum celeritate omnes facile supererat, cursu in terram contendit. Regii insecuti, per totam noctem eum frustra quæsiverunt. Delituit enim in rupis cujusdam fissura; ubi cum acriori algore ureretur, braccas exuit, quorum parte, quæ nates tegit, disscissa, caput per fissuram, brachia per femoralia exseruit; atque hoc modo vitæ in præsens consuluit. Regii domum reversi, adversam, qua usi fuerant, fortunam celare non potuerunt.

Cap. 19. Sigurdus, jam persvasum habens, nullum auxilium ab rege Haraldo convenlendo peti posse, per totum autumnum primamque partem hiemis in latebris se occultavit. In oppido Bergarum delituit apud sacerdotem aliquem, occasioni inhians, ut necem inferre regi Haraldo posset. Ad quod efficiendum permulti sese cum eo conjunxerant, ex quibus nonnulli aulici et cubicularii regis Haraldi, qui superiori quidem tempore [aulici Magni regis[1] fuerant, tum vero in tantam amicitiam regis Haraldi pervenerant, ut nonnulli ex iis regiæ mensæ accumberent[2]. Vespere festi Luciæ[3] duo aulici, mensæ accumbentes, colloquebantur; quorum alter regem allocutus: rem inter nos controversam tuo, domine, inquit, arbitrio subjecimus; nimirum pignus utrique dedimus in mellis modiolum: ego contendo, te instante nocte cum uxore tua, regina Ingirida,

[1]) Sic *H, Hk.*; apud Sigurdum versati, *A.* [2]) semper accumbere solerent, *Hk.* [3]) die 13. Decembris.

ille vero, cum Thora Guttormi[1] filia cubiturum. Rex, omnino ignarus, hanc quæstionem tanto dolo propositam esse, ridens respondit: tu vero pignore excides. Quo responso colligebant, quo loco insequenti nocte quærendus esset; cohors vero prætoriana ante cubiculum, ubi regina quievit, ubique plerique regem versari putarunt, excubias agebat.

Cap. 20. Sigurdus Slember, aliquot viris comitatus, ad cubiculum, ubi rex dormiebat, accessit: fores effringunt, et cum armis ingrediuntur; Ivar Kolbeinis filius regi Haraldo primus arma intulit. Rex vino saucius decubuerat, altoque somno sepultus erat. Is, hostium telis petitus, somnum excussit, et mero vesaniens: acerbe me, Thora, habes, inquit. Illa exsiliens: acerbe te tractant, inquit, qui pejus tibi cupiunt, quam ego. Hic rex Haraldus exstinctus est. Quo facto Sigurdus ac sui egressi, advocatis, qui societatem suam polliciti fuerant, si regem e medio tollere potuisset, cursoriam aliquam occuparunt, virisque ad remos dispositis, sinum trajecerunt, et navigium pro ædibus regiis constituerunt. Jam illucescere dies cœperat. Sigurdus surgens homines, qui in pontibus regiis stabant, allocutus, se interfectorem regis Haraldi professus est, et oravit, ut se pro natalium suorum conditione regem agnoscerent. Interea magna hominum multitudo ex ædibus regiis ad pontes confluxit, qui omnes uno ore clamabant, nunquam fore, ut obsequium operamque præstarent ei, qui fratrem clam interfecisset: si vero frater tuus non est, inquiebant, natalium ratione nullum jus habes regiæ dignitatis. Mox gladiis ad scuta concrepuerunt eosque omnes proscriptos et securitate expertes judicarunt. Dein signo tuba re-

[1]) Sic *Hk.*; Gudbrandi, h. l. *A.*

gia dato, omnes præfecti et aulici convocati; Sigurdus vero cum suis, splendidissimam conditionem ratus, si effugere potuisset, boream versus in Hördalandum contendit, et in ea provincia colonis advocatis conventus egit; qui, in partes ejus transeuntes, regium nomen ei concesserunt. Inde in Sognum profectus, ibi quoque, habito conventu, rex creatus est. Inde in Fjordos concessit, ubi magno studio exceptus est. Sic ait Ivar Ingimundi[1] filius.

Hördenses et Sognenses,
post cæsum Haraldum,
liberalem Magni
filium regem sumserunt;
multi homines in comitiis
principi, regio sangvine orto,
fratris (mortui) loco, fidem
jurejurando obstrinxerunt.

Haraldus ad ædem Christi antiquam humatus est.

---

[1]) Sic *Hk.*; Ingjaldi, h. l. *H*, et *A* abbreviate.

REGIS INGII HARALDI FILII EJUSQUE FRATRUM HISTORIA.

REGIS INGII HARALDI FILII EJUSQUE FRATRUM HISTORIA.

Cap. 1.

Regina Ingirida, præfectis et aulicis, qui regi Haraldo fuerant, adhibitis, id consilii cepit, ut cursoria boream versus in Thrandheimum mitterentur, qui mortem regis Haraldi nuntiarent, Thrandosque juberent regem creare Sigurdum, regis Haraldi filium, qui in ea provincia ab Gyrdo Bardi filio educabatur. Ipsa regina confestim orientem versus in Vikam se contulit, ubi Ingius, ipsius et Haraldi filius, in domo Amundi Gyrdi filii educabatur. Ubi in Vikam ventum, indicta [comitia Borgensia[1], in quibus Ingius, tunc alterum annum agens, rex salutatus est, auctoritate et consilio Amundi, Thjostolvi Alii filii, multorumque aliorum potentiorum principum. Perlato in Thrandheimum nuntio, regem Haraldum e medio esse sublatum, rex ibi creatus est Sigurdus, regis Haraldi filius; quod auctoritate Ottaris Birtingi, Petri Södulvi filii, fratrum, Guttormi Reinensis et Ottaris Ballii[2], Asolvi filiorum, et multorum aliorum principum factum est. Tunc universus fere populus in partes fratrum (Ingii ac Sigurdi) transiit, in primis eam ob causam, quod pater eorum sanctus appellatus erat; imperiumque regni iis addictum ea jurisjurandi formula, quod ad neminem alium transiret Nor-

[1]) *H, Hk.*; literis obscurioribus in *A.* [2]) Bollii, *H.*

vegiæ imperium, dum quispiam ex filiis Haraldi regis superstes esset.

Cap. 2. Sigurdus Slembidjakn[1], boream versus litora legendo in Nordmæriam delatus, quod eum anteverterant literæ et tesseræ, ab optimatibus datæ, qui se ad studia filiorum Haraldi regis converterant, a nemine receptus, neque ulla ope adjutus est. Qui cum militum copia laboraret, id consilii ceperunt, ut in Thrandheimum contenderent: huc enim nuntios præmiserat, et ad suos amicos, et ad amicos Magni, qui excæcatus fuerat. Cum ad emporium venit, fluvio Nida subvectus, oris navium ad ædes regias religatis, quod universus populus egressum prohibebat, recedere coactus est. Itaque navibus ad Holmum applicatis, Magnum Sigurdi filium, qui antea monachorum ordini initiatus fuerat, invitis monachis e monasterio extraxerunt; quæ quidem relatio ad Magnum excusandum ficta est, cum plures dicant, eum sponte monasterio excessisse. Qua ex re Sigurdus magnam auxilii spem animo concipiebat; neque eum opinio sua fefellit. Hæc statim elapso festo Jolensi acciderunt. Sigurdus cum suis e sinu navigavit, subsequentibus Björne Egilis filio, Gunnare de Gimsis, Haldore Sigurdi filio, Aslako Hakonis, fratribus Benedicto et Eiriko, aulicisque qui Magnum antea stipaverant, multisque aliis. Mæriam prætervecti, cum ad ostium sinus Romsdalensis pervenissent, copias partiti sunt: Sigurdus Slember, (primo) austrum versus cursu directo, eadem ipsa hieme mare occidentale trajecit; Magnus in Uplanda concedens, magnas inde opes exspectabat, neque frustra; ibidem enim sese per hiemem et æstatem totam continebat, magnumque habuit copiarum numerum. Hunc rex Ingius cum suis

[1]) Slember, *H*, *Hk*.

agressus est. Congressi sunt loco, quod Mynnium[1] dicitur; hic acre prælium commissum; Magnus numero copiarum erat superior. Dicitur Thjostolvus Alii filius, vexillum portans, regem Ingium inter pugnam in sinu gestasse. Qui cum labore fatigatus et ab hostibus oppugnatus in magnum discrimen veniret, vulgaris sermo est, regem Ingium tum accepisse eam corporis debilitatem, qua per totam inde vitam laboravit, nempe gibbum tergum et pedem alterum altero breviorem, eamque virium infirmitatem, ut quoad viveret, incedere ferme non posset. Strage in Magnianos versa, hi in prima acie ceciderunt, [2]Haldor Sigurdi, Björn Egilis, Gunnar de Gimsis; magnaque pars militum Magni cecidit, antequam fugam capessere vellet. Sic Kollius:

Brevi deinde, princeps, gladii
impetum concitavisti ad
Mynnium in oriente, (ubi) milites
galeati prædam ensibus paravere[3].

Idem porro cecinit:

Priusquam rex, annulis liberalis,
inde recedere induceret animum,
omnes ejus satellites humi prostrati erant.
Rex belli gerendi peritus (sub) cœlo[4].

---

[1]) Prædium, nunc *Minne*, ad ostium Albis Römorum, qua ex lacu *Mjörs* effluit. [2]) Thorkel, add. *Hk.*

[3]) Ordo: *Hilmir! unnuð brátt a) síðan oddhríð b) austr fyrir Mynni; ok c) lið und hjálmi fékk sverðum hrafnsverðar d).*

a) Sic *M*, quam lectionem h. l. verissimam arbitror; *brak, A, H; brast, Hk.*; nam *brac* ex *brát*, et *brast* ex *brátt* depravari facile potuit. *b*) Sic *M, H, Hk; oddhríðir, A*, plur. *c*) *en*, sed, *Hk.* *d*) Accipio h. l. *sverðum*, non pro dat. instrumenti, sed pro dat. commodi, ut et in Edd. Sn. 182, 6: *fékst arnar matr járnum*, qui locus huic parallelus est; ceterum, dare ensibus prædam, est corpora hostium ensibus dissecare.

[4]) Ordo: *Fyrr a) en b) hríngmildr harri vildi þaðan, lá öll hans verðúng [á velli; vígfimr c) konúngr himni d).*

Cap. 3. Magnus primo orientem versus in Gothiam profugit, [indeque in Daniam concessit[1]. [Eo tempore[2] Karl Sonii filius Gothiæ dynasta fuit[2], vir potens et avarus. Magnus Cæcus et sui, quocunque venissent, cum principibus viris collocuti significarunt, aditum Norvegiæ viris potentioribus, si qui affectarent, patere; nullum enim regem ei regno imperare, totum imperium penes præfectos esse; præfectos autem, qui imperio admoti primo fuissent, inter se obtrectare ac dissidere. Cum vero Karl dominationis cupidus esset, et [ad aliena rapienda facile impelli posset[3], exercitum collegit et in Vikam descendit; ubi multi incolarum, metu adacti, ejus partibus se adjunxerunt. Quibus rebus cognitis, Thjostolvus et Amundius, collecta quæ comparari subito poterat manu, regem Ingium secum adducentes, adversus eum profecti sunt. Occurrerunt Karli et exercitui Gothorum in (silva) Krokaskogo ad orientem, ubi altero prælio commisso rex Ingius victor discessit. Hic cecidit Munan Ögmundi filius, avunculus Karlis dynastæ. [Ögmundus, pater Munanis, erat filius dynastæ Ormi Eilivi filii et Sigridæ, dynastæ Finni Arnidæ filiæ; Astrida, filia Ögmundi, mater[4] erat Karlis dynastæ[5]. In Krokaskogo magnus mili-

a) *fyst, H,* contra metrum. b) *i, H,* mendose. c) *H, Hk.*; hæc tria verba in *A* non conspiciuntur. d) Accipio hunc versum pro intercalari, ex eo genere intercalarium, quod dicitur *klofastef,* de quibus in Excursu Script. hist. Isl. Vol. 3., hoc fere sensu: rex bellicosus omnium, qui sub cœlo (in terris) vivunt, præstantissimus est. Vulgo jungunt interpretes h. l. *hringmildr himni,* annulos in cœlum (i. e. ad pios usus) conferens; cui locutioni nullam apud veteres parem invenio.

1) Omitt. *Hk.* 2) Sic *H*; non conspiciuntur in *A.* 3) aliorum adhortationibus faciles aures præberet, *H, Hk.* 4) Sic *Hk.*; filia, *A.* 5) ab signo omitt. *H.*

tum numerus cecidit, dynasta vero orientem versus e silva fugiebat. Quos rex Ingius regno[1] penitus expulit, expeditione ignominiosissime defunctos. Sic Kollius:

Verbis persequar, ut fulgidos
gladios princeps cruentarit;
corvus vulneribus Gothorum inhiavit:
aquila haud raro ventrem implevit.
Ex pugnæ concitatoribus, qui
in silva Krokensi prælium
fecere, sumta vindicta est;
tuæ potentiæ documenta exstant[2].

Cap. 4. Magnus Cæcus in Daniam contendit ad Eirikum Emunium, a quo bene exceptus est. Huic se expeditionis socium obtulit, si Danorum exercitum in Norvegiam transmittere regnumque in suam potestatem redigere vellet; addens, si rex Danorum ipsius adjutus opibus

---

[1]) Sic *H*; e silva Krokensi, *A*.

[2]) Ordo: *Ek mun lýsa, hve vísi a) rauð ljósa sár-ísa b); hrafn laut í ben Gauta: örn fylldit c) sik sjaldan. Sverða glaum herþundum d), þeim er gerðu róg á Krókaskógi, varð e) goldit; raun er f) at þínu ríki.*

a) *vísir*, id., *H.* *b*) glacies vulnerum, gladius, ut *blóðíss*. *c*) *fylldi*, omissa particula negat., *H.* *d*) *herðundum*, id., *H*, *Hk.*, i. e. præliatoribus, viris, intelligo Gothos, qui incursionem in Norvegiam fecerant, non Norvegos, qui partibus eorum se adjunxerant; itaque *róg* de prælio, non de calummia v. perfidia, sumo. Ceterum celeb. Raskius dedit *her-þundum* (ab *herr* et *þundr*, nomen Odinis), hoc nexu: *her-þundum, þeim er gerðu sverða glaum á Kr., varð gold. róg.* Quæ constructio id facilitatis habet, quod verbum *gjalda* hac ratione absolute non ponitur; nec obstat altera lectio *herðundum*, nam *þ* in voce composita sæpe in ð abit, v. c. *Sviðjóð* pro *Svíþjóð*; appellatio *her-þundr*, præliator, conferri potest cum *herbaldr*. Verum, si vel appellationem sic resolvi placuerit, non opus esse puto, imo consonantiæ metricæ repugnare videtur, *her-þundum* scribere, ob sequens *sverða*. *e*) *var*, *H.* *f*) omitt. *H.*

in Norvegiam venisset, neminem in eum hastam conjicere ausurum. Rex, Magni adhortationibus impulsus, expeditionem imperavit, et cum classe septingentarum viginti[1] navium in Norvegiam profectus est, Magno Cæco ac suis hujus expeditionis sociis. Qui in Vikam delati, ab orientali sinus parte quiete et pacate ut plurimum iter fecerunt. Ad Tunsbergum appulsi inciderunt in magnam armatorum multitudinem, a præfectis coactam, cujus summum imperium maxime penes Vatnormum Dagi filium, fratrem Gregorii, fuit. Hic Danis nec in terram egredi, neque aquam petere licuit, multique ex iis interfecti. Itaque sinum ingressi, Osloam contenderunt, ubi Thjostolvus Alii filius aderat. Ferunt, oppidanos vespera (præcedente) scrinium sancti Halvardi ex oppido deportare voluisse, virosque quot adhiberi poterant oneri subiisse, neque tamen longius quam in pavimentum templi exterius exportare potuisse; sequenti autem mane, visa classe per exteriora ad Höfudejam subeunte, scrinium ab quatuor viris ex oppido elatum, Thjostolvo universisque oppidanis prosequentibus. Rex Eirikus, facta in oppidum excursione, aliquot suorum misit, qui Thjostolvum persequerentur. Thjostolvus spiculum conjecit in virum aliquem, nomine Askelem, proretam Eiriki regis, jugulumque tanta vi percussit, ut cuspis per occiput exstaret; nec unquam telum certiore manu misisse sibi visus est Thjostolvus, nulla enim corporis pars in Askele, præter hanc solam, nuda erat. Scrinium Halvardi in Römarikum deportatum, ubi tres menses mansit. Thjostolvus, Römarikum obiens, insequenti nocte copias contraxit, et proximi diei mane ad oppidum descendit. Rex Eirikus templum Halvardi pluresque

[1]) CC (240), *Hk.*

partes oppidi inflammari, et penitus igne absumi jussit. Mox Thjostolvus cum magno copiarum numero descendit, rex vero classem solvit, nusquam enim ex boreali sinus parte egredi in terram propter præfectorum copias licuit; sicubi egressum tentassent, quinque aut sex aut plures desiderati sunt. Interea rex Ingius[1] cum ingenti classe in fretis Hornboræis ad ancoras [stetit; quo cognito rex Eirikus[2] in Daniam reversus est. Quos insecutus rex Ingius, quotquot nancisci poterat comprehendit; et vulgaris sermo est, neminem tantis cum copiis alienum regnum minori successu ingressum fuisse. Rex Eirikus Magno suisque valde succensebat, ratus magno se ludibrio habitum, quem ad hanc suscipiendam expeditionem perduxissent; neque se eos, quo antea, amicitiæ loco habiturum significavit.

Cap. 5. Sigurdus Slembidjakn eadem æstate, mari occidentali trajecto, in Norvegiam venit. Qui cum calamitatem Magni cognati cognovisset, parum sibi in Norvegia præsidii fore ratus, aperto pelago se commisit, cursuque austrum versus secundum terræ longitudinem continuato, in Daniam tandem pervenit. Trajecto freto Orano, ab australi parte Erroæ[3] aliquot Vendicis celocibus occurrit, quas prælio adortus, victoria potitus est, octo navigiis vastatis, multis hostium occisis, aliis suspensis. Alterum prælium ad Monam cum Vendis fecit, et superior discessit. Post hæc ab austro reversus, orientali Albis brachio subvectus tres naves ex classe Thoreris Hviuantordii et Olavi, filii Haraldi Kesjæ,

[1]) et Amundius Gyrdi filius, nutricius ejus, add. *Hk.* [2]) steterunt, ubi commisso cum Eiriko rege prælio, multos ex militibus ejus occiderunt; quo facto hic aufugit et, add. *Hk.* [3]) Oræ, *Hk.*

sui ex sorore nepotis, expugnavit; mater Olavi erat Ragnilda, filia regis Magni Nudipedis. Sigurdus Olavum in terram expulit. Thorer[1] Konungahellæ versabatur, quo magnum copiarum numerum convocarat. Huc se contulit Sigurdus. Conjectis inter se telis, multi utrinque cecidere, multi vulnerati. Hic cecidit Ulvhedin Söxolvi filius, ex boreali tractu Islandiæ ortus, proreta Sigurdi. Ubi eum Sigurdo escensionem facere non liceret, naves solvit, et boream versus in Vikam contendit, multisque locis prædas egit. Portyriæ in ora Lungbardica[2] naves in ancoris tenens, occasionem captabat naves, in Vikam navigantes indeve excurrentes, capiendi, prædasque agendi. Tunsbergiani, collecta ad eum opprimendum manu, necopinato supervenerunt, cum ipse cum suis in terram egressus in præda dividenda esset occupatus. Pars e locis superioribus eos adorti sunt, pars navibus per transversum portum constitutis eos intercludebant. Sigurdus in navem suam excurrit, et hostium classem remigando appropinquavit; quorum proximus Vatnormus cum navem suam remis avertisset, Sigurdus classem prætervectus cum unica nave effugit, multis suorum interfectis. Tum hi versus compositi sunt:

Pugnam non bene sustinuit
Vatnormus Portyriensis.

Cap. 6. Inde cum Sigurdus in Daniam navigaret, vir quidam, nomine Kolbein Thorljoti filius ex Hadalando, scapha, quæ a puppi navis religata trahebatur, vectus, cum velificatio majorem in modum urgeretur, interiit[3]. Sigurdus,

[1]) Thjostolvus, *Hk.* (et *M*, vide appendicem). [2]) Lungardica, *Hk.*; Limgardica, *M*, quod rectissimum puto. [3]) Hanc rem tangit particula historica de Einare Sokkii filio, ubi plura de hoc Kolbeine referuntur.

facto ad terram naufragio, hiemem Alburgi transegit. Insequenti æstate is et Magnus cum classe septem navium ab austro profecti, ad Listiam noctu insperato venerunt, et naves terræ applicuerunt. Aderat eo loco Beintein Kolbeinis filius, aulicus Ingii regis, vir insigni virtute. Sigurdus cum suis obscuro crepusculo egressus, ædes corona cinxit, ignemque injicere paravit; sed Beintein, lorica armisque bene instructus, in tabernam quandam, ab aliis ædibus sejunctam, confugit; hic intra aditum stetit, nudum gladium librans, clypeum prætendens, galeamque capite gestans, ad se defendendum paratissimus. Fores tabernæ erant humiles. Sigurdus quæsivit, quis suorum adgredi Beinteinem maxime cuperet. Respondent, neminem cupere. Qua de re cum ceterorum sermo maxime ferveret, incurrit in tabernam Sigurdus, ictum ei frustra intentante Beinteine. Conversus Sigurdus ad eum se proripit, paucisque impetitum ictibus obtruncat, caputque præcisum manu gestans exiit. Omnibus, quæ intra ædes erant, direptis, ad naves revertuntur. Cum rex Ingius ejusque amici, fratresque Beinteinis, Sigurdus et Gyrdus, Kolbeinis filii, cædem Beinteinis cognovissent, rex manum misit ad Sigurdum sociosque persequendos, ipseque profectus navem intercepit Hakonis Pungeltæ[1], Pauli filii, qui fuit nepos ex filia Aslaki Erlingi filii de Solio, et consobrinus Hakonis Magii. Rex Ingius Hakonem in terram expulit, omniaque ejus impedimenta cepit. Sigurdus Slokus[2], filius Endridii Götdalensis[3], et Eirikus Hælus, frater ejus, et Andreas Kelduskitus, [Grimi Vistordensis[4] filius[5] in Fjördos fugerunt; Sigurdus vero et

[1]) Tungeltæ, *H.* [2]) Stokkus, *Hk.* [3]) Gördalensis, *H.* [4]) Ordensis, *Hk.* [5]) ab signo omitt. *H.*

Magnus, et Thorleivus Skjappa tribus navibus boream versus in Halogiam, cursu extra insulas continuato, navigarunt. Magnus proximam hiemem egit apud Vidkunnum Jonis filium Bjarkeyensem; Sigurdus navem suam, prora puppique mutilatam, fissurisque concisam, in interiore sinu Ægisfjordo demersit, ipseque hiemem egit in Hinja[1] ad freta Tjaldasund, quo loco Gljufurfjordus dicitur. In interiore sinus parte antrum est in rupe aliqua; ubi Sigurdus cum viris amplius viginti per hiemem degit, foribus antri, ne e litore conspicerentur, occlusis. Victus hac hieme Sigurdo suppeditatus est a Thorleivo Skjappa, et Einare, filio Ögmundi de Sando et Gudrunæ, filiæ Einaris, filii Arii de Reykholis.

Cap. 7. Fertur eadem hieme Sigurdus duas cursorias, Finnorum ope, in intimis sinuum recessibus degentium, fabricandas curasse; his tabulæ nervis animalium contextæ, nullis clavis compactæ, vimina pro costis; utrisque duodenum virorum a singulis lateribus remigium. Sigurdus apud Finnos versabatur, dum cursorias construebant; qui, comparata cerevisia delicatiori, eum convivio excipiebant. Qua de re Sigurdus hos versus lusit:

Jucunde vivebatur in casa
Finnica, ubi læti potavimus,
hilarisque regis filius
inter scamna ambulabat.
Hic voluptate non carebant
jocose compotantes;
vir virum compellabat[2]
in ea regione, ubi fui.

Hæ cursoriæ tantæ erant celeritatis, ut capi aquis

[1]) Est insula Halogiæ; Kinna, *Hk.*; omitt. vocem *H.*
[2]) oblectabat, *Hk.*

ab nullo navigio possent. Quod testantur versus sequentes:

Pauca tantum navigia possunt
abietem consequi Halogicam;
hæc enim navis, nervis contexta,
sub velis rapida fertur celeritate.

Insequenti vere Sigurdus et Magnus duas eas cursorias, quas Finni construxerant, a borea duxerunt. In Vogos delati, sacerdotem Sveinem cum duobus filiis occiderunt.

Cap. 8. Sigurdus austrum versus in Vikas profectus, vivum cepit Viljalmum Skinnarium (coriarium), præfectum regis Sigurdi, et Thoraldium Keptum[2], quorum utrumque occidit. Litora meridiem versus legens, in Styrkarem Glæsirovam, ab emporio (Nidaroso) boream versus navigantem, ad Byrdam incidit, eumque interfecit. In Valsnesum delatus Svinagrimo occurrit, cui dextram manum præcidi jussit. Quo facto meridiem versus in Mæriam, quæ extra ostium sinus Thrandheimensis est, contendit, ibique Hedinem Hardmagium et Kalvum Kringlögium comprehendit, quorum ille impune dimissus, hic interfectus est. Rex Sigurdus et Sadagyrdus, nutricius ejus, de itineribus Sigurdi per exploratores certiores facti, homines ad eum conquirendum miserunt; cui negotio Jonem Ködam, filium Kalvi Pravi, fratrem episcopi Ivaris, et sacerdotem Jonem Smirilem præfecerunt. Qui Rhenone, nave viginti et duorum interscalmiorum, quæ ceteras omnes celeritate præstabat, militibus instructo, ad quærendum Sigurdum excurrerunt; quem cum non invenirent, boream versus reversi sunt, parvam strenuitatis famam consecuti; dicuntur enim navem Sigurdi conspexisse, neque adoriri sustinuisse. Inde Sigurdus austrum versus in Hör-

[1]) Keppum, *H.*

dalandum profectus, Herdlam attigit; hic Einar, filius Laxa-Pauli, coluit, qui tum in Hamarsfjördum ad celebrandum conventum dierum ambarvalium[1] profectus erat. Omnia, quæ domi erant, bona, navemque longam viginti quinque transtrorum, quæ Einari erat, rapuerunt; filium ejus quatuor annorum, qui apud operariorum quendam cubuit, comprehenderunt. Quem cum alii occidere, alii abducere vellent, operarius: hic meus filius est, inquit, non Einaris, ex quo neque occidendo commodi quidquam, neque abducendo emolumenti, percipictis. Cujus verbis inducti, relicto puero, discesserunt. Einar domum reversus, operario pecunias dedit, pretium duarum auri unciarum[2] æquantes, insuperque ob factum collaudato perpetuam promisit amicitiam. Sic Eirikus Oddi filius, qui hanc relationem primus literis mandavit, testatus est, [se Bergis audisse Einarem Pauli filium, has res narrantem[3]. Sigurdus, cursu austrum versus secundum litora continuato, orientem versus in Vikam contendit. Finnum Södulvi filium, mercedes prædiorum Ingii regis exigentem, Kvildis, in orientali regni parte sitis, oppressit et suspendi jussit. Quibus gestis rebus austrum versus in Daniam profecti sunt.

Cap. 9. Sunt qui dicant, Sigurdum Slemberem, itineribus mercatoriis operam navantem, unam hiemem in Islandia consumsisse, Stadarholi in Sörbæo cum Thorgilse Oddi filio versatum, paucis, quis esset, scientibus. Hujus anni autumno, cum verveces, lanienæ destinati, in septum compulsi essent, unus vervecum e manibus comprehendentium elapsus ad Sigurdum, quasi opem

[1]) Quatuor proximi dies ante festum Adscensionis Christi *gangdagar* (it. *gángdagar*), dies ambarvales, dicti. [2]) Uncia puri auri, sec. Gragasæ Vol. 1. p. 501, selibram argenti defecati æquabat. [3]) uncis inclusa om. *H.*

aliquam petiturus, accurrit. Sigurdus, manu porrecta, e septo levatum dimisit, his usus verbis: haud sane multi opem nostram implorant, pauci vero eam petentes impetrabunt. Acciderat eadem hieme, ut mulier quædam furtum fecisset; qua re iratus Thorgils, 'punire eam voluit. Quæ cum auxilii ergo ad Sigurdum accurrisset, hicque eam juxta se in scamno collocasset, Thorgils, edito facinore mulieris, vetuit, nequid pro ea negotii haberet. Cui Sigurdus: oro, ut veniam ei concedas, siquidem meam opem imploravit, eique crimen condones. Cum vero Thorgils significasset, eam pœnas luituram, Sigurdus, animadvertens, nullum fore precibus suis locum, exsilit, gladium distringit, seque oppugnare jubet. Thorgils, vultum hominis ingentia minantem veritus, et quis esset suspicatus, in præsentia abstinuit, quominus in eam animadverteret. Plures extranei ibidem loci hiemabant, ex quibus Sigurdus minimi æstimatus est. Die quodam, cum Sigurdus cubiculum intrasset, Norvegus quidam cum domesticorum aliquo, ornati cultus studioso magnoque ostentatore, alea lusit. Norvegus Sigurdum advocavit, [ut sibi in ludendo adesset, de alea actum esse judicans[1]; is autem, quocum Norvegus ludebat, digito pedis suppurante æger erat. Sigurdus in scamno consedit, sumtumque stipulæ gramen per solum traxit, quod catuli, qui in pavimento erant, insecuti, [in ægrum pedem hominis incurrerunt[2]. Ille dolore ejulans exsiliit, latrunculi vero conturbati sunt; inde orta contentio, uter vicisset. Ideo hæc res memoriæ prodita est, quod Sigurdus hoc loco eximiam ostendisse calliditatem existimatus est. Literis imbutum esse, nemo ante novit, quam pridie festi

[1]) qui, inspecto ludo, de alea actum esse judicavit, *Hk.*
[2]) ægrum p. h. tetigerunt, *H.*

paschalis; tunc enim sacras formulas pronuntians aquam consecravit. Idem eo majoris momenti habitus est, quo diutius ibi fuerat versatus. Insequenti æstate, Thorgilsem, antequam domum ejus relinqueret, jussit, ut, quos vellet, ad Sigurdum Slembidjakn, tanquam ad amicum sibi notum, mitteret. Thorgilse, qua ei cognatione junctus esset, quærente: sum, inquit, Sigurdus Slember, Magni regis Nudipedis filius. Post peregre profectus est.

Cap. 10. Quereutibus Bergensibus ac Vikensibus indignum esse, regem Sigurdum ejusque amicos, patris occisoribus ante ostium sinus Thrandheimici publico cursu nave proficiscentibus, immotos in emporio hærere, cum rex Ingius ac sui in Vika ad orientales regni fines periculis expositi, imperium defenderent, multaque jam prælia commisisseut: rex Iugius literas boream versus in emporium misit, quarum tale erat argumentum: rex Ingius, filius regis Haraldi, fratri Sigurdo regi, Sada-Gyrdo, Ögmundo Svipteri, Ottari Birtingo, omuibusque præfectis, aulicis et famulis regiis, nec non omui populo, tam divitibus, quam pauperibus, juvenibus ac senibus, suam Deique salutem mittit. Notæ sunt omnibus, quæ nos circumstant, difficultates, item infantia, cum tu quinque, ego trium anuorum sim; qui, nisi amicorum et bonorum civium consiliis adjuvemur, nihil efficere valemus. Quandoquidem ego amicique mei periculis, utrisque nostrum necessario subeundis, magis quam tu tuique expositi nobis videmur: gratum mihi feceris, si quam potueris maxima stipatus militum frequeutia, ad me quam primum venias, ut, quicunque inciderit casus, una simus. Is demum maxime nos amat, qui hortatur, ut inter nos quam amicissimi simus, parique in omnibus rebus honore mactemur. Quod si

hanc rem neglexeris, et nunc, id quod antea fecisti, necessitati legationis meæ parere recusaveris, præmonitum te volo, me adversus te cum copiis profecturum, reique eventum divino arbitrio permissurum; neque enim diutius committere possum, ut hic considam, tantos sumtus deposcente inquieto rerum statu, dum tu omnium mercedum vectigaliumque Norvegiæ dimidiam partem aufers. Paci divinæ commendatus vale. Quibus dictis, primus in comitiis surgens Ottar Birtingus, hunc in modum verba fecit: Rex Sigurdus regi Ingio, fratri suo, renuntiat, petens, ut Deus ei pro missa sibi salute, pro labore ac molestiis, quas ipse cum amicis suis, utriusque vestrum necessitate permotus, hoc in regno subiit, præmia persolvat. Literæ Ingii regis, etsi quædam in regem Sigurdum acerbiora contineant, tamen multa habent non sine ratione dicta. Jam meam mentem aperiam, consensum regis Sigurdi ceterorumque primorum civitatis exspectaturus: tu, rex Sigurde, te tuorumque quotquot sequi te velint militum compara, ut regnum tuum tueare, et primo quoquo tempore quam maximis cum copiis regem Ingium adi; alter alterum in omnibus rebus ad communem salutem spectantibus adjuvate, Deo omnipotente utrumque vestrum tutante. Tuam jam mentem, rex, audire lubet. Petrus Södulvi filius, exinde Gestator appellatus, regem Sigurdum in comitia portavit. Tum rex: sciant omnes mei, velle me, si mea valebit sententia, regem Ingium, fratrem meum, ut primum licuerit, convenire. Post hæc alius ex alio verba fecit, quorum oratio, ab diversis initiis repetita, eodem, quo Ottaris Birtingi, recidit; decretumque est, ut copiæ convocarentur. Rex Sigurdus cum his copiis orientem versus profectus, regem Ingium fratrem in Vika convenit.

Cap. 11. Eodem autumno Sigurdus Slember et Magnus Cæcus ab austro ex Dania cum triginta navibus, copiis Danorum et Norvegorum, advenerunt; instabat initium hiemis. Quorum adventu cognito, reges cum copiis suis orientem versus adversum eos contenderunt. Congressi sunt in Hvolis prope insulam Griseam (Graholmum)[1], postridie festum Martini[2], die dominica. Reges, Ingius ac Sigurdus, viginti naves, omnes magnas, habuerunt. Hic acri commisso prælio, post primum impetum Dani cum octodecim navibus austrum versus in Daniam refugerunt. Tum naves Sigurdi ac Magni disjunctæ. Magnus in lecto quiescebat; quem, nave pæne militibus nudata, Reidar Grjotgardi filius, qui diu comes et aulicus ejus fuerat, sinu receptum, in aliam navem transsiliendo servare voluit; sed hasta missa inter scapulas transverberatus (quo eodem ictu Magnum interiisse ferunt), in foros relapsus est in tergum, Magno super eum collabente; cujus operam egregie ac fortiter domino navatam nemo non collaudabat. O felicem, qui talem gloriam consequitur! Ceciderunt in nave Magni Lodin Söprudus[3] de Brunastadis[4], Brusius Thormodi, proreta Sigurdi Slemberis, Ivar Kolbeinis, [et Havardus Pulcer, interscalmii anterioris in nave Sigurdi propugnator. Hic Ivar Kolbeinis filius regem Haraldum in ædibus invaserat, primusque ferrum in eum detulerat[5]. Hoc loco magna pars Magnianorum cecidit, nam milites Ingii regis neminem, quem capere possent, passi sunt incolumem evadere, etsi paucos no-

[1]) Haud procul ab ostio Nidelvæ Vikensis, ab Arendalo versus boream. [2]) Festum Martini incidit in diem 11. Novembris. [3]) Sic *Hk.*, et *A* cap. 13. sub fin.; Stöppudus, h. l. *A*; Gudrödus, *H.* [4]) Linostadis, *H*, *Hk.*, *M.* [5]) Quæ ab signo sunt, omitt. *H.*

minem. In parvula quadam insula amplius sexaginta homines occiderunt. Hic interfecti Islandi Sigurdus sacerdos, filius Bergthoris Maris filii, alter Clemens, filius Arii Einaris[1] filii[2]. Ivar Skröthanzkius, Kalvi Pravi filius, postea episcopus Thrandheimensis, Eiriki archiepiscopi pater, qui assiduus Magno comes fuerat, evasit in navem Jonis Ködæ, fratris sui, qui Ceciliam, filiam Gyrdi Bardi filii, in matrimonio habuit, et cum adversariis militabat. Tres in navem Jonis evaserunt, alter Arnbjörn Ambius, qui postea filiam Thorsteinis Ödsholtensis duxit, tertius Ivar Dynta Starrii filius, frater Helgii Starrii filii, materno genere Thrandheimensis, vir eximiæ pulcritudinis. Quos cum milites advenisse animadvertissent, arma sumserunt, Jonem ac socios adgressuri; qui cum se ad defensionem pararent, prope factum est, ut totus exercitus inter se confligeret. Eo pacto tandem inter se reconciliati sunt, ut Jon, pecunia stipulata, fratrem Ivarem et Arnbjörnem redimeret, quæ pecunia ei postea condonata. Ivar vero Dynta in terram eductus securique percussus est; Sigurdus enim ac Gyrdus Kolbeinis filii multam pro eo accipere noluerunt, quia ei imputarunt, quod cædi Benteinis fratris eorum interfuisset. [Testatus est Ivar episcopus, hanc rem sibi acerbissimam accidisse, quod Ivar in terram abductus est securi feriendus, cum eos ante osculatus vale dixisset. Sic Gudrida Birgeris filia, soror Jonis archiepiscopi, Eiriko Oddi filio narravit, ipsaque se Ivarem episcopum hæc dicentem audisse testata est[3].

Cap. 12. Thrando Quæstori nomen erat viro qui navem aliquam ex classe Ingii regis gubernavit. Tum vero eo loci res devenerat, ut

[1]) Ivaris, *H.* [2]) tres vero Islandi salvi evasere, add. *Hk.*
[3]) omitt. *H.*

Ingiani exiguis scaphis vecti natantes persequerentur, et quos assecuti essent, interficerent. Sigurdus Slember e navi sua, quæ jam nudata militibus erat, in mare desiliit, loricam sub aquis exuit, et deinde sublato super se clypeo natavit. Aliqui ex nave Thrandi hominem aliquem natantem ceperunt, et interficere voluerunt; ille ut vita donaretur deprecatus, indicaturum se, quo loco Sigurdus Slember versaretur, pollicitus est; quam illi conditionem acceperunt. Multis vero clypeis et hastis, cadaveribus ac vestimentis juxta naves passim natantibus, ille: en, videtis istic, inquit, rubrum clypeum fluitantem; sub hoc Sigurdus est. Quo advecti comprehendunt eum, atque in navem Thrandi deportant; Thrandus vero Thjostolvum, Ottarem et Amundium certiores hac de re fecit. Sigurdus ignis suscitabulum secum portaverat, et fomitem inclusum juglandis putamini circumfusa cera servaverat. Hoc ideo proditum memoriæ est, quod sollertis ingenii visum sit, ita rem instituisse, ut nunquam madefieri posset; [ideo clypeum supra se tenuit, ne quis intelligeret, hic clypeus an alii essent, multis in salo fluitantibus[1]. Dixerunt, se reperturos eum nunquam fuisse, nisi indicio monstratum. Quem cum Thrandus in terram exportasset, militibusque indicatum esset, captum esse, gaudio perfusi conclamarunt. Quo audito Sigurdus: multi nequam homines meo hodie supplicio triumphabunt. Tum Thjostolvus Alii eo accessit, ubi sedebat, mitramque tæniis (auro v. argento distinctis) ornatam de capite ejus detraxit, dicens: cur adeo audax fuisti, servo nate, ut te vocare filium Magni regis sustineres? Ille: haud est, quod meum patrem cum servo compares; tuus pater parvi fuit ad meum patrem. Hallus, filius

[1]) omitt. *H.*

Thorgeiris medici Steinaris[1] filii, aulicus regis Ingii, his rebus præsens adfuit; is Eiriko Oddi filio, has res perscribenti, verbis præivit. Eirikus librum scripsit, dictum Hryggjarstykkum[2], qui liber agit de Haraldo Gillio ac filiis, nec non de Magno Cæco et Sigurdo Slembere usque ad mortem eorum. [Eirikus erat vir prudens, et his temporibus multum in Norvegia versabatur. Quasdam res perscripsit, præeunte Hakone Mago (Ventruoso), Haraldi filiorum præfecto. Hakon ac filii horum contentionum ac consiliorum magna pars fuerunt. Præterea Eirikus plures nominat rerum scientes ac veridicos, qui ei has res narrarunt; qui rebus gestis tam prope adfuerunt, ut eas partim audissent, partim vidissent. Quædam secundum ipsius auditum aut visum descripsit[3].

Cap. 13. Hallus Thorgeiris filius, supra nominatus, memorat, principibus statim interfici Sigurdum placuisse; quos vero crudelitas maxime impulit, ut odia sua in eo exercerent, hi ejus excruciandi auctores erant, inter quos nominati sunt fratres Benteinis, Sigurdus ac Gyrdus, et Petrus Gestator, qui fratrem Finnum ulcisci voluit; principes vero et plurima militum pars discesserunt. Tibias pedum ejus ac brachia malleis securium perfregerunt. Mox vestimentis spoliatum vivo pellem detrahere cogitarunt, atque cutem capitis inciderunt; quod propter fluxum sangvinis perficere nequiverunt. Tum scuticas coriaceas sumserunt, eumque diu verberarunt, ut ut tota cutis, veluti in excoriato, dilacerata esset. Dein trabem tergo impegerunt, ut diffringeretur; quo facto eum ad arborem pertractum suspenderunt, præciso dein capite truncum abstraxerunt et in loco lapidoso saxis obruerunt. Constat inter omnes, tam amicos, quam inimicos

[1]) Steinis, *Hk.* [2]) Hrygdarstykkum, *H.* [3]) omitt. *H.*

ejus, eorum qui tunc vixerunt memoria neminem in Norvegia fuisse omni artium liberalium genere Sigurdo præstantiorem; sed in quibusdam rebus fortuna minus benevola usus est. Hallus adseruit, eum pauca locutum, paucisque[1], si verbis compellatus esset, respondisse; eundem, dum excruciaretur, nullum ostendisse corporis motum, ut si trabem aut lapidem percuterent. Addidit, fortem virum, animi patientia bene instructum, ita cruciatus pati facile posse, ut silentium teneat inlatosque ictus fortiter excipiat; de Sigurdo autem testatus est, vocem nunquam mutasse, quæque locutus sit, non minori facilitate protulisse, quam si in triclinio ad pocula consideret; voce neque altiore, neque submissiore, neque magis tremebunda, quam pro solito, locutum, atque ad mortem usque usu lingvæ valuisse, et subinde sacros hymnos ex psalterio cantasse; quod Hallus aliorum hominum patientiam ac fortitudinem superare existimavit. Sacerdos, qui templo prope inde sito præerat, funus Sigurdi ad hanc ædem deportandum curavit; qui sacerdos filiorum Haraldi amicus erat. Quo cognito, sacerdos in odium eorum incurrit, funusque in locum, ubi antea fuerat conditum, revehere coactus, et pecunia insuper multatus est. Amici vero Sigurdi ab Dania nave advecti, funus Alaborgam deportarunt, et ad ædem Mariæ, quæ in oppido est, sepiliverunt. [Quo loco Sigurdum sepultum esse, Ketil ecclesiarum præpositus, qui ædis Mariæ curam gerebat, Eiriko narravit[2]. Thjostolvus Alii filius funus Magni Cæci Osloam deportandum, et in æde Halvardi juxta regem Sigurdum patrem ejus sepeliendum curavit. Lodinem Söprudum[3] Tunsbergum deportarunt; cetera vero funera ad locum prælii sepeliverunt.

[1]) hominibus, add. *H.* [2]) omitt. *H.* [3]) *A* et *Hk.* h. l.

Cap. 14. Cum Sigurdus et Ingius sex hiemes Norvegiæ imperarant, vere proxime insequenti ab occidente ex Scotia advenerunt Eystein, filius Haraldi Gillii, et Arnius[, Sturla ac Thorleivus Brynjolvi filii, et Kolbein[1] Ruga (Cumulus). Hi pelagus occidentale trajecerant ad reducendum Eysteinem, quem in Norvegiam proficiscentem comitati sunt. Hic in Thrandheimum extemplo delatus, ab Thrandis acceptus est; rex creatus est comitiis Eyrensibus, tempore ambarvalium, ut trientem Norvegiæ, quantum ceteri fratres, haberet. Eo tempore Sigurdus et Ingius in orientali parte regni versabantur; qui, nuntiis de pace intercedentibus, ea lege sunt reconciliati, ut Eystein trientem regni haberet. Bjadaka nomen erat matri Eysteinis, quæ cum eo in Norvegiam pervenit. Magnus vocabatur quartus filius regis Haraldi, ab Kyrpinga-Ormo educatus. Hic quoque rex creatus, suam regni partem obtinuit. Is infirmitate pedum laboravit, brevi vixit, et morbo mortuus est. Hunc Einar Skulii ceteris fratribus ejus annumerat in his versibus:

Eystein divitias populo largitur,
Sigurdus sonitum clypei auget,
Ingius arma insonare facit,
Magnus pacem inter viros componit;
proles regis excellentissimi
clypeos sangvine rubefacit.
Quatuor fratres his præstantiores
nunquam in terris nati sunt[2].

---

inserunt nomina Sturlam et Thorleivum Brynjolvi filium et Kolbeinem; quæ ex initio cap. sequentis huc invecta videntur; textus sequitur codd. *H, E, Å.*

[1]) desumta ex *H, Å, E,* qui Sturlam omitt.; desunt in *A.*

[2]) Constructio: *Eysteinn gefr lýðum auð, Sigurdr eykr hjaldr skjaldar, Ingi lætr slög sýngja a), Magnús semr frið bragna;*

Cap. 15. Post cædem regis Haraldi Gillii regina Ingirida Ottari Birtingo nuptum collocata est; is erat præfecti dignitate, auctoritate multum pollens, familia Thrandheimensi; idem imperii Ingiani, in pueritia principis, eximius adjutor. Regi Sigurdo non admodum carus fuit, quod Ingio privigno nimis favere videbatur. Ottar Birtingus in Emporio vespere quodam [furtiva cæde[1] interemtus est, cum iret ad cantum vespertinum. Qui, audito teli stridore, manum et pallium sustulit, ictum declinaturus, globo niveo, quales jacere solent pueri, se peti putans. Ad ictum cum collaberetur, Alvus Rodius (Turbulentus), filius ejus, in cœmeterium pervenit. Qui, patrem collabentem, et percussorem orientem versus præter templum fugientem videns, hunc persecutus ad angulum sacelli interfecit. Qui cum ad ultionem secunda usus fortuna videretur, multo pluris quam antea habitus est. Eo tempore rex Eystein in Thrandheimo interiore versatus, cognita cæde Ottaris Birtingi, confestim copias advocavit, et satis magna cum manu in oppidum profectus est. Cognati ceterique amici Ottaris hanc cædem regi Sigurdo auctori imputabant, qui tum in Emporio versabatur. Qui cum ab infensis colonis fatigaretur, se purgaturum pollicitus, ferrumque gestandum stipulatus est, ut hac ratione innocentia sua probaretur; sic gratia reconciliata. Quo facto rex Sigurdus in australes regni partes concessit, ferri gestandi fide nunquam præstita.

Cap. 16. Regina Ingirida ex Ivare Sneisa

---

kyn fjöldýrs bragnings rýðr fólktjald b) blóði. Fjórir enn æðri bræðr hafa aldri komit und sól.

a) sýngva, id., *Hk. b) fólktjalds, H,* minus commode.

[1]) pro *í einvígi*, quod Codd. habent, legendum putavi *í launvígi.*

filium peperit, nomine Ormum, qui postea dictus est frater regius, eximia faciei venustate; is magnam auctoritatem consecutus est, quemadmodum in sequentibus demonstrabitur. Regina Ingirida in matrimonium collocata est Arnio Stodreimensi, inde vitrico regio appellato; ex quibus nati Ingius, Nicolaus, Philippus Herdlensis, et Margareta, quæ primis nuptiis juncta est Björni Bukko, secundis Simoni Karii filio.

Cap. 17. Erlingus nomen erat filio Kyrpinga-Ormi et Ragnildæ, filiæ Sveinkii Steinaris filii. Kyrpinga-Ormus erat filius Sveinis, filii Sveinis, filii Erlendi Gerdensis. Mater Ormi erat Ragna, filia dynastæ Ormi Eilivi filii et Ingibjargæ[1], filiæ Finni dynastæ Arnii filii. [Mater Ormi dynastæ erat Ragnilda, dynastæ Hakonis Potentis filia[2]. Erlingus erat vir sapiens et regi Ingio amicissimus, cujus auctoritate in matrimonium accepit Kristinam, filiam regis Sigurdi Hierosolymipetæ et reginæ Malmfridæ. Erlingus Studlæ in Sunnhördia villicationem habuit. Idem unacum Eindridio Juvene pluribusque præfectis, splendideque ornatis copiis, peregrinationem Hierosolymitanam parabat, principe peregrinationis dynasta Rögnvaldo Kalio ac Viljalmo episcopo, qui ex Orcadibus quindecim naves longas adduxerant. Primo in Hebudes navigarunt, inde occidentem versus in Galliam, indeque eodem cursu, quo rex Sigurdus Hierosolymipeta, ad freta Njörvica, multaque loca Hispaniæ paganis habitatæ populati sunt. Paulo post quam freta pernavigarant, Eindridius Juvenis ejusque socii cum sex navibus ab eis disjuncti Constantinopolin profecti sunt; Rögnvaldus vero dynasta et Erlingus in dromonem medio mari inciderunt, quem novem

[1]) Sigridæ, *Hk.* [2]) omitt. *H.*

adorti navibus oppugnarunt, tandemque celoces ad latus dromonis adplicuerunt; quo facto pagani saxa et tela, ollasque ferventi pice et oleo plenas e loco superiore in eos ingesserunt. Erlingus suam navem proxime ad dromonem adplicuerat, unde conjectus telorum extra eam navem ferebatur. Erlingus ac sui aperturas dromoni inciderunt, alias sub aquis, alias supra in lateribus, per quas dromonem ingressi sunt. Sic Thorbjörn Skakkii poeta in encomio Erlingi:

Strenui Norvegi acutis securibus
fenestras novis tabulis intrepide
sub aquis inciderunt; quæ res
facile ad effectum perducta est.
Pugnatores, aquilarum famem
sedantes! e loco superiore doli
vestri conspecti sunt; hostiles ferro
aperturæ navis alvo incisæ sunt[1].

Ödun, dictus Rufus, proreta Erlingi, primus in dromonem adscendit. Expugnato dromone, immensam hominum multitudinem occiderunt, ingen-

[1]) Constructio: *Hvatir Norðmenn hjuggu ugglaust öxar eggjum glugga á nýju borði í kaf a)*; [*þat var næmt b*). *Eyðendr arnar húngrs c*)! *yðrar vèlar sá ofan*; *vigskörð börðust d*) *jarnum á vágfýlúngi* e).

a) *H, Hk.*; *kass, A*, ab h. l. alienum. *b*) Videtur hæc phrasis ad unguem respondere danicæ: *det var nemt*; sed cum metro minus conveniat, forte præferenda lectio *Hk.*: *þvi var nennt*, ea res strenue peracta est. *c*) Potest et jungi: *eyð. arn. húngrs sá yðrar vèlar ofan*, i. e. pagani dolos vestros conspexerunt; sed alterum convenientius. *d*) *börðut, Hk.*, incidistis; *Hk.* Tom. 6. jungit *á vigskörð járnum ofan börðut*, in navis ferro munitis pinnaculis, vocemque *börðut* ducit a *barðat, -ðr, börðuð*, præmunitus, a *barð*, ora. Sequor S. Thorlacium (*Hk.* T. 3. p. 354, not. *k*), cui *vigskörð* h. l. sunt aperturæ alvo navis incisæ, per quas in dromonem cum suis irrupit Erlingus. e) correctio Raskii pro *fyglingi*, quod metro repugnat; *fyliúngi* aut *fyluingi, H*; *fylvingi, Hk.*

temque vim pecuniæ ceperunt, egregiam victoriam consecuti. Rögnvaldus dynasta, nec non Erlingus, qui postea Skakkius appellatus est, in hac peregrinatione terram Hierosolymitanam adierunt, atque ad fluvium usque Jordanem pervenerunt. Inde reversi, trajecto mari primum Constantinopolin venerunt. Hic relictis navibus, pedestre iter ingressi sunt, rebusque salvis in Norvegiam pervenerunt, ubi peregrinatio eorum magnopere laudata est. Erlingus ab eo tempore multo majoris æstimatus est, tam ob hanc peregrinationem, quam quo junctus erat connubium; erat autem sapientia insigni, divitiis, cognatorum amplitudine et oris facundia conspicuus; et ad Ingium regem magis quam ad reliquos fratres studia sua omnia inclinavit.

Cap. 18. Rex Sigurdus orientem versus profectus cum aulicis, convivia in Vika obiit. Proficiscebatur per villam aliquam, quæ potenti viro, nomine Simoni, erat. Cum vero per villam equitaret, audivit in domo quadam aliquem tam dulce canentem, ut admiratione captus sit. Equitat ad domum, et introspectans feminam videt molæ adsidentem, quæ inter molendum dulcissima voce canebat. Rex de equo descendit; intrat ad feminam, et cum ea concumbit. Quo digresso, Simon paterfamilias de regis istuc adventus causa certior factus, hujus feminæ, quæ Thora vocabatur et ancilla sua fuit, diligentiorem curam habuit. Dein hæc femina partum enixa, puerum peperit, qui Hakon nominatus, regisque Sigurdi filius appellatus est. Hic apud Simonem Thorbergi filium et Gunnildam uxorem ejus educatus est, una nutritis filiis Simonis, Önundo et Andrea, qui Hakonem tantopere dilexerunt, ut sola morte separati sint.

Cap. 19. Rex Eystein Haraldi filius in Vika prope terminos regni constitutus, controversiam cum colonis, Renis et Hisingis habuit; hi coacto agmine adversus eum moverunt. Conflixit cum illis et victoria potitus est. Locus, quo conflixerunt, Leikbergum dicitur. Multa præterea loca Hisingæ inflammavit. Quo facto coloni se dediderunt, ingentemque multam pependerunt, regique obsides dederunt. Sic Einar Skulii:

Rex liberalis et celeber,
ad quem se fortuna
inclinavit, licentiam
Vikensium punivit.
Plerosque, antequam pacem
obtinerent, timor invasit;
sed obsides accepit, qui
graves multas irrogavit[1].

Idem sequentia addit:

Rex acres cohortes
Leikbergo admovit,
quod oppidum vulgo
fama celebratum est.
Reni effuse fugerunt, et
quantum imperavit rex
pependerunt; populus solutionem
stipendii data dextra stipulatus est[2].

---

[1]) Orda: *Gjöfmildr a) ok framr gramr galt Víkverjum gjörræði b): þannig var kalt; flest fólk var c) hrætt, áðr fengi sætt; en sá tók gisla, er jók gjöldin.*

a) gjafmildr, id., *H, Hk.* *b)* nimia licentia, injusta agendi ratio. *c) varð, Hk.*, sensu non diverso.

[2]) Constructio: *Siklingr vann sótt a) nær Leikbergi við snarpa drótt, bær b) er leyfðr lýðum. Renir flýðu rikt, ok reiðu c) slíkt sem öðlingr d) bauð: öld festi auð.*

a) accipio pro verbo (*at sækja*). *Hk.* T. 6. pro subst. accipit, *sótt* id. q. *sókn*, impetus; et eadem fuisse videtur sententia S. Thorlacii (*Hk.* T. 3.). Olavius (*Nord. g. Digtck.*

Cap. 20. Paulo post rex Eystein expeditionem in terras trans mare occidentale sitas suscepit. Cum in Orcades navigasset, cognito, dynastam Haraldum Maddadi[1] filium in Thorsa[2] (fluvio Thori dicato) versari, cum tribus parvis celocibus advectus, iis necopinantibus supervenit. Cum vero dynasta, habens navem triginta interscalmiis et octoginta militibus instructam, omnino imparatus esset, Eysteiniani extemplo navem conscendere potuerunt. Captus ab rege Eysteine dynasta, et in navem ejus abductus, tribus auri selibris se redemit; quo facto digressi sunt. Sic Einar Skulii:

Octo virorum decuriæ
cum Maddadi filio erant
constitutæ. Gloria bellatoris,
Sogni potentis, inclarescit:
cepit hunc dynastam fortis
navium rector, qui carnivoras
pavit aves, tribus adgressus celocibus,
illustremque principem vita donavit[3].

---

p. 80) affert hanc vocem; forte et *Edd. Sn.* p. 214, in prælii nomenclatura, *solamorð*, lect. Cod. Reg., pro quo Cod. Vorm. habet *sóti, morð*, legendum sit, *sótt, morð*; quanquam vox hoc sensu rarissime, forte nunquam, apud veteres poetas occurrit. *b*) *kær, Hk.*, carus, referendum ad *siklingr.* *c*) Sic conjeci; *reiði, A*, sing.; *rèðu* (rect. *réðu*), id., *H*; *reiddu*, id. usitate, *Hk.* *d*) *siklingr*, id., *H*, sed contra metrum.

[1]) *Hk.*; Magdadi, h. l. *A.* [2]) Thorseya (insula Thori sacra), *H.*

[3]) Constructio: *Átta tigir manna a) voru staddir b) með syni Maddaðar; sára má- c) grennir, máttugr Sogns d) fremst e): þreytir hranna f) drasils tók þann jarl þrimr g) skútum h); kraustr i) hræskúfs k) nistir gaf frömum l) jöfri höfuð sitt.*

a) *manne, M.* *b*) *skaddir*, læsi, violati, *H*, mendose. *c*) *mo*, id. (*o* pro *á*), *M.* *d*) *Songs, M*, qui forte conjunxit *sára songr* (i. e. *söngr*), sonus vulnerum, vulnera erumpente sangvine stridentia. Neque mihi placet vulgo recepta constructio *máttugr Sogns* (Sogni dominus, rex Norvegicus), neque hujus

Inde rex Eystein orientale Scotiæ latus austrum versus prætervectus, classem ad emporium Scotiæ, Aberdoniam dictum, adpulit, ubi multis mortalibus interfectis [oppidum diripuit[1]. Sic Einar:

Audivi, cecidisse
incolas Aberdoniæ,
dissilientibus gladiis,
rege pacem turbante[2].

Alterum prælium cum equitibus commisit ad Hjartapollum[3], eosque fugavit; eodem loco aliquot naves vastavit. Sic Einar:

Acutus erat regis gladius,
sangvis in hastas cecidit;
fidi satellites strenue operam
navarunt ad Hjartapollum.
Calidus cruor corvum
delectavit, fluxus sangvinis
increvit: naves enim
Anglorum devastabantur[4].

---

cum præcedenti appellatione (*sára má-grennir*). conjunctio. Puto potius, *Sogn*, sinum Norvegiæ, more poetico pro mari in universum, et dein pro quovis liquore capiendum. Sic *sára sogn*, mare, liquor vulnerum, est sangvis, et *máttugr sára sogns má-grennir*, potens bellator, nil amplius; quæ appellatio, ut et sequentes, *þreytir hranna drasils* et *hræskúfs nistir*, de Eysteine Norvegiæ rege intelligenda. *c*) *fremsc*, id., *M.* *f*) *hrafna*, corvorum, *H*, neque ad metrum, neque ad justam appellationem accommodate. *g*) *þrim*, id., *H.* *h*) *háttum, M.* *i*) *Hk.*; *hraust* (omissa *r*), *A.* *k*) *Hk.*; *hræskips, A,* mendose. *l*) *spōcum*, sapientem, *M.*

[1]) Omitt. *H*; oppida, *M.*

[2]) Constructio: *Hefik frètt að lið Apardjánar a) fèll: jöfur b) eyddi frið: fólk- c) svell d) brustu.*

a) *Apardjónar, M*; *Faðjónar, H.* *b*) *fylkir*, id., *H*; sequens, *eyða frið*, prælia committere, populationem facere. *c*) *fólks, M*, eodem sensu. *d*) omitt. *H.*

[3]) nunc *Heartlepole.*

[4]) Constructio: *Hjörr buðlúngs beit, blóð fèll á dörr; holl*

Post hæc longius austrum versus in Angliam contendit, et [tertium prælium[1] ad Hvitabæum[2] commisit, victoriaque potitus, oppidum incendit. [Sic Einar:

Rex pugnam ciebat,
gladii insonuerunt,
clypeus dissectus est
ad Hvitabyum.
Vehemens incendium
per domos volitavit;
lupi dens rubefactus est:
dolor mortales invasit[3].

Post hæc multa Angliæ loca depopulatus est. Eo tempore Stefner (Stephanus) rex Angliæ erat. Deinde rex Eystein prælium cum equitibus quibusdam ad Skorposkera commisit. Sic Einar:

Strenuus princeps, nimbo
effuso sagittarum, milites
tractandi clypei peritos
ad Skorposkera prostravit.
Prælium deferbuit,
cum gladiis impetita
multitudo equitum

---

hirð fylgdist við Hjartapoll; beit valkastar a) Rin gladdi Hugin, vitnis vín óx: beit Engla hruðust b).

a) *valbastar*, *M*, eodem sensu; voculam *um* præmittit *Hk.* b) *M, Hk.; vit, H.* Posteriorem semistropham omittit *A.*

1) Sic *H*; tria prælia, *A.* 2) nunc *Whiteby.*

3) Constructio: *Hilmir jók hjaldr, a) var hjörva galdr, ský Hildar hjöst við Hvitabý. Rikr b) fyri- c) skógar garmr lèk við rönn d), tönn e) ylgjar rauðst: fyrðum fèkst harmr f).*

a) *þar*, add. *M, Hk.*, bene. b) *rikt*, vehementer, *M, Hk.* c) hanc voculam, quam pro præpositione accipiunt *Hk.* T. 3. et 6., huc traxi; Cod. *B* in *Hk.*, habet *fyrri-*, id.; *fyri-skógr*, dan. *Fyrreskov*, silva abiegna. d) *rann*, sing., *Hk.*; *taunn* (ut videtur), *H.* e) *tann* (omisso *r*), *Hk.* f) hanc stropham a signo [omitt. *A.*

fugere coacta est[1].

Commisso deinde ad Pilavikam prælio, victoria potitus est. [Sic Einar:

Rex gladium cruentavit;
agmen luporum fortia
Partorum corpora ad
Pilavikam discerpsit.
Princeps totum Langatunum
incendio delevit; lamina
gladii ab occidente maris
capiti allisa insonuit[2].

Ibidem Langatunum, magnum oppidum, incenderunt, quod ab eo tempore pristinum florem non recepisse vulgo perhibetur. His gestis rebus,

---

[1]) Constructio: *Gegn döglingr drap skjaldkænan a) her við Skorpusker b): regn streingjar dreif. Styrjar garð rauf c), þá er gnótt reiðmanna, sótt randolom d) varð stökkva e).*

a) skaldkjænan, H, id. *b)* Angl. *Scarprock* prope hodiernum oppidum *Scarborough* (olim *Skarðaborg*). *c)* Sic, aut *raup, M.* Verum hæc sententia varie construi potest: 1) si *rauf* est transitivum, subjectum esse potest aut præcedens *döglingr,* aut sequens *gnótt,* tum *styrjar garðr,* septum pugnæ, est clypeus vel ordines militum clypeatorum. 2) si *rauf* est intrans., et *garð* accus. subjecti: clypeus diruptus est vel ordines clypeatorum perrupti (ab rege), sensu non multum discrepante. Sed *garðr* etiam est tempestas, de qua, dispersis nubibus cæloque redeunte, dicitur intrans. *rjúfa*; tum *styrjar garðr,* tempestas pugnæ, est pugna vehemens; hanc h. l. ceteris rationibus præferendam duxi. *d)* Sic dedi; *ranndolom, M,* ubi *το n* citra necessitatem duplicatur. *e)* Posterior semistropha, quam omitt. *A, H, Hk.*, ex *M* desumta est.

[2]) Constructio: *Siklingr rauð sverð, ferð gyldis sleit þrútt Partu a) lik í Pilavík b). Visir vann brent allt Lángatún; brandr gall við brún c) for vestan salt d).*

a) vide Scr. hist. Isl. Vol. 4. p. 52. *b)* forte hodiernum *Baliwick.* *c)* supercilium, pars pro toto, vel accipi potest pro ora galeæ; *Hk.* T. 3. et 6. vertitur per loricam, sed tum debuerat esse *brun.* *d)* Sic ab siguo *M, Hk.*; omitt. *A, H.*

rex Eystein Anglia relicta autumno in Norvegiam rediit; de cujus expeditione varia judicia fuerunt[1].

Cap. 21. **Primis imperii Haraldi filiorum annis res Norvegicæ tranquillæ erant, satisque bona inter ipsos concordia, dum prisci consiliatores vivebant. Ingius ac Sigurdus, puerilem adhuc ætatem agentes, iisdem utrique aulicis utebantur; Eystein, jam annis maturus, suis sibi usus est. Mortuis autem Ingii ac Sigurdi tutoribus*, Sada-Gyrdo Bardi filio, [Amundo Gyrdi filio[2], Thjostolvo Alii, Ottare Birtingo, Ögmundo Sviptere, Ögmundo Dreingo[3], fratre Erlingi Skakkii (qui, i. e. Erlingus, dum Ögmundus viveret, haud magni æstimatus est): Ingius et Sigurdus aulicam inter se societatem distraxerunt. [Tum partibus Ingii regis se adjunxit Gregorius, natus Dago Eilivi filio et Ragnilda filia Skoptii Ögmundi filii. Gregorius, qui multum opibus, plurimum strenuitate et auctoritate valuit, regis Ingii minister factus, primas partes reipublicæ administrandæ suscepit, cui rex facultatibus suis pro lubitu utendi potestatem fecit[4]. Rex Sigurdus, ubi adolescere cœpit, magnam induit animi ferociam ingeniumque ad omnia turbulentum; eodem ingenio erat rex Eystein, qui ferociæ quidem aliquem modum habuit, sed omnium pecuniæ avarissimus fuit. Rex Sigurdus fuit magna statura et robustus, fortis viri speciem præferens, coma badia, ore quidem turpi, cetera vero faciei lineamentorum conformatione satis concinna; idem claritate vo-**

[1]) Rex Eystein simulavit, se ideo hanc expeditionem suscepisse, ut Haraldum regem Sigurdi filium, qui in terras occidentales profectus occubuerat, ulcisceretur, add. *M.* *) priscis consiliariis, *H.* [2]) *M, Hk.*; omitt. *A, H.* [3]) filio Kyrpinga-Ormi, *M, Hk.* [4]) omitt. *M.*

cis omnes homines superabat. Cujus rei mentionem facit Einar:

Præstantia Sigurdi, illius qui
enses sangvine tingit acutos,
cui ipse Deus victoriam
concessit, excellentissima est.
Nam cum disertus Römorum
princeps verba facit, perinde est
ac si alii taceant; tam excellentem
se hilaris ille princeps exhibet[1].

Rex Eystein erat capillis nigris, fusco faciei colore, mediocri statura altiore, prudens et intelligens; a cujus partibus cives maxime ea de causa aversi sunt, quod erat et parcus et pecuniæ avarus. Duxerat uxorem Ragnam[2], Nicolai Masii filiam. Rex Ingius facie fuit pulcerrima, flava coma atque rariori, et admodum crispa. Tardius adolevit, et ægre solus incedere potuit, altero pede debili, humerisque et pectore in gibbum contractis. Erat erga amicos blandus[3], pecunia liberalis, et reipublicæ administrationem cum proceribus libenter communicavit, apud ple-

[1]) Constructio: *Snild Sigurðar a), [þess er b) rýðr blóði snarpa c) sárflóðs elda, berr magni d): sjálfr guð hefir gefit jöfri gagn. Sem e) reiðorðr Rauma ræsir greiðir tölur f), es g) svá sem h) aðrir i) gumnar þegi: glaðmæltr gramr viðr rausn*

a) Sic et 4 codd. *Hk.*; *Sigurðr*, *Á*, i. e. *Sigurðr berr snild magni,* Sigurdus excellenti præstantia præditus est. *b*) Sic et *Á*; *þars*, quum, *Hk.* *c*) Sic *Hk.*; *snarpra, A, Á*, gen. plur. *d*) has voces jungendas esse, apparet ex Sturl. 5. 4. 1, H. hat. (Ed. Sæm.) 26; phrasin ellipticam esse, docet *Ed. Sn.* 316. 1, *FR.* 1. 258. 2. Quæ non monuissem, nisi *Hk.* T. 3. et 6. junxissent *rýðr magni,* fortiter rubefacit. *e*) *þá*, id., *H, Hk.* *f*) *tavlu*, sing., *H.* *g*) Sic *Hk.*, svadente metro; *er, A, H.* *h*) *þá er*, quando, *H*, prave h. l. *i*) *allir*, omnes, *H*, adversante metro.

[2]) Raguildam, *H.* [3]) et facilis, add. *H, Hk.*

bem gratiosus; quæ omnia ei potentiam et magnum sectatorum numerum conciliarunt. Brigida, filia regis Haraldi Gillii, primum nupta erat Ingio Halsteinis filio, Svionum regi; deinde dynastæ Karolo Sonii filio, tum Magno, regi Svionum; ea[1] atque rex Ingius Haraldi filius eadem matre nati erant. [Postremo Brigida dynastæ Birgeri Brosæ nupsit; ex his quatuor filii nati, unus Philippus, alter Knutus dynasta, tertius Flokius[2], quartus Magnus; filiæ, Ingigerda, regi Sörkveri nupta, quorum filius rex Jon: altera ejus ac Birgeris filia, Kristina, tertia Margareta[3]. Mariam, [alteram Haraldi Gillii filiam, duxit Simon Skalpus[4], filius Halkelis Huki; horum filius Nicolaus. Margaretam, tertiam[5] Haraldi Gillii filiam, duxit Jon Halkelis filius, frater Simonis. Multæ inter fratres dissidiorum causæ exstiterunt, ex quibus ea sola commemorabo, quæ maximam rerum commutationem effecerunt.

Cap. 22. Nicolaus cardinalis Romanus, regnantibus Haraldi filiis, in Norvegiam venit, a Papa missus. Cardinalis Sigurdo et Eysteini infensus erat, ut pacem ejus exposcere cogerentur; Ingio autem semper se amicissimum præbuit, eumque filium suum appellavit. Cum vero illi omnes in gratiam ejus pervenissent, hoc eis tribuit, ut Jonem Birgeris filium archiepiscopum Thrandheimensem inauguraret, eique pallium[6] daret, ædem Christi, ubi sanctus rex Olavus conditus est, sedem archiepiscopalem Thrandheimi destinans, cum antea soli episcopi suffraganei in Norvegia fuissent. Cardinalis effecit, ut sanciretur, ne cui armato in emporiis impune versari liceret, præterquam duodecim viris, quo-

[1]) *Hk.*; ille, *A, H.* [2]) Folkius, *Hk.* [3]) a signo omitt. *H.* [4]) Skarpus, h. l. *A.* [5]) a signo omitt. *H.* [6]) vestem, quæ pallium dicitur, *M, Hk.*

rum erat regem comitari. Idem, dum in Norvegia versabatur, mores civium multis nominibus correxit. Nemo in Norvegiam venit, qui ab omnibus tanti æstimatus fuerit, tantumque apud universum populum valuerit, quantum ille. Rediit Romam, multis donis hospitalibus ornatus, se Norvegis semper amicissimum fore pollicitus. Qui post paulo quam Romam venerat, obiit pontifex, qui antea Romæ fuerat. Tum Nicolaus, ab universis Romanis electus pontifex, sub nomine Adriani inauguratus est. Testati sunt, qui Romam eo pontifice venerunt, nunquam ei tam necessaria cum aliis negotia peragenda fuisse, quin primos semper Norvegos ad colloquium, si cupiissent, admitteret. Brevi pontificatum gessit, et nunc sanctus habetur.

Cap. 23. Eysteinem ac Sigurdum discordia intercesserat, eam ob causam, quod Sigurdus aulicos regis Eysteinis, Haraldum Vikensem, qui domum Bergis habuit, et sacerdotem Jonem Tabardum[1], [filium Bjarnii Sigurdidæ[2], interfecerat. Itaque conventum pacificatorium in Uplandis proxima hieme habendum condicunt. Cum soli duo in colloquio diu sedissent, palam vulgo factum est, quod omnes fratres æstate proxime insequenti Bergis convenirent: insuperque, placere, regem Ingium[3] duo aut tria prædia habere, et præterea tantum divitiarum, ut secum triginta homines habere posset, putare enim, hunc ad regia munia obeunda nimis infirma valetudine uti. Quibus rebus cognitis rex Ingius et Gregorius, numeroso comitatu stipati, Bergas profecti sunt. Eodem paulo post advenit rex Sigurdus, multo minoribus copiis comitatus. Tunc temporis Ingius

1) Sic *H*; *A*, abbreviate *Jón p'tab^rð*; *M*, *p'tabarzson*, it. *Hk.*
2) omitt. *H*, *M*; et Bjarninm Sigurdi filium, *Hk.* 3) *Íngi*] sic *H*, *Hk.*; *eingi* (forte *Eingi*, id., ut *Eindriði* = *Indriði*), *A.*

ac Sigurdus undeviginti annos Norvegiæ imperaverant. Eystein ab oriente ex Vika serius, quam illi ex borea, advenit. Tum rex Ingius conventum in Holmo (insula) edici classico jussit; quo Sigurdus et Ingius magna cum hominum multitudine venerunt. Gregorius duas habuit naves longas, et amplius nonaginta milites, quos suo sumtu penitus aluit; is domesticos suos melius, quam ceteri præfecti, tractavit: nunquam enim in deversoriis potavit, quin domestici sui stipatores una biberent. In conventum processit, inauratam galeam capite gerens, suique omnes galeati erant. Rex Ingius surrexit, palamque omnibus fecit, quid cognovisset, ut se tractare fratres statuissent, [populique auxilium imploravit[1]; populus secunda acclamatione orationem ejus excepit, seque operam ei navaturum pollicitus est. Tum surgens rex Sigurdus verba fecit, dicens vera non esse, quæ in ipsos crimina jaceret rex Ingius: hæc commenta Gregorii esse: non diu fore, si res suo arbitrio gereretur, cum ita congressuri essent, ut galeam illam inauratam dejecturus foret; orationem sic conclusit, ut diceret, utrosque non diu victuros. Cui Gregorius: haud est, opinor, quod tu, rex Sigurde, optes nos ita congredi, ut hostilia inter nos exerceamus; quam ad rem, quandocunque tibi placuerit, paratissimus sum.

Cap. 24. Paucis post diebus aliquis domesticorum Gregorii foris in platea a domestico regis Sigurdi interfectus est. Tum Gregorius regem Sigurdum atque suos invadere voluit, Ingio multisque aliis dehortantibus. Aliquo autem vespere Ingirida, mater Ingii regis, cum a cantu

[1]) quare nunc ab amicis meis consilium, opem et auxilium peto, nam vitam malo, quam hæreditatem a majoribus acceptam, amittere, *M.*

vespertino domum rediret, eo advenit, ubi occisus jacuit Sigurdus Skrudhyrna, aulicus Ingii regis, magno natu, qui multis regibus apparuerat; hic ab aulicis Sigurdi regis, Hallvardo Gunnarida et Sigurdo, [Eysteinis Trapalii[1] filio, occisus fuerat; quæ cædes svasori Sigurdo vulgo imputata est. Ingirida extemplo regem Ingium adiit, cædemque nuntiavit: diu nullius, inquit, auctoritatis rex eris, si, aulicis tuis uno post alterum more porcorum occisis, nihil agere vis. Rex Ingius increpationibus matris iratus est; qui dum inter se contendebant, Gregorius intravit galeatus et loricatus, regem orans, ne matri irasceretur, eam enim vera loqui: nunc adsum opem tibi laturus, inquit Gregorius, si invadere regem Sigurdum vis; adsunt foris in area amplius centum ex meis stipatoribus, omnes galeati et loricati, qui mecum inde impetum in eos facient, unde difficillimus aditus aliis videatur. Plerique dehortati sunt, dicentes, regem Sigurdum de hoc infelici facinore satisfacturum. Gregorius, intelligens regem dissvadentibus aures præbere, Ingium allocutus: ita nos atterunt cladibus, ut brevi ante meum domesticum, nunc tuum aulicum interfecerint; mox me aliumve præfectum, in quo plurimum damni fieri putaverint, venari studebunt, cum intelligant te nihil admoliri; occisis autem amicis tuis, te regno exuent. Quæcunque tandem ceterorum tuorum præfectorum sententia est, equidem nolo ictum tauri exspectare; egoque ac Sigurdus hac nocte congrediemur, quemcunque exitum fortuna datura est; tu vero et infirma valetudine male affectus es, et parum, credo, voluntatis tibi est, ut amicos tuos retineas. Ego omnino paratus sum hinc ire cum Sigurdo congressurus; nam vexillum meum hic foris in area

[1]) Travalii, *H*; Gunnaris, ab signo *M.*

est. Tum rex Ingius surrexit, vestes suas[1] poposcit, quemque qui se comitari vellet prælio se accingere jussit, ostendens, jam se dehortari frustra fore, satis se invidiæ adversariorum cessisse, jam rem armis decernendam esse.

Cap. 25. Rex Sigurdus in ædibus Sigridæ Sætæ potabat, paratus quidem ad excipiendum impetum, credens vero rem eo deductum non iri. Accedunt ad ædes, rex Ingius ab officinis ferrariis, Arnius vitricus regius ab Sandbrua, Aslakus Erlendi filius ab domo sua, Gregorius a platea, unde difficillimus ad ædes accessus videbatur. Sigurdus ac sui tela e fenestris cœnaculi crebro miserunt, fractisque fornacibus saxa in eos ingesserunt. Gregorio ac suis portam areæ ferro aperientibus, Einar Laxa-Pauli filius in introitu cecidit, qui e præsidio Sigurdi erat, item Hallvardus Gunnaris, qui in cœnaculo quodam telo ictus nullum sui desiderium reliquit. Ædes ferro concidentibus, Sigurdiani, rege deserto, ad pacis conditiones descenderunt. Tum rex Sigurdus in tabulatum aliquod progressus est, silentium postulaturus; habuit clypeum auro inductum, quo conspicuus nullam sibi audientiam fecit, sed denso telorum nimbo petitus, eo loco tutus esse non potuit. Quare, desertus ab suis[2], cum jam ædes ferro aperiri cœpissent, domo egreditur, comitatus aulico suo, genere Vikensi, nomine Thordo Husfreya; qui cum eo se conferre cogitarent, quo loco rex Ingius constitutus erat, clamante Sigurdo, ut frater Ingius rex vitam sibi daret, uterque necatus est, Thordo Husfreya magna cum laude fortitudinis occumbente. Rex Sigurdus in antiqua Christi æde, quæ in Holmo fuit, humatus est. Hoc loco multi Sigurdianorum ce-

[1]) arma sua, *Hk.* [2]) Hic explicit *M*, una relicta pagina, omnem lectionem refugiente.

ciderunt, etsi paucos nominaverim; item ex Ingianis; ex Gregorianis quatuor; illi quoque, qui neutrarum partium erant, in pontibus et in navibus telis partim necati partim vulnerati sunt. Conflixerunt quatuordecim[1] noctibus ante festum Johannis Baptistæ, die Veneris.

Cap. 26. Post vero noctibus [duabus aut[2] tribus rex Eystein ab oriente[3] cum triginta navibus advenit, Hakonem, filium fratris Sigurdi regis adducens. In Floruvogis subsistens, ad oppidum non accessit; tum nuntii inter eum ac fratrem de pace intercedebant; hortante Gregorio, ut eos classe adorirentur, neque occasionem rei gerendæ dimitterent: ego, inquit, dux ero excursionis, tu vero, rex, nusquam pedem efferto, satis enim adest copiarum. Sed multis dissvadentibus excursio non facta est. Rex Eystein orientem versus in Vikam, Ingius boream versus in Thrandheimum profecti sunt, verbo reconciliati, mutuo congressu vitato. Gregorius paulo post discessum regis Eysteinis orientem versus profectus, Brattabergi prædio suo in Höfundo[4] se continuit. Eystein Osloæ commoratus, naves per glaciem duo amplius milliaria maritima trahendas curavit, undæ enim Vikenses vi frigoris glacie constiterant. Quo facto in Höfundum profectus est, Gregorium comprehensurus; quo ille cognito, in superiora Thelamarkæ aufugit, indeque boream versus superatis montibus in Hardangrum descendit, et hinc Studlam in Ednia pervenit. Hic prædium habuit Erlingus Skakkius; hic boream versus Bergas profectus erat, domi remanente uxore ejus Kristina, regis Sigurdi filia, quæ Gregorio omnia quæ habere vellet obtulit. Inde navem longam, quæ Erlingo erat, nec non

[1]) quindecim, *H.* [2]) omitt. *H.* [3]) borea, *H.* [4]) est territorium in Thelamarka situm.

omnia quæ opus erant, abduxit. Gregorius Kristinæ gratias de præstitis hospitalitatis officiis egit, ejus eximiam liberalitatem tantis natalibus dignam collaudans. Inde Bergas profecti conveniunt Erlingum, qui instituto uxoris magnopere lætabatur. Tum Gregorius boream versus pergens, in Thrandheimum ante festum Jolense pervenit. Rex Ingius, adventu ejus vehementer lætus, suis facultatibus pro lubitu uti eum jussit. Rex Eystein villam Gregorii incendit, pecora concidit. Navalia, ab rege Eysteine Magni filio in Emporio boreali fabricata, res maximi operis et artis, hac hieme incensa, unaque naves eximiæ, quæ regi Ingio fuerunt. Quod factum summam omnium invidiam excitavit, culpa incendii in regem Eysteinem ac Philippum Gyrdi filium, regis Sigurdi coalumnum, rejecta.

Cap. 27. Æstate proxime insequenti rex Ingius, quantis maximis poterat copiis stipatus, a borea, Eystein ab oriente, milites in itinere colligens, contenderunt. Convenerunt ad Seleyas, [ab oriente[1] Lidandi[2] sitas[3], rege Ingio ab copiis multo instructiore; et parum abfuit, quin acie congrederentur. Pacem fecerunt his conditionibus, ut rex Eystein dextra data polliceretur, se quadraginta quinque auri selibras soluturum, quarum triginta rex Ingius haberet, eo quod rex Eystein navium et navalium incendii auctor svasorque fuisset; Philippus in exilium iret, nec non omnes, qui inflammandarum navium adjutores fuissent; hi quoque exularent, qui vulnerum regi Sigurdi inflictorum convicti essent: nam rex Eystein Ingio regi imputabat, quod hos homines recepisset; Gregorius quindecim selibras haberet, incensæ ab Eysteine villæ solatium. Rex Eystein,

[1]) a borea, *Hk.* [2]) territorium Norvegiæ, quod in austrum maxime vergit. [3]) ab signo, omitt. *H.*

his conditionibus male contentus, pacem necessitate extortam dictitabat. Ab hoc conventu rex Ingius in Vikam concessit, Eystein boream versus in Thrandheimum. Ex eo tempore rex Ingius in Vika, Eystein in boreali regni parte, commorati mutuum congressum vitarunt, verbis hinc inde perlatis, quæ omnem pacis spem præciderent: alter alterius amicos interficere: multa ab rege Eysteine stipulata non solvi: alter incusare alterum, quod datam fidem non præstaret. Rex Ingius et Gregorius copias a partibus Eysteinis regis abstrahere sategerunt, in quorum militum numero erat Bardus Standalius, filius Brynjulvi, Simon Skalpus, filius Halkelis Huki, multique alii præfecti, Haldor Brynjolvi, Jon Halkelis.

Cap. 28. Elapsis ab cæde Sigurdi regis duabus hiemibus, reges copias contraxerunt, Ingius naves octoginta ex regni parte orientali, Eystein ex boreali quadraginta et quinque: hic magnum illum draconem habuit, quem rex Eystein Magni filius fabricandum curaverat[1]; utrique copias habuerunt numero et apparatu præstantes. Rex Ingius classe ad Mostriam constitit, rex Eystein aliquanto ad boream propior in Græningasundo stetit. Rex Eystein Aslakum Juvenem Jonis filium, et Arnium, filium Sturlæ Sæbjörnis[2] filii, una nave vectos, austrum versus ad regem Ingium misit. Quos cognitos Ingiani navibus adorti, magnum hominum numerum occiderunt, navem cum omnibus militum impedimentis et apparatu navali ceperunt. Aslakus et Arnius cum aliquot viris in terram elapsi, regem Eysteinem convenerunt, et, ut excepti ab Ingio rege fuissent, exposuerunt. Hic rex Eystein, habita concione militum, docuit, quas hostilitates Ingiani exercere intenderent, militesque, ut se comitarentur, oravit: tantas, inquit, habemus, tamque excellentes copias, ut nusquam re-

[1]) ad instar Serpentis Longi, add. *Hk.* [2]) Snæbjörnis, *Hk.*

ferre gradum velim, si mihi operam dare vultis. Sed oratio ejus nulla acclamatione excepta. Aderat Halkel Hukus, cujus duo filii, Simon et Jon, apud regem Ingium versabantur. Hic respondit, ut complures audirent: tuæ tibi cistæ auro refertæ operam navent, et regnum tuum defendant! Nocte insequenti multis cum navibus eum deseruerunt, alii ad regem Ingium transfugientes, alii Bergas, alii in provinciam Fjördensem dilabentes.

Cap. 29. Sequenti mane, die illucescente, rex Eystein cum solis decem navibus, ab ceteris desertus, remansit. Itaque magnum illum draconem, gravitate corporis remigantibus difficilem, multasque alias naves eo loco reliquit. Draconem ferro conciderunt, cerevisiam concisis doliis effuderunt, omnia quæ avehere non poterant corruperunt. Rex Eystein, conscensa nave Eindridii, filii Jonis Mörnevii, boream versus in Sognum profectus, inde per superiora orientem versus in Vikam contendit. Rex Ingius, captis navibus, per exteriora orientem versus in Vikam profectus est. Eystein trans sinum Foldensem ad orientem versabatur, ad duodecim militum centuriis stipatus. Qui conspecta classe regis Ingii, se numero esse inferiores rati, in silvam aufugerunt, huc illuc dilapsi, ita ut rex uno comitatus remanserit. Ingiani, de itinere regis Eysteinis certiores facti, paucisque comitatum esse intelligentes, ad quærendum eum excurrerunt. Simon Skalpus in eum incidit, ex virgulto quodam ad eos procedentem. Simon eum salutavit: salve, domine, inquit. Cûi rex: nescio, annon meus nunc dominus esse tibi videare. Id quidem fuerit, inquit Simon, prouti se dabit res. Tum rex eum rogavit, ut se dimitteret: hoc enim te decet, inquit, diu enim amicitia juncti fuimus[1].

[1]) etsi res nunc se aliter habeat, add. *H, Hk.*

Simon facturum se negare. Itaque petiit rex, ut antequam percuteretur, missam audire sibi liceret; quod ei concessum est. Deinde pronus decubuit, expansis manibus, petens, ut se decussatim inter scapulas percuterent: tum experturos, ferrum pati posset, nec ne, ut commilitones Ingii jactassent. Simon ei, qui feriret: hoc age, inquit, nimis diu rex iste ericeta perreptavit. Mox percussus mortem fortissimo animo pertulit. Funus ejus Forsum delatum, et ab australi templi latere sub clivo per noctem compositum. Rex Eystein in æde Forsiana humatus est; sepulcrum ejus est in medio templi pavimento, aulæo fimbriato tectum; ipseque sanctus vulgo habetur. Quo loco percussi sangvis in terram decidit, eo loco fons emicuit, alter vero sub clivo, ubi funus repositum per noctem fuerat. Utriusque fontis aqua multi ex morbis se convaluisse arbitrantur. Vikenses perhibent, multa miracula ad sepulcrum ejus edita esse, antequam inimici ejus jusculum carnis caninæ super id effuderint. Simon Skalpus, hoc patrato facinore, in summum odium universi populi incurrit. Sunt vero qui dicant, rege Eysteine comprehenso, nuntium ab Simone missum esse ad regem Ingium, hunc autem vetuisse, ne Eystein in conspectum suum veniret. Sic rex Sverrer hanc rem literis prodendam curavit. Sic vero Einar Skulii:

Sceleratissimus ille Simon
Skalpus, cædibus adsvetus,
qui fidem regi datam fefellit,
ob tale facinus sero salvabitur[1].

[1]) Constructio: *Marg-illr Simon skálpr, sá er vandist morði, ok sveik stilli, mun sið a) of hjálpast af slikum ráðum.*

a) Sic meum exscriptum, *Hk., Fagrsk.*; *siðan*, in posterum, *A*, quando sententia interrogative esset exprimenda: *mun marg-illr — of hjálpast siðan af sl. ráðum?*; *þó, H*, neglecta consonantia metrica.

HISTORIA REGIS HAKONIS HUMEROS LATI.

HISTORIA REGIS HAKONIS HUMEROS LATI.

Cap. 1.

HAKON, filius regis Sigurdi, princeps electus est factionis, quæ regem Eysteinem secuta fuerat; cui, tum decem annos nato, milites regium nomen dederunt. Ei se adjunxerunt: Sigurdus, filius Havardi Höldi Reyrensis, Andreas et Ögmundus Simonis filii, coalumni Hakonis, multique alii et amici regis Eysteinis ac regis Sigurdi. Hi primo in Gothiam concesserunt. Rex Ingius omnes possessiones eorum, quas in Norvegia habuerunt, suam in potestatem redegit, et ipsos exilio damnavit. Rex Ingius [boream versus[1] in Vikam profectus, partim ibi, partim in regni parte boreali commoratus est; Gregorius Konungahellæ se continuit, hostium incursionibus expositus, et regni fines tuebatur.

Cap. 2. Æstate insequenti Hakoniani ex Gothia descendentes Konungahellam pervenerunt, numeroso et splendide armato exercitu stipati. Gregorius, qui in oppido aderat, colonos et oppidanos ad frequentem conventum vocatos auxilium postulavit. Qui cum postulata minus secunda acclamatione excipi ab concione videret, parum se illis credere ostendens, relicta concione, animo minus læto in Vikam profectus est, regem Ingium conventurus; audiverat enim, Ingium regem a borea per provinciam Vikensem magno cum exercitu adventare. Ubi vero Gregorius paulu-

[1]) Sic *Hk.*; a borea, *A*; primo orientem versus, *H.*

lum boream versus navigarat, incidit in Simonem Skalpum, Haldorem Brynjolvi, et Gyrdum Amundii, regis Ingii coalumnum. Quorum adventu Gregorius oppido lætus, unacum his omnibus reversus est, undecim jam naves habens. Qui cum Konungahellæ adremigarent, Hakoniani, conventum supra oppidum agentes, advenientes conspicati sunt. Hic Sigurdus Reyrensis: jam sua Gregorium fata rapiunt, qui paucis comitatus in manus nostras ruat. Gregorius naves e regione oppidi adpulit, Ingium regem, cujus adventus exspectabatur, opperturus; ille vero non advenit. Hakon [in oppido[1] se paravit: Thorljotum Skorposkallium[2], piratam et prædonem, copiis, qui in navibus ante oppidum constitutis erant, præfecit: ipse vero et Sigurdus cum oppidanis oppidum tenuerunt, aciemque in pontibus instruxerunt. Hic omnes incolæ ad partes Hakonis transierant.

Cap. 3. Gregoriani fluvio adverso subvecti, naves secundo flumine deferri in Thorljotianos siverunt. Hi tela inter se aliquantisper conjecerunt, donec Thorljotus ac sui e navibus in mare desiluerunt; quorum alii interfecti, alii in terram elapsi. Quo facto Gregoriani pontibus adremigarunt; et extemplo Gregorius pontes e navi sua explicari in terram sub pedibus Hakonianorum jussit. Cum signifer Gregorii, egressurus in terram, cecidisset, Gregorius Hallum, filium Ödunis Halli filii, tollere signum jussit. Ille sic fecit, et signum in pontes extulit. Quem proxime secutus Gregorius, sublato supra caput ejus clypeo protexit. Ubi vero Gregorius in pontes evaserat, et ab Hakonianis cognitus est, adversariis gradum referentibus, spatium egredientibus utrinque patuit; utque plures ex navi-

[1]) *Hk.*; omitt. *A.* [2]) Skövoskallium, *Hk.*

bus egressi erant, Gregorius ac sui progressi sunt, Hakonianis primo graduum referentibus, deinde cursu in oppidum refugientibus. Instabat Gregorius, bisque fugientes oppido expulit, magnamque multitudinem hostium interfecit. Constat inter omnes, neminem majori fortitudine hostes adortum, quam Gregorium; nam Hakon quadraginta amplius militum centurias habuit, Gregorius non integras quatuor. Prælio facto, Gregorius Hallo Ódunis filio: multi mihi homines videntur in præliis agiliores esse, quam vos, Islandi; etenim vos minorem in re militari usum Norvegis habetis, nullos vero novi vobis ad arma audaciores. Post paulo advenit rex Ingius, et multos homines, qui Hakonem receperant, interfici jussit, alios pecunia multavit, aliorum villas incendit, alios regno ejecit. Hakon in Gothiam aufugit; eadem hieme boream versus per mediterranea profectus, in Thrandheimum ante festum paschatos pervenit, ubi ab Thrandis rex creatus est ea lege, ut trientem Norvegiæ, sibi a patre relictum, [eodem ac Ingius jure[1], haberet. Rex Ingius ac Gregorius in Vika versabantur; hic quidem hortabatur, ut confestim boream versus profecti eos adorirentur, multis vero dehortantibus, res dilata est.

Cap. 4. Insequenti vere Hakon triginta ferme naves ad expeditionem adornavit. Ex qua classe Vikenses cum duodecim navibus præcurrentes, utramque Mæriam depopulati sunt. Neque recordatus est quisquam, populationem inter Emporia[2] antea factam. Jon, Halkelis Huki filius, collecto exercitu rusticano, eos adortus est: navem Kolbeinis Odi (Rabiosi) intercepit, omnesque homines ea vectos occidit; dein ceteros

[1]) add. *Hk.*; in *A* legi non possunt. [2]) i. e. Nidarosum et Bergas.

quæsivit, invenitque vectos navibus septem: confligunt; cum vero Halkel, pater Jonis, ei auxilio non veniret ex condicto, magnus numerus insignium colonorum cecidit, ipseque Jon vulneratus. Hakon austrum versus Bergas classe profectus, ut in Stjornveltam[1] venit, cognovit, regem Ingium et Gregorium paucis ante noctibus Bergas ab oriente delatos; unde Hakoniani eo cursum dirigere non ausi sunt. Bergas austrum versus extra insulas prætervecti, inciderunt in socios Ingii, [tribus navibus vectos[2], qui serius ab oriente advenerant: horum unus erat Gyrdus Amundii, regis Ingii coalumnus, qui Gyridam, sororem Gregorii, in matrimonio habuit; alter Gyrdus Gunnildæ filius prætor; tertius Havardus Kliningus. Hakon Gyrdum Amundii et Havardum Kliningum interfici jussit, Gyrdum vero prætorem secum abduxit, et orientem versus in Vikam profectus est.

Cap. 5. Quo cognito, Ingius eos insecutus orientem versus contendit. Congressi sunt in Albi. Rex Ingius boreali fluminis cornu classe subvectus, præmissis, qui de rebus Hakonianorum specularentur, ipse ad Hisingam adpulit, ibique reditum exploratorum exspectavit. Reversi exploratores regem adierunt, nuntiantes, classem regis Hakonis omnemque aciei rationem ab se visam: naves ad palos applicuisse, puppibus ad palos religatis: duas habere naves mercatorias, Baltico mari destinatas, in extremis classis cornibus dispositas: in his utrisque mercatoriis bina esse, ad puppim proramque, turrita propugnacula. Rex Ingius, ut cognoverat, quo apparatu uterentur, universas copias classico ad concionem advocari jussit. Convocata concione, rex sententias militum exquisivit, in primis compellans

[1]) Stjorveltam, *Hk.* [2]) omitt. *H.*

Gregorium Dagi filium et Erlingum Skakkium, affinem suum, aliosque præfectos et navium gubernatores; eisque de omni apparatu Hakonianorum exposuit. Gregorius surgens, primus suam sententiam aperuit; is ita locutus est: aliquoties acie congressi sumus cum Hakonianis, qui, etsi numero copiarum plerumque superiores, tamen inferiores ex certamine discesserunt. Nunc vero, cum multo majorem habemus numerum militum, multis, qui modo nobiles cognatos amiserunt, vero simile puto visum iri, jam adesse opportunam ulciscendi occasionem: diu enim hac æstate pulsi nobis cesserunt, et sæpe denuntiavimus, si adventum nostrum, quod nunc fore nuntiatur, exspectarent, nos congressum cum illis periclitaturos. Quodsi regis voluntati non repugnabit, prælio eos adoriemur; puto enim, id quod antea usu venit, eos terga versuros, si acrem in eos impetum facimus; ego vero, qua difficillima aliis oppugnatio videbitur, meam navem admovebo. Oratio Gregorii omnium secunda acclamatione excepta, dicentium, se ad invadendos Hakonianos paratos esse. Mox universæ naves adverso flumine actæ, donec utrique inter se conspiciebantur. Tum Ingiani, classe e medio amnis alveo semota, insulam subierunt. Hic rex cum omnibus navium præfectis iterum collocutus, eos jussit aciem ad impetum faciendum instruere; in primis Erlingum Skakkium compellavit, dicens, ut re vera erat, neminem in eo exercitu esse prudentiorem reique militaris peritiorem, etsi quidam essent ingenio magis præcipiti et fervidiori; præterea rex ad plures præfectos sermonem convertit, nonnullos nominatim compellans; atque sic finem dicendi fecit, ut singulos juberet in medium proferre, quæ quisque maxime

utilia esse putaret, et denique universos eandem sententiam uno consensu comprobare.

Cap. 6. Erlingus Skakkius ad regis orationem ita respondit: a te, rex, compellatus tacere non debeo. Quod si scire aves, quæ mea sit sententia, hanc expromam. Hæc, quæ jam inita est ratio, a meo prorsus ingenio abhorret; etenim, re sic comparata, prælium cum eis committere, etsi copias habeamus et numero et apparatu præstantes, rem desperatam esse existimo: siquidem nobis adverso flumini remis obnitentibus impetus in hostes faciendus est; nam cum ex tribus in quovis interscalmio constitutis uni remigandum sit, alteri hunc clypeo protegendum, quid nisi tertia copiarum pars superest ad pugnandum? Mihi quidem videntur, qui ad remos sedent, tergaque hostibus obvertunt, more parum militari in prælio esse constituti. Quod si mihi otium ad consilia excogitanda conceditis, vicissim polliceor, me, antequam triduum præterierit, rationem inventurum, qua eos commodius adgrediamur. Apparebat ex oratione Erlingi, eum ne committeretur prælium dehortari; neque tamen eo minus multi ad prælium hortati sunt, dicentes, Hakonianos nunc, ut antea, in terram excursuros: tumque assequi eos non poterimus, inquiunt, nunc autem exiguas habentes copias nostræ potestati omnino subjecti sunt. Gregorius pauca de his locutus, verbo significavit, Erlingum magis ideo a committendo prælio dehortari, quod consilia a Gregorio in medium prolata reddere irrita vellet, quam quod hæc melius, quam ceteri omnes, perspicere posset.

Cap. 7. Tum rex Erlingo: affinis, inquit, jam tuis consiliis de prælii committendi ratione utemur; sed propterea quod plures ad ineundam pugnam hortantur, hodie eos classe adgrediemur.

Hic Erlingus: omnes[1] cursoriæ et navigia leviora, extra insulam circumvecta, cornuque fluminis orientali subvecta, secundo amne ad eos deferuntor, si forte eos a palis depellere possint; nos vero naves majores adverso flumine ad eos subigamus; neque sciri potest, antequam res probet, an eo acriorem, quam ego, impetum in hostes faciant, quo sunt ad pugnam fervidiores. Hoc consilium omnibus placuit. Lingula quædam in mare procurrens conspectum inter naves Ingianorum et Hakonianorum intercipiebat. Classis cursoriarum, secundo flumine remis acta, ab Hakonianis conspecta est. Hi antea in colloquio fuerant, consilia conferentes, quibusdam conjicientibus, Ingianos classe non adgressuros; alii, apparatu militari ac numero copiarum freti, quod impetus retardabatur, non ausuros putabant. In hoc conventu multi proceres erant: Sigurdus Reyrensis, Simonis filii[2], Nicolaus Skjaldvaræ filius, et Eindridius, filius Jonis Mörnevi, vir excellentissimus et gratiosissimus omnium, quos eo tempore provinciæ Thrandheimicæ tulerunt; præter hos multi alii præfecti ac centuriones. Ubi vero Hakoniani Ingianos magno navium numero ferri amne secundo conspicarentur, fugam meditari rati, præcisis vinculis naves a palis exsolvunt, remos corripiunt, eos remigio insequuntur, fugientes hostes pulsuri. Naves secundo flumine magna celeritate ferebantur; quæ cum prono amne insulam, quæ conspectum interceperat, præterveherentur, vident robur aciei Ingianæ ad insulam Hisingam stare. Ingiani quoque, conspecta classe Hakoniana, impetum in se daturos existimarunt. Hic magnus oriri strepitus, fremitus armorum, clamorque hortantium; mox bellicum clamorem sustulerunt. Hakoniani vero classem boream

[1]) quas habemus, add. *Hk.* [2]) Önundus et Andreas, add. *Hk.*

versus ad terram deflexerunt, quo loco exiguus maris sinus a medio fluminis alveo recesserat. Hoc loco se compararunt, retinacula puppium in terram extulerunt, proras omnium navium pelago obverterunt, omnes naves copulis conjunxerunt, mercatorias Balticas extra ceteras naves, unam a parte superiori, alteram ab inferiori, constituerunt, easque ad naves longas alligarunt; in media acie navis regia jacuit, huic proxima navis Sigurdi, ab altero vero latere navis regiæ Nicolaus, et huic proximus Eindridius Jonis filius; omnia minora navigia exteriora jacuere. Omnes ferme naves armis et saxis oneraverant.

Cap. 8. Sigurdus Reyrensis hunc in modum verba fecit: credibile est, jam eventurum, quod hac æstate diu nobis fuit denuntiatum, nempe nostrum cum Ingio congressum; cui quoque nos admodum diu præparavimus, multique ex nostris insolenter gloriati sunt, se ad adventum Ingii aut Gregorii minime trepidaturos aut fugituros: quæ jam verba revocare in memoriam convenit. At vero minime est, quod tam insolentia verba jactemus, qui ab hostibus tantas clades accepimus; sæpe enim, id quod notum omnibus est, ab iis repulsi et exagitati fuimus. Neque tamen eo minus necesse nobis est, ut hostem quam fortissime excipiamus, et gradu quam firmissimo stemus; hæc enim sola nobis ad obtinendam victoriam via. Nam etsi aliquanto minores copias habeamus, quam illi, tamen in arbitrio fortunæ situm est, utri victoriam sint consecuturi; atque hoc rerum nostrarum optimum solatium est, quod Deus novit, nos justiorem causam habere. Ingius duos fratres suos jam obtruncavit; neque latet quemquam, quam pro cæde patris satisfactionem regi Hakoni destinaverit, nimirum hanc, ut eum velut ceteros cognatos obtruncet, quod

hæc dies declarabit. Principio Hakon non plura postulavit, quam eum, qui patri suo fuit, Norvegiæ trientem; quod recusatum est; meo autem judicio Hakon hæreditati, a patruo Eysteine relictæ, jure propior est, quam Ingius, quam Simon Skalpus, quam ceteri, qui regem Eysteinem de medio sustulerunt. Multi sane, qui animæ suæ consultum vellent, quique talia in se, qualia Ingius, facinora admisissent, Deum, credo, adeo vererentur, ut non auderent regio se nomine appellare; quam ob rem miror, nimiam ejus audaciam a Deo impunitam ferri; et sane volet Deus, eum a nobis pessum dari. Ideo fortiter et audacter pugnemus, quod Deus nobis victoriam largietur; si cademus, Deus multiplici gaudio compensabit, quod nunc patitur nos a malis hominibus conculcari. Milites composite agant, si prælium committitur, neque trepideut; quisque sui ac commilitonum curam habeat, Deus autem omnibus nobis prospiciat. Oratio Sigurdi secunda militum acclamatione excepta, omnibus libenter pollicentibus, se operam strenue navaturos. Hakon mercatoriam Balticam conscendit, ubi corona militum clypeatorum circumdatus est; signum vero ejus in navi longa fuit, qua antea vectus fuerat.

Cap. 9. Jam de Ingianis narrandum. Hi conspicati Hakonianos prælio accingi, solo flumine ab se sejunctos, celocem cursoriam ad naves, quæ prius discesserant, revocandas emiserunt; rex vero cum cetera classe eas exspectavit, et suos ad prælium ordinavit. Tum principes milites allocuti, consilium suum aperuerunt: primo, quæ naves proxime jacerent, dein, quo loco quique impressionem facerent. Gregorius sic verba fecit: habemus magnas et ornatas copias; jam mea, rex, sententia est, ut prælio non in-

tersis; si enim tu in tuto es, omnia tuta sunt; nam sciri non potest, quo imperiti jaculatoris telum forte aberret. Eo utuntur apparatu: ex turritis propugnaculis, quæ in mercatoriis sunt, tela saxaque conjicientur; quo fiet, ut non magis in tuto sint remotiores. Non tantas habent copias, ut vires meas ceterorumque præfectorum superet, prælium adversus eos committere. Ego meam navem navi eorum, quæ maxima est, applicabo, et spero nunc quoque futurum, ut prælium cum eis neque diuturnum neque magni certaminis fiat; sic sæpissime accidit, quotiescunque congressi sumus, etsi numero copiarum multo quam nunc inferiores fuerimus. Quæ svaserat Gregorius, ut rex ad prælium non accederet, omnibus bene placuit. Tum Erlingus Skakkius: eorum sententiæ sum, qui te, rex, a prælio abstrahendum putant. Tali utuntur apparatu, ut nobis, meo quidem judicio, magna cautione utendum sit, ne graviore clade ab iis afficiamur; integra enim membra (ut ajunt) commodissime obligantur[1]. In concilio, quod prius hodie habuimus, meæ quidem sententiæ multi sunt oblocuti, dicentes, me prælium nolle committere; nunc autem res nobis commodissima accidit, quod a palis disjuncti sunt; quare jam res eo loco est, ut prælium committi non dehortaturus sim; intelligo enim, quod omnes scire possunt, quam necesse sit, hanc turbulentam factionem, quæ prædando et populando totum regnum peragravit, fundere fugareque. Quo facto cives poterunt terram secure incolere, uni regi addicti, tam bono ac justo, quam rex Ingius est, qui diu cognatorum oppressiones ac injurias expertus, universi populi tutor defensorque fuit, seque ad pacandam terram multiplici periculo exposuit. Erlingus multa diserte locu-

[1]) i. e. clade incolumitas præstat.

tus est, et præter eum alii principes; quorum oratio eodem recidit, ut omnes ad prælium hortarentur. Exspectarunt, donec universa classis in unum convenisset. Rex Ingius Bækisudam (navem fagineam) duxit, idque precibus amicorum dedit, ut in prælium non iret, sed ad insulam remaneret.

Cap. 10. Ubi copiæ prælio se accinxeraut, remigio in hostem ferebantur, clamore bellico utrinque sublato. Ingiani naves suas non copulaverant, sed soluta classe ferebantur; nam per transversum rapidi fluminis alveum remigantibus, naves majores a recto cursu vehementius depulsæ sunt. Erlingus Skakkius navem regis Hakonis adgressus, inter hanc et navem Sigurdi Reyrensis proram navis suæ inseruit. Inde initium prælii factum. Navis vero Gregorii in vada delata, magnopere inclinata est; unde primo adire prælium non potuere. Quo viso, Hakoniani hærentem vadis navem Gregorii adoriuntur. Ivar, filius Hakonis Magii, hanc adgressus, puppibus forte collidentibus, Gregorium, qua tenerrimum erat corpus, manu ferrea corripuit et violentius attraxit. Rejecto ad oram navis Gregorio, ferrum latus sursum perstrinxit; et parum abfuit, quin ex navi extraheretur. Gregorius, quod lorica laminis contexta indutus erat, haud magnopere vulneratus est. Ivar, eum inclamans, denso tegimine latus sepsisse adseruit. Cui Gregorius: ita rem instituis, ut opus sit, et tamen prope est, ut in armis, tegendo corpori aptis, nihil præsidii sit. Tum parum abfuit, quin Gregoriani in mare se dejicere cogerentur, cum Aslakus Juvenis, injecta navi ancora, eos ab vadis abstraxit. Quo facto Gregorius navem Ivaris adortus, diuturnum cum eo certamen habuit;

et cum navem haberet majorem et a propugnatoribus instructiorem, magnus numerus ex militibus Ivaris cecidit, alii in mare desiliverunt; ipsum Ivarem gravia accepta vulnera pugnando imparem reddiderunt. Cujus nave defensoribus nudata, Gregorius ipsum in terram deportandum curavit, et effecit, ut elabi posset; ex quo tempore mutua inter eos amicitia viguit.

Cap. 11. Cum vero rex Ingius ac socii Gregorium in vadis hærere conspexerunt, rex suos, ut adremigando ei opem ferrent, hortatus est. Ille locutus est: stultissima fuit ratio, nos hic remansisse, amicis in prælium euntibus. Habemus navem, quæ ex tota classe maxima est et optime instructa. Jam video Gregorium auxilio indigere, virum optime de me meritum. Agite, impetum quam acerrimum faciamus! Et sane conveniens est, me prælio interesse, quippe qui victoriam, modo dederit fortuna, consequi cupiam. Et si prænossem, nostros inferiores discessuros, tamen ea sola nobis ratio convenit, ibi ut simus, ubi nostri sunt; amissis enim viris strenuissimis, qui mea regnique mei tutela ac præsides diu fuerunt, nihil efficere potero. Quibus dictis erigi signum jussit. Factum. Remigant trans fluvium. Tum pugna quam vehementissime fervebat; neque regi spatium succedendi in pugnam datum, navibus confertis aditum intercludentibus. Quam ob rem mercatoriis Balticis succedunt; unde cum hastæ, pila, saxaque tam grandia, ut nihil resistere posset, in eos dejicerentur, eo loco manere tuto non potuerunt. Classiarii vero, regem adesse conspicati, spatio dato eum receperunt; isque tum navem Eindridii Jonis filii adortus est. Tum Hakoniani, relictis navibus minoribus, in mercatorias ascendere, partim in terram egredi cœperant. Erlingus ac sui acrem oppugnationem

fecerunt; ipse in anteriori interscalmio navis suæ constitutus, proræ defensores inclamans, escensionem in navem regiam facere jussit. Illi rem factu esse difficilem, ob obstantes trabes ferro præmunitas, causabantur. Erlingus, in proram progressus, ibi brevi moratus est, antequam conscensam navem regiam vastarunt. Tum universæ copiæ Hakonis fugere cœperunt, multi in mare desiluerunt, multi ceciderunt, maxima pars in terram evaserunt. Sic Einar Skulii filius:

Multi homines in mare ceciderunt
ex cruenta navis prora; cadavera
æstu ferebantur: lupus largam
alimentorum copiam nactus est.
Albis, veneni instar gelida,
calido sangvine rubuit;
tepidus cruor, aquis mixtus,
in pelagus profluebat[1].

Idem porro cecinit:

Milites arcus torserunt: ruber chalybs
in madidas (cruore) galeas volavit.
Multæ vastatæ naves, proras cruentæ,
in rapido flumine natabant,
ante quam procerum copiæ
in terram ex navibus fugerent.
Cohortis Hakonianæ numerus
in prælio imminutus est[2].

---

[1]) Constructio: *Margr maðr fèll á kaf af dreyrgu saxi marblaks a): ná b) rak fyrir straumi: glaumr gýgjar fèkk gnógt eldi. Eitrköld Elfr var roðin heitu unda gjálfri: varmt vitnis c) öldr fèll með vatni d) í men e) Karmtar.*

a) *marbaks, H,* mendose. b) *gná, H,* prave, sono *g* ex antecedente *k* male repetito. c) *vindis, H.* d) *vandi, H,* utrumque prave. e) *Hk.*, consentiente Ed. Sn. p. 178. 7; *munn, A.*

[2]) Constructio: *Lið sveigði álm: rauð stál flugu á úrga hjálma. Mörg auð stafn-blóðig skip flutu í stríðri móðu: áðr*

Einar de Gregorio Dagi filio carmen brevius composuit, versus Albenses dictos. Rex Ingius Nicolao Skjaldvaræ filio, vastata nave sua, vitam concessit; qui in partes Ingii regis transiens, quoad vixit, cum eo versatus est. Eindridius Jonis filius, nave sua defensoribus nudata, in navem Ingii regis confugiens, pacem petiit; cui cum rex vitæ gratiam facere vellet, [filius Havardi Kliningi[1] accurrens eum letali plaga percussit; quod facinus cum magnopere vituperaretur, [ipse dixit, Eindridium[2] necis patris sui, Havardi[3], auctorem fuisse. Mors Eindridii omnibus, præsertim provinciarum Thrandheimensium incolis, acerba fuit. Multi ibi ex Hakonianis, non vero plures ex principibus, ceciderunt. Pauci ex Ingianis cecidere, multi vero vulnerati sunt.

Cap. 12. Hakon in terram aufugit, Ingius vero classem boream versus in Vikam duxit, ubi ipse ac Gregorius hiemem consumserunt. Milites Ingii regis, Bergljotus ac fratres, filii Ivaris ab Elda, cum ex prælio Bergas venissent, Nicolaum Skeggum (Barbatum), qui quæstor fuerat, interfecerunt, eoque facto boream versus in Thrandheimum domum profecti sunt. Pervenerunt[4] in Thrandheimum ante festum Jolense, Sigurdus vero domi prædio Reyro subinde commorabatur; huic Gregorius pacem ab Ingio impetraverat, ut omnes possessiones suas retineret; nam Gregorius et Sigurdus propinqua cognatione juncti erant. Rex Hakon tempore festi Jolensis in Emporio fuit. Vespere quodam, primis festi Jolensis feriis, satellitibus ejus in cubiculo aulico inter se pugnantibus, octo mortem oppetierunt, multi

lið gæðinga flæði á grund af græðis dýrum. Sveit Hákonar varð rýr í rym ritar.

[1]) Havardus Kliningus, *H.* [2]) Havardus dixit, Jonem, *H.* [3]) omitt. *H.* [4]) Rex Hakon pervenit, *Hk.*

vulnerati sunt. Post octavam festi Jolensis feriam ex Hakonianis ad octoginta viri, duce Alvo Rodio, Ottaris Birtingi filio, per interiora profecti, prima nocte Eldam necopinato venerunt, domesticis mero sauciis, ignemque cœnaculo subjecerunt; illi vero egressi, prælium commiserunt. Hic cecidit Bergljotus, Ivaris filius, et Ögmundus, frater ejus, magnaque hominum multitudo. [Ad triginta homines in ædibus fuisse dicuntur[1]. Hac hieme in Emporio boreali Andreas Simonis filius, regis Hakonis coalumnus, obiit. Erlingus Skakkius et Ingiani, Bergis versantes, simulabant sese jam jamque boream versus ea hieme profecturos et Hakonem comprehensuros; sed res per cunctationem omissa. Gregorius Konungahella ab oriente nuntium misit, si tam prope atque Erlingiani consideret, se Bergis non quiete mansurum; Hakon vero amicos Ingii regis, horumque contubernales, qui in Thrandheimo erant, interficiendos curavit.

Cap. 13. Rex Ingius et Gregorius vere proxime insequenti ab oriente Bergas profecti sunt. Hakon vero ac Sigurdus, cognito, Ingium a Vika profectum, per mediterranea orientem versus in Vikam profecti sunt. Cum Ingius ac sui Bergas venissent, dissidia orta sunt inter Haldorem Brynjolvi et Björnem Nicolai. Famulus Björnis, in pontibus famulo Haldoris obviam factus, hunc interrogavit, cur adeo palleret. Qui cum missum sibi sangvinem diceret, famulus Björnis: ego vero nollem misso sangvine ita adfici, ut piscis[2] instar, veluti tu, expallescam. Ille contra: at vero tu, credo, mollius et effeminatius affectus fuisses. Haud graviora fuere dissidiorum initia. Mox verbum ex verbo gliscere, usque eo donec res primo ad altercationem, dein ad pugnam venit. Tum

[1]) omitt. *H.* [2]) philyræ, *Hk.*

Haldori Brynjolvi filio nuntiatum, famulum ejus in pontibus vulneratum. Haldor, qui in ædibus potabat, confestim advolavit. Cum vero famuli Björnis priores in locum pugnæ advenissent, Haldor, impar certamen ratus, ope suorum famulos Björnis comprehendit et contudit. Mox Björni Bukko (Capro) nuntiatum, famulos ejus infra in pontibus verberari ab Vikensibus. Tum [is ac Sigurdus[1] arma capiunt, euntque suos ulturi: tumque vulnera invicem inflicta. Dein Gregorio allatum est, Haldorem, affinem ejus, auxilio indigere, domesticosque foris in platea trucidari. Quo audito, Gregorius cum suis, indutis raptim loricis, advolavit. Audivit Erlingus Skakkius, Björnem, suum ex sorore nepotem, et Haldorem in pontibus cum Gregorio pugnare, auxilioque indigere; itaque eo advolat, haud parva manu stipatus, auxiliumque hominum implorans: ignominiam nobis adferet, inquit, si unus homo Vikensis hic in sede nostra natali nobis ferociter insultabit, quod flagitium sempiterna memoria servabit. Mox nuntius regi Ingio allatus, Gregorium et Erlingum in pontibus dimicare; quo audito accessit, pugnantes diremturus, sed præ ardore pugnantium nihil efficere potuit. Gregorius regem his verbis compellavit: abscede, domine, nihil hoc rerum statu efficere poteris; maxime metuendum est, ne quid tibi damni accidat; neque enim sciri potest, annon sit aliquis, qui occasione oblata hoc in se scelus admittere non dubitet. Tum rex discessit, illi vero pugnare perseverarunt. [Hic tredecim homines ceciderunt, [quorum novem mortem statim obierunt, quatuor postea vulneribus exspirarunt[2], multi vero vulnerati sunt[3]. Ut vero vehementissimæ

[1]) Björn ac sui, *Hk.* [2]) omitt. *H.* [3]) quæ a priori signo sunt, omitt. *Hk.*

incursiones hostiles cessaverant, Gregorius cum suis ad templum Nicolai se recepit, Erlingo ac suis sequentibus eosque inclamantibus. Dein rex Ingius iterum advenit, pacemque inter eos fecit; tum utrisque placuit, ut solus rem inter eos componeret. Mox cognoverunt, Hakonem in Vika esse. Itaque rex Ingius ac Gregorius, magnam classem habentes, orientem versus contenderunt. Cum vero in Vikam pervenissent, Hakoniani aufugerunt, nullumque commissum prælium est. Tum rex Ingius Osloam concessit, Gregorius Konungahellæ versatus est.

Cap. 14. Paulo post Gregorius, certior factus, eos in territorio Sörbæis, loco silvis affini, versari, eo profectus, noctu advenit; Hakonem ac Sigurdum in majori prædio versari, rati, ignem ædibus injiciunt. Hakon vero ac Sigurdus, in minori prædio versantes, ut ignem conspexerunt, accurrunt, opem laturi suis, qui eo loco aderant. Hic cecidit Munan, filius Alii Oskeynis[1]; Munan erat frater regis Sigurdi, patris Hakonis. Hunc Gregoriani occiderunt, incendio circumfusis opem laturum. Excesserunt ædibus; magna hominum multitudo interfecta. Asbjörn Jalda (Equa), latrociniis infamis, qui multis acceptis vulneribus ex prædio evaserat, in colonum aliquem incidit, a quo, pecunia oblata, petiit, ut se incolumem dimitteret. Colonus, facturum se quod maxime cuperet significans, ostendensque se metu ejus sollicitam sæpe vitam egisse, eum letali plaga percussit. Hakon ac Sigurdus salvi evasere, multis suorum occisis. Gregorius Konungahellam rediit. Paulo post Hakon ac Sigurdus, prædium Haldoris Brynjolvi filii, Vettalandum, adgressi, ædes subjecto igne inflammarunt. Haldor ac domestici, ædibus egressi, statim interfecti

[1]) omitt. *H.*

sunt; hic viginti omnino homines occisi. Sigrida, uxor Haldoris, soror Gregorii, cum sola subucula in silvam dimissa. Indidem Amundium, filium Gyrdi[1] Amundii filii et Gyridæ Dagi filiæ, tum quinquennem, abduxerunt.

Cap. 15. Quibus cognitis rebus, Gregorius gravi dolore affectus, diligenter, quo loco versarentur, inquisivit. Ab Konungahella vergente festo Jolensi magno cum numero copiarum profectus, feria festi decima tertia Forsum pervenit. Hic nocte transacta, die ultimum festi Jolensis excipiente ibidem cantum antelucanum celebravit, textumque evangelicum recitatum audivit; ea dies incidit in diem Saturni. Gregorianis copias Hakonis conspicientibus duplo minores suis visæ sunt. Inter se occurrentes amnis quidam, dictus Hæfia[2], intercedebat, qui male fida glacie, æstu maris ab alto subterluente, coierat. Hakoniani in glacie ceciderant aperturas, quas superingesta nive ingredientibus occultaverant. Gregorius ad amnem perveniens: infirma mihi glacies videtur; auctor sum, ut ad pontem, qui a parte superiori injectus flumini est, deflectamus. Responderunt coloni, nescire quid causæ esset, cur transgredi glaciem, hostesque tantulas habentes copias adgredi non auderet: glaciem satis firmam videri: [ominari, adversam fortunam (hac cunctatione) portendi[3]. Gregorius adseruit, raro causam fuisse, cur sibi timiditas exprobraretur, neque in præsentia fore; sequerentur se præcedentem intrepide, nev, ingrediente glaciem, in terra starent: siquidem hortamini, inquit, ut hanc infirmam glaciem ingrediar; equidem facio invitus, sed increpari a vobis non sustineo. Quibus dictis proferri signum jussit; atque in glaciem cum copiis

[1]) *H, Hk.*; Sigurdi, *A.* [2]) Gefia, *H*; Befia, *Hk.*, quod. rectius, hodie *Bäfverd.* [3]) omitt. *H, Hk.*

progressus est. Ut vero sensere coloni, infirmam glaciem esse, retro cesserunt. Gregorius, vestigiis in glacie, neque tamen alte, subsidentibus, suos, ut cautione uterentur, monuit; neque vero amplius viginti homines eum sequebantur, ceteri omnes recesserant. Aliquis e cohorte Hakoniana telum[1] in eum misit; quo sub mentum illapso, cadit Gregorius, atque decem cum eo homines. Talem habuit vitæ exitum. Constat inter omnes, eum, memoria hominum eo tempore viventium, Norvegicorum præfectorum excellentissimum fuisse, [atque, ex quo decessit rex Eystein Magni filius, in Islandos benevolentissimum[2]. Funus Gregorii in Hövundum deportatum, et sepultum in monasterio monialium, quod in Gimseya est; ubi tunc temporis Bögeida, soror Gregorii, abbatissa erat.

Cap. 16. Duo procuratores[3] Osloam profecti sunt, ut regi Ingio nuntium de hac re afferrent. Quo cum venissent, regem in colloquium exciunt. Ille quærit, quid novarum rerum afferant. Dicunt, cecidisse Gregorium Dagi filium. Qui tam male accidit? inquit rex. Exponunt ei rem omnem, ut gesta erat. Rex: imperitiorum itaque sententia vicit. Quæ res Ingium regem tam male habuisse dicitur, ut infantis instar lacrimaverit. Decedente lamentatione, infit: cognita statim cæde Haldoris, Gregorium adire statueram; nam persvasum mihi erat, non diu moraturum Gregorium, quin ultionem exsequeretur; verum isti homines nihil tam necessarium existimabant, quam Jolensem istam compotationem, hanc differre nefas esse ducentes; certo enim scio, si ibi adfuissem, aut rem majori prudentia administratam fuisse, aut me ac Gregorium ad unum idemque hospitium devertisse. Verum occidit vir, qui

[1]) sagittam, *Hk.* [2]) omitt. *H.* [3]) homines, *H.*

mihi benevolentissimus fuit, quique rempublicam sub meo imperio diligentissime retinuit. Sed hactenus cogitaveram, inter ejus meamque mortem breve tempus fore. Itaque solus cum Hakonianis congredi conabor, aut mortem oppetiturus, aut hostes superaturus; quanquam talis tantique viri manibus non satis omnium hostium nostrorum cæde parentatur. Excepit aliquis: haud est, quod Hakonianos sedulo quæras; huc enim proficisci cogitant, tecum congressuri. Erat Osloæ Kristina, filia regis Sigurdi, regi Ingio patruelis. Quam ex oppido proficisci statuisse cum rex cognovisset, misso nuntio ab ea quæsivit, cur discedere vellet. Ea significavit, videri sibi res ad turbas spectare, neque eo loco commodam feminis mansionem esse. Cui rex: peto abs te, ne hinc discedas; nam, si victoria potiar, quod fore spero, hic lauta conditione uteris: si occumbam, amicis meis non potestas fiet componendi funeris mei, quare tu veniam hujus componendi petito; qua quidem re pro collatis in te beneficiis mihi gratiam maxime referre poteris.

Cap. 17. Vespere festi Blasii[1] [rex Ingius per speculatores certior factus, Hakonis in oppidum adventum exspectari, universas copias classico evocari, aciemque supra oppidum instrui jussit[2]; hic numerus militum initus, quadraginta hominum centuriæ. Aciem, quinque tantum ordinibus altam, in longitudinem extendit. Tum sui monere, ne prælio interesset, multum enim in illo periclitari; Ormum fratrem ejus copiis præficiendum. Quibus rex: existimo, si Gregorius viveret, atque hic adesset, meique exstincti cædem vindicandam haberet, haudquaquam fore, ut in latebris delitesceret, quinimo ipsum prælio successurum. Verum tamen, etsi multo quam

[1]) Festum Blasii incidit in 3. Februarii. [2]) omitt. *H.*

ille sim infirmior propter imbecillitatem valetudinis, mihi tamen haudquaquam voluntas magis deerit, quam illi; quare non est, quod quis exspectet, me prælio non interfuturum. Ferunt, Gunnhildam, quam Simon in matrimonio habuerat, alumnam Hakonis, ad victoriam ei impetrandam nocturna veneficia sub dio exercenda curasse, oraculo præcipiente, ut adversus Ingium noctu, nunquam interdiu, pugnarent, tum victoriam reportaturos. Thordisa Skegga[1] nominatur femina, quæ veneficia ista exercuisse dicitur; quod an verum sit, nescimus. Simon Skalpus, qui in oppidum regressus cubitum iverat, ad clamorem bellicum somno excussus est.

Cap. 18. Cum processisset nox, rex Ingius per exploratores certior factus est, Hakonem cum suis per exteriora adventare, glaciem[2] transgredientes, [quæ totum spatium ab oppido ad Höfudeyam usque occupabat. Tum rex Ingius cum copiis in glaciem progressus[3], aciem ante oppidum instruxit; Simon Skalpus cornu exteriori, Thrælabergum spectanti, præerat: cornu interius e regione monasterii monialium curabant Gudrödus, rex Hebudum, Olavi Bitlingi filius, et Jon, filius Sveinis, filii Bergthoris Bukki. Hakonianis aciem Ingii regis adpropinquantibus, utrinque clamor bellicus sublatus. Gudrödus ac Jon, signo armis dato, Hakonianos certiores fecerunt, qua parte aciei versarentur. Igitur Hakoniani eo intro se converterunt, quo facto Gudrödus cum quindecim hominum centuriis confestim terga verterunt: Jon cum magna manu ad Hakonem transiit, et cum eo pugnavit. Quod cum regi Ingio nuntiatum esset, ille: eheu, quantum amici amicis differunt! ista Gregorius nunquam in vita sua fecisset. Hortati sunt sui, ut conscenso equo

[1]) Segga, *Hk.* [2]) clivum, *Hk.* [3]) *Hk.*; omitt. *A, H.*

a loco prælii in Römarikum equitaret: ibi, inquiunt, sat copiarum hoc ipso die nancisceris. Haud inclinat animus, hæc ut faciam, inquit rex; sæpe audivi vos jactantes, id quod verum esse autumo, fratrem Eysteinem, postquam in fugam se dedisset, inhonesta morte periisse; qui tamen omnibus rebus, quæ regem condecorent, eximie instructus fuit. Quam ob rem intelligere possum, quantam ego, qui tam infirma sum valetudine, incursurus ignominiam sim, si id facere adgrediar, in quo ille tantopere offendit, qui me tantum strenuitate, valetudinis firmitudine, et in omnibus rebus fortitudine superavit. Alterum agens annum rex Norvegiæ creatus sum, nunc vero annum ætatis vicesimum quintum excessi, in imperio, ut mihi quidem videtur, plus difficultatis ac periculi, quam voluptatis ac deliciarum expertus. Qui cum admodum multa prælia fecerim, jam majoribus, jam minoribus copiis stipatus, in hoc maxime sum fortunæ benignitatem expertus, quod nunquam me fugæ mandaverim. Deus vitæ meæ arbiter sit, quam longa sit futura, fugæ vero me nunquam mandabo.

Cap. 19. Cum Jon et ejus socii aciem Ingii regis perrupissent, multi, qui proxime adstiterant, aufugerunt; quo facto disjuncta acies et in partes distracta est; Hakoniani vero acriter instabant. Adpropinquante luce impetus in signum regis Ingii factus, quo impetu rex Ingius cecidit, Ormo fratre ejus pugnam excipiente. Tum multi in oppidum refugerunt. Ormus bis in oppidum, postquam ceciderat rex, regressus, copias hortatus est, et utraque vice in glaciem progressus prælium redintegravit. Mox Hakoniani cornu aciei, cui Simon Skalpus præerat, adoriuntur. Eo impetu ex Ingianis cecidit Gudrödus Skavhögi filius, affinis regis; Simon vero Skalpus et

Halvardus Hiter[1], mutuo impetu facto, cum cohortibus suis inter se pugnabant, pugnantesque extra Thrælabergum præterlati sunt; in quo impetu utrique, Simon et Halvardus, ceciderunt. Ormus, frater regis, etsi postremo fugam capesseret, egregiam laudem consecutus est. Idem antea eadem hieme Ragnam[2], filiam Nicolai Masii, quam in matrimonio habuerat rex Eystein Haraldi filius, sibi desponderat, [dieque solis proxime insequenti nuptias celebraret; festum Blasii tunc in diem Veneris incidit[3].

Cap. 20. Ormus orientem versus in Svioniam ad fratrem suum Magnum, qui ibi tum rex erat, confugit; Rögnvaldus, frater ejus, (ibidem) dynasta erat. Hi filii erant Ingiridæ et Heinreki Claudi, qui filius erat Sveinis, filii Sveinis Danorum regis. Kristina, regis [filia, curavit funus[4] Ingii regis; conditus est in pariete lapideo ædis Halvardo dicatæ, extra adytum a parte australi; tunc annos viginti quinque rex fuerat. Eo prælio multi utrinque ceciderunt, multo vero plures ex Ingianis. [Ex Hakonianis cecidit Arnius Fridreki filius[5]. Hakoniani, præter ingentem vim prædæ, etiam totum apparatum convivii nuptialis ceperunt.

Cap. 21. Post hæc Hakon totum regnum sibi subjecit, omnes præfecturas, nec non emporia, suis administranda dedit. Is cum suis in æde Halvardi conventus de re publica habuit. Kristina, regis filia, sacerdotem, cui cura ædis commissa erat, pecunia corrupit, ut aliquem suorum in æde occultaret, qui sermones Hakonianorum audire posset. De quorum sermonibus certior facta Bergas misit ad Erlingum maritum, monens,

---

1) Hita, *H*; Hikrius, *Hk*. 2) Ragnildam, *H*. 3) dieque solis, proximo post festum Blasii, quod in diem Ven. incidit, nuptias suas celebraret, *H*. 4) *H*, *Hk*.; non cernuntur in *A*. 5) omitt. *H*.

ne illis unquam crederet. Quo cognito, Erlingus sic fecit: nuntium misit omnibus proceribus, quos fidos regis Ingii amicos fuisse novit, item aulicis virisque regio ministerio addictis, qui ex prælio evaserant, domesticisque Gregorii stipatoribus; his tempus locumque, quo convenirent, præstituit; ut vero congressi collocutique fuerant, confestim decretum est, ut societatem factionis integram conservarent; hocque stipulationibus inter se confirmarunt. Dein de eligendo rege mentionem injecerunt. Tum Erlingus Skakkius verba fecit, et procerum militumque sententias exquisivit, an filium Simonis Skalpi, regis Haraldi Gillii ex filia nepotem, regem, Jonem vero Halkelis filium factionis principem jubere vellent. Quod cum Jon detrectasset, rogatus est Nicolaus Skjaldvaræ filius, regis Magni Nudipedis ex sorore nepos, an princeps factionis esse vellet. Ille vero hunc in modum respondit: hanc suam esse sententiam, eum regem creandum, qui regio sangvine ortus esset, eum vero principem factionis, qui prudentiæ laude innotuisset; ita demum auxilia facilius comparari posse. Dein rogatus Arnius, regis affinis, an aliquem filiorum suorum, qui fratres regis Ingii erant, regem creari vellet, respondet, filium Kristinæ, filiæ regis Sigurdi Hierosolymipetæ, regiam in Norvegia dignitatem, generis habita ratione, optimo jure possidere: huic quoque is tutor est, cujus est officii et ipsius et reipublicæ tutorem esse, nempe Erlingus, pater ejus, vir prudens, severus, in re militari exercitatus, reique publicæ gerendæ peritus; cui, si fortuna adspiraverit, ad hanc rem strenuitas non deerit. Quæ sententia cum a multis probaretur, Erlingus infit: quantum audio, plerique, de hac re rogati, hoc difficile munus suscipere detrectarunt. Ego quo-

que æque incertum judico, etsi hoc negotium adgrediamur, utrum is, qui imperium hujus factionis suscipit, gloriam sit consecuturus, an accidat ei, quod multis antea usu venit, qui tam ingentia ausi, omnes fortunas amiserunt, quidam insuper vitam perdiderunt. Quod si vero hæc ratio successu non carebit, facile potest accidere, ut sint aliqui, qui hanc conditionem accipere voluissent; igitur necesse est ei, qui nunc hoc difficile munus suscipit, summa ope niti, ne munere suscepto adversarios sibi atque hostes habeat eos, qui hujus consilii nunc svasores et impulsores sunt. Affirmarunt omnes, hanc societatem integra fide faciendam esse. Erlingus perrexit: ut meam mentem aperiam, mihi quidem ad ipsam necem proxime accedere videtur præstandum Hakoni obsequium. Quam ob rem, etsi ista ratio mihi periculosissima videatur, malo tamen meo periculo rem vestro arbitrio permittere, imperiumque factionis suscipere, si vestra accedat voluntas et consensus, sique interposito jurejurando rem confirmare velitis. Consensere omnes. Itaque eo conventu decretum est, ut Magnus, filius Erlingi, rex crearetur. Habitis deinde in oppido comitiis Magnus Erlingi filius, tum quinquennis, rex totius Norvegiæ creatus est. Quo facto omnes præsentes, qui fidem suam regi Ingio obstrinxerant, in verba ejus jurarunt; quorum singuli eundem honoris titulum, quo apud regem Ingium usi erant, retinuerunt.

Cap. 22. Erlingus Skakkius peregrinationem suscepturus naves comparavit. Adduxit secum regem Magnum, omnesque, qui ibi aderant, viros juratos. Hujus itineris socii erant: Arnius, regis affinis, Ingirida, regis Ingii mater, hujusque duo filii, [Hakon et Jon Kutiza, filius Si-

gurdi Storgi, domestici Erlingi[1], nec non ii, qui Gregorii domestici fuerant. Omnino decem naves habuerunt. Profecti sunt in Daniam ad regem Valdemarem et Burizum Henreki filium, regis Ingii fratrem. Rex Valdemar regi Magno cognatione junctus erat: Ingibjarga, mater regis Valdemaris, et Malmfrida, mater Kristinæ, matris Magni regis, sorores erant, [quippe filiæ Haraldi Russiæ regis, [qui filius erat Valdemaris Jarizlevi filii[2]. Rex Valdemar eos humaniter excepit, ipseque et Erlingus sæpius inter se colloquia et consilia communicabant; quorum consiliorum, quæ quidem vulgo innotescerent, summa fuit: ut rex Valdemar regem Magnum ad subigendam obtinendamque Norvegiam tantis auxiliis, quantis opus esset, sublevaret, ipse vero easdem obtineret provincias, quas prisci cognati ejus, Haraldus Gormi filius ac Svein Furcobarbus, obtinuissent, nimirum provincias Vikenses usque ad Rygjarbitum. Hoc fœdus jurejurando et pactis specialibus confirmatum est. His actis Erlingus ac sui, Daniam relinquere parati, ab Vendilskago solverunt.

Cap. 23. Insequenti vere, statim post festum paschale, Hakon boream versus in Thrandheimum profectus est, omnes ducens naves, quæ regi Ingio fuerant. Actis in emporio comitiis rex totius Norvegiæ creatus, Sigurdo Reyrensi titulum dynastæ dedit. Dein Hakon ac sui austrum versus in Vikam usque profecti sunt; ipse rex Tunsbergum concessit, Sigurdum vero cum parte copiarum orientem versus Konungahellam misit, ut Erlingum ab austro advectum finibus prohiberet. Erlingus ac sui, cum Agdas attigissent, confestim boream versus Bergas con-

[1]) omitt. *H.* [2]) a proximo signo omitt. *Hk.*; a priore omitt. *H.*

tenderunt, ubi interfecto Arnio Brigidarskallio, præfecto regis Hakonis, extemplo orientem versus profecti sunt adversus regem Hakonem. Latuit Sigurdum dynastam, tum in Albi ad orientem hærentem, advectus ab austro Erlingus, rege Hakone interea Tunsbergi commorante. Erlingus, appulsis ad Rossanesum navibus, aliquot noctes ibidem substitit, rege se interea in oppido ad defensionem parante. Erlingus classem ad oppidum admovit. Sumtam onerariam aliquam lignis ac stipulis onerarunt, ignemque injecerunt; quæ, vento adversus oppidum spirante, delata ad oppidum est. Duobus revinctam funibus alligandam duabus cursoriis curavit, quæ pone remigio actæ cursum præcurrentis onerariæ moderabantur. Igne vero admodum ad oppidum adpropinquante, cursoriis vecti funes retinebant, ne oppidum inflammaretur; tanta autem fumi vis circumfusa oppido est, ut aciei regis Hakonis, quæ in pontibus stabat, omnem prospectum eriperet. Dein Erlingus, universa classe, qua parte adspirabat ad ignem ventus, admota, suos in hostes conjicere tela jussit. Oppidani, cum ignem ædibus adpropinquare viderent, multique telorum conjectu vulnerarentur, initis consiliis sacerdotem Roaldum Langtalam[1] ad Erlingum miserunt, ut sibi oppidoque incolumitatem impetraret; qui reversus impetratas inducias renuntiavit. Itaque aciem Hakonis regis deseruerunt. Digressis vero oppidanorum copiis, acies in pontibus consistens rarescere cœpit. Tum quibusdam Hakonianorum hortantibus, ut hostem exciperent, Önundus Simonis filius, quem penes summum in milites imperium erat, sic locutus est: minime pugnam commissurus sum ad

[1]) i. e. longa oratione utentem; Langtannam (longis dentibus), h. l. *A.*

regnum Sigurdo[1] comparandum, ipso procul absente. Dein aufugit Önundus, et omnes pæne milites, qui regem sequebantur, in terram se abripuerunt. Eo loco multi Hakonianorum ceciderunt. Tum hi versus compositi:

Önundus se prælio negavit
operam daturum, priusquam
ab austro Sigurdus dynasta
cum domesticis aduavigasset.
Egregii Magniani sursum per
plateam magno gradu feruntur,
sed juvenes Hakoniani
celeriter fugam capessebant[2].

Sic Thorbjörn Skakkii poeta:

Novi, domine, lati Tunsbergi incolas
tuum ad nutum libenter se convertisse;
lupi dentes cruore rubefacere,
haud sane difficultatem adfert.
Oppidi incolæ coruscantium
telorum volatum metuebant;
præliatores ignem et
tensum arcum timuerunt[3].

---

[1]) dynastæ, add. *H*, *Hk*.

[2]) Ordo: *Önundr kvaðst eigi myndu kosta við orrostu, fyrr en Sigurðr jarl a) sigldi sunnan með húskarla. Mætir Magnúss rekkar fara mjök upp at b) stræti, en haukar Hákonar skunduðu hart undan.*

a) *H*, *Hk.*; omitt. *A*. *b*) *um*, id., *H*; *á*, in, *Hk*.

[3]) Constructio: *Drottinn, ek frá gumna greitt snúna þèr a) í víðu b) Túnsbergi; era c) trauðr, at rjóða tennr d) griðar fars e). Bæjarmenn hræddust við rennu bjartra brodda; málma dynviðir ugðu eld ok sveigðan álm.*

a) *þar*, ibi, *H*. *b*) non cernitur in *H*. *c*) *erat*, id., *Hk.*; sequens *trauðr* pro substantivo accipio, sensum esse putans: Erlingus facile quidem potuisset incenso oppido stragem colonorum edere, sed minis contentus maluit eos per gratiam in partes suas perducere. *d*) *tenn*, id., *Hk*. e) etsi *far* de vehiculo forte explicari possit, et *griðar far*, vehiculum gi-

Hakon per mediterranea profectus in Thrandheimum descendit. Sigurdus vero, his cognitis rebus, cum omnibus quæ nansisci potuit navibus[1] boream versus ad Hakonem contendit.

Cap. 24. Erlingus omnes naves regis Hakonis, quæ Tunsbergi erant, cepit, ibidemque Bækisudam, quæ Ingio fuerat, recepit. Quo facto, universas Vikæ provincias in potestatem Magni redegit, omnesque qua profectus est tractus boreales; et hiemem Bergis transegit. Eo tempore Ingibjörnem Sipilem, præfectum Hakonis regis, in Fjördis interficiendum curavit. Rex Hakon, transacta in Thrandheimo hieme, insequenti vere imperatis copiis ac navibus, expeditionem adversus Erlingum facere paravit. Tum eum secuti sunt Sigurdus dynasta, Jon Sveinis filius, Eindridius Juvenis, Ögmundus[2] Simonis filius, Philippus Petri, [Philippus Gyrdi[3], Rögnvaldus Kunta, [Sigurdus Kœpa, Sigurdus Ruva, Fridrekus Kæna, Askel ab Forlando[4], Thordus, Gunnaris quæstoris filius, Bjarnius Stadensis[5].

Cap. 25. Erlingus Bergis versabatur, magnum habens copiarum numerum. Id consilii cepit, ut omnes mercatorias, boream versus in emporium navigaturas, quod navibus intermeantibus nimis celeres nuntios Hakoni venturos putabat, abitu interdicto detineret, causam interserens, Bergenses digniores esse, qui merces navibus advectas haberent, si vel pretio viliori venderentur, quam placeret onerariarum vecto-

gantidis, de lupo accipi, tamen vereor, ne h. l. mendum sit, lectioque *Hk.*, *fáks*, præferenda.

¹) cursu exteriore (extra insulas), add. *Hk.* ²) Önundus, *Hk.*, rectius. ³) omitt. *H.* ⁴) Örlando, *Hk.*, vide supra hist. Magni Nudipedis c. 7. ⁵) ab signo, omitt. *H*; pro cognominibus Kœpa et Ruva *Hk.* habet Kapa et Hjupa, ut *A* infra cap. 28.

ribus: potius quam ut hostibus nostris, inquit, et inimicis in commeatum supportentur. Jam naves in oppido magis magisque congregari, multis quotidie advenientibus, nullis abeuntibus; tumque Erlingus naves, quæ levissimæ erant, subducendas curavit, causatus, se eo loco mansurum, Hakonemque, si a borea advenisset, amicorum cognatorumque auxilio excepturum. Atque paulo post, die aliquo, Erlingus, navium gubernatoribus classico convocatis, omnibus navibus mercatoriis veniam proficiscendi quo liberet concessit. Ubi vero liberum commeatum ab Erlingo impetraverant, qui onerariis præfuere, quorum alii merces vendituri, alii alia negotia exsecuturi, ad profectionem omnino parati, rebus suis ordinatis, stabant: leniter spirante vento, et ad velificationem boream versus secundum litora commodo, ante horam tertiam pomeridianam ejus diei omnes, qui parati erant, vela in altum dederant; quorum quo velociorem quisque navem habebat, eo vehementius profectionem urgebat. Quæ naves, uno commeatu in Mæriam delatæ, incidunt in copias Hakonis, ipsumque regem auxilia cogentem et apparantem, præfectosque classiarios convocantem. Qui cum longo jam antea tempore nihil novi Bergis cognovissent, nunc ex omnibus navibus, ab austro advenientibus unam eandemque rem audiebant, Erlingum Bergis naves suas subduxisse, ipsumque illis eo loco haud dubie quærendum esse, magnis copiis stipatum. Inde rex Hakon Veeyam advectus, Sigurdum dynastam et Önundum Simonis filium ad copias navesque comparandas in Römsdalum misit, nuntiis quoque in utramque Mæriam dimissis. Paucis noctibus in emporio (Veeyensi) transactis, soluta classe aliquanto longius austrum versus profectus est, sperans auxilia eo citius adventura.

Cap. 26. Erlingus Skakkius onerariis veniam Bergis proficiscendi die dominica concesserat. Die vero Mercurii, missis celebratis, signo regia tuba dato, milites et oppidanos convocavit, navesque antea subductas deducendas curavit. Habita militum et classiariorum concione, consilium suum aperit, præfectos navium constituit, nomina descriptorum in regiam navem recitanda curat; quo facto concionem dimittit, unumquemque rogans, ut quo quisque loco constitutus esset, sese pararet; vitæ membrorumve jacturam minitans, si quis in oppido remaneret, ubi ipse Bækisudam e portu solvisset. Ormus, regis frater, eadem ipsa vespera e portu solvit; item pleræque naves, quæ antea in altum deductæ fuerant. Die Jovis, ante missas in emporio celebratas, Erlingus universam classem, navium viginti et unius, e portu solvit, vento spirante, ex australi regno navigantibus secundo. Adduxit secum regem Magnum, filium suum; multos quoque præfectos, qui pulcerrimas secum copias habuere. Provinciam Fjördensem prætervectus, cursoria versus interiora ad prædium Jonis Halkelis filii missa, Nicolaum, filium Simonis Skalpi ac Mariæ, regis Haraldi Gillii filiæ, arcessendum curavit; quem secum missi ad classem abduxerunt, et regiæ navi imposuerunt.

Cap. 27. Die Veneris jam ante lucem ingressi sunt (sinum) Steinavogum. Rex Hakon in portu, ... dicto, classem quatuordecim[1] navium in ancoris tenuit. Ipse cum suis in insula ludo se oblectabat; præfecti ejus in tumulo aliquo considebant. Vident scapham ab austro insulam advehi, qua duo homines vecti corpora ad carinam usque proclinabant, neque minori stu-

[1]) Sic *A*, in quo a prima manu 13 fuisse videtur; 13, *Hk.*; 17 v. 22, *H.*

dio remos prorsum moliebantur. Qui ut terram attigerant, scapha non religata, utrique in pedes se conjecerunt. Quod conspicati proceres, inter se disserunt, hos haud dubie aliquid novi afferre. Surgunt; obviam eis procedunt. Ut eos convenerunt, Onundus Simonis interrogavit: ecquid de Erlingo Skakkio referre habetis, cum tam vehementer properetis. Is, qui prior edere vocem præ lassitudine potuit, respondit: huc adnavigat ab austro Erlingus, circiter viginti ducens naves, plerasque ingentis magnitudinis, quarum vela propediem videbitis. Tunc Eindridius Juvenis: nimis prope nasum, ait rusticus, oculum telo percussus. Eo propere se convertunt, ubi ludebatur. Mox tuba signum datum, omnesque copiæ ad naves classico quam vehementissime accitæ. Aderat id tempus diei, cum jentaculum pæne paratum esset. Hic universi ad naves tendere, et in proximas quasque currere; unde impari numero instructæ sunt. Tum alii remos corripere, alii malos erigere, naves boream versus flectere, et cursum ad Veeyam dirigere; nam multum auxilii ab oppidanis exspectabant. Mox utrique alterorum vela conspicere. Eindridius Juvenis navem longam duxit, Draglöuam appellatam, ingentis magnitudinis, justo vero paucioribus militibus tum instructam; nam hujus navis propugnatores in alias discurrerant; hæc navis ex classe Hakonis postrema ibat. Eindridium e regione insulæ Sekkæ advectum assecuta est Bækisuda, quam duxit Erlingus Skakkius; hi itaque naves suas conjunxerunt. Hakon vero ad Veeyam fere successerat, cum sonitum tubarum audiverunt, naves enim proximæ reverterant, opem Eindridio laturæ. Tum utrique in pugnam successere, certamine non diu durante, cum acies in nave regis Hakonis rupta est, aliis cadentibus, aliis in mare descendentibus.

Cap. 28. Hakon griseo amiculo se induit, et in aliam navem transcurrit; ubi cum brevi tempore moratus esset, animadvertit, se in globum hostium incurrisse; et cum circumspiciens nullos ex suis, neque ullam suam navem in vicinia videret, in Bækisudam transgressus, cohorti defensorum proræ se immiscuit, pacemque petiit; a quibus receptus vitaque donatus est. Eo impetu magna strages, major tamen Hakonianorum, edita fuerat; ceciderat in Bækisuda Nicolaus, filius Simonis Skalpi, cujus cædes ipsis Erlingianis imputata est. Dein intermisso prælio, naves inter se disjunctæ sunt. Tum Erlingo nuntiatur, in nave ipsius Hakonem versari, jam receptum a proræ propugnatoribus, hosque eum defensuros denuntiasse. Erlingus in anteriorem navis partem misit, qui proretis præciperet, ut regem Hakonem custodirent, ne elaberetur: se non restiturum, quin rex vita donaretur, si ceterorum procerum concensu fieret, sique ex eo loco de pace ageretur. Quæ dicenti proretæ summam ei felicitatem gratulabundi adprecati sunt. Tum Erlingus tubam vehementer inflari, suosque naves nondum devastatas adoriri jussit, non enim meliorem occasionem ulciscendi regis Ingii nacturos. Tum universi, bellico clamore edito, alius alium hortari, et ad impetum faciendum ruere. In quo tumultu rex Hakon letali plaga vulneratus est. Ubi vero Hakoniani animadverterunt, regem cecidisse, strenuo remigio hostes adorti, clypeos abjecerunt, gladios ambabus manibus librarunt, vitamque omnino contemserunt. Quæ temeraria audacia ingens ipsis damnum attulit; nam Erlingiani nuda corpora facile conficiebant. Hoc loco maxima pars Hakonianorum cecidit, eam maxime ob causam, quod multo erant numero inferiores, seque parum armis tu-

tabantur, nullisque precibus petentium pacem locus dabatur, nisi si quos proceres in fidem receptos, pecuniam stipulati, servabant. Hi ex Hakonianis cecidere: Sigurdus Kapa, Sigurdus Hjupa[1], Rögnvaldus Kunta; aliquot naves elapsæ, intro in provinciam Fjördensem navigarunt, quarum vectores ita saluti consuluerunt. Funus Hakonis regis in Römsdalum deportatum, ibique humatum; postea vero ab rege Sverrere, fratre Hakonis, boream versus in emporium (Nidarosi) devectum, et in muro lapideo ædis Christi, ad australe latus adyti, conditum.

Cap. 29. Sigurdus dynasta, Eindridius Juvenis, Önundus Simonis filius, Fridrekus Kæna, pluresque ex proceribus reliquias factionis collegerunt, relictisque in Römsdalo navibus, in Uplanda se contulerunt. Erlingus Skakkius et rex Magnus cum copiis boream versus in emporium profecti, quacunque iter facerent, terram sibi subjecerunt. Quo facto Erlingus comitia Eyrensia indici jussit, ubi Magnus rex totius Norvegiæ creatus est. Hoc loco Erlingus brevi tempore[2] moratus est, quod Thrandi in eum ac filium animo parum fideli esse videbantur. Tum Magnus totius imperii rex salutatus est. Fuit rex Hakon eximia oris pulcritudine, apta membrorum proportione, procerus et tener, latioribus humeris; unde a militibus Humeros-latus appellatus. Cum vero tenera esset ætate, rei publicæ administrandæ cura proceribus commissa. Idem hilaris et in sermone modestus, ludis deditus, ingenio moribusque, quales fere juvenibus esse solent; apud populum gratiosus.

[1]) Vide supra cap. 24. not. 4. [2]) Sic *Hk.*; aliquantum temporis, *A.*

HISTORIA REGIS MAGNI ERLINGI FILII.

HISTORIA
REGIS MAGNI ERLINGI FILII.

Cap. 1.

Marcus Skogensis nomen erat viro Uplando, cognato Sigurdi dynastæ. Hic filium regis Sigurdi Haraldi filii, nomine Sigurdum, enutrivit, quem Uplandi, auctoritate Sigurdi dynastæ ceterorumque procerum, qui regem Haconem secuti fuerant, regem crearunt. Hi etiam nunc magnam habuerunt militum copiam, qui sæpe bipartito erant divisi, rege et Marco loca infestiora vitantibus, Sigurdo dynasta, suis cum cohortibus, præfectisque periculo se magis objicientibus. Illi plurimum per Uplanda agmen duxerunt, indeque excursiones in Vikam fecerunt. Erlingus Skakkius regem Magnum, filium suum, adsidue secum duxit, remque navalem et regni tuendi præsidia administrabat. Proximo autumno Bergis aliquantum temporis egit, inde orientem versus in Vikam profectus Tunsbergi consedit, eoque res ad hiemandum necessarias conduxit, tributis ac mercedibus, quæ regi debebantur, per Vikam ad se contractis; habuit copias ornatas et magnas. Cum vero Sigurdus dynasta parum ditionis, magnam vero multitudinem copiarum alendam haberet, brevi difficultate rei frumentariæ laborare cœpit; quo factum est, ut, præfectis absentibus, commeatus modo injusto, partim iniquis criminibus, partim apertis rapinis compararetur.

Cap. 2. Eo tempore respublica Norvegica magnopere florebat, multitudo rusticorum divitiis

et opibus pollebat, oppressionibus et violentis injuriis factionum nondum adsveta; qua re, si quando populationes fiebant, variis vulgi rumoribus et narrationibus materiam præbuerunt. Vikenses integram cum rege Magno et Erlingo amicitiam coluerunt, cujus causa erat [rex Ingius Haraldi filius[1], cujus castra Vikenses cum omnibus opibus suis semper secuti fuerant. Erlingus custodias in oppido disposuit, duodenis viris singulis noctibus vigilias agentibus. Idem frequenter conventus colonorum habuit, in quibus sæpe de motibus Sigurdianorum disputatum est; et hortatu Erlingi et militum factum est, ut coloni unanimi consensu declararent, reipublicæ salutare fore, si effici posset, ut ista factio in perpetuum profligaretur. Qua de re Arnius regis affinis longam orationem habuit, postremo durius in eos invectus: oravit omnes, qui comitiis interfuerunt, milites, colonos, oppidanos, ut armis concrepando decernerent, Sigurdum dynastam cum tota ista factione vivum mortuumque[2] diabolo devovendum. Sed vehementia et immoderato ardore vulgi factum est, ut omnes consentirent; quare hæc inaudita res facta et sancita est, prouti fert usitata in comitiis sciscendi consvetudo. [Sacerdos Roaldus Langtala, vir discrtissimus, de eadem re disseruit, cujus orationi idem, atque ceterorum, argumentum et finis erat[3].

Cap. 3. Sigurdus dynasta, lectissimis suorum adsumtis, in Vikam descendit, ubi multi vi coacti in ejus partes transierunt, multi pecunias pependerunt. Hoc modo multa loca in mediterraneis obiit, hic illic subito superveniens. Fuere

[1]) gratia, qua rex Ingius usus fuerat, *H*, *Hk*. [2]) vivos mortuosque — (devovendos), *H*. [3]) ab signo omitt. *H*; Erlingus convivia Jolensia Tunsbergi celebravit, ibidem stipendia distribuit militibus festo Candelarum, add. *Hk*.

inter hujus factionis homines nonnulli, qui clam pacem ab Erlingo impetrare conabantur; quibus ea reddita responsa sunt, omnibus petentibus vitam concessum iri, hi vero soli venia in patria manendi uterentur, qui nihil graviter in Erlingum deliquissent. Sed prærepta civitatis spes multos militum a deserenda factione avertit: multi enim erant, qui sibi conscii erant criminum, quæ haud dubie gravia judicaturus Erlingus fuisset. Philippus Gyrdi filius, pace ab Erlingo donatus possessionibus suis receptis, ad prædia sua reversus est. Paulo post missi ab Sigurdo dynasta domi oppressum necarunt. Alteri alteris multas clades intulerunt, tam insectationibus, quam cædibus hominum; ex quibus hoc loco de his solis mentionem faciemus, quæ inter se principes gesserunt.

Cap. 4. Primo jejunii tempore Erlingus per speculatores certior factus est, Sigurdum dynastam congredi secum statuere, eumque jam hic jam illic versari, interdum propius, interdum in locis remotioribus. Quo cognito speculatores in omnes partes dimisit, ut, quocunque devenissent, certior fieri posset de loco, ubi versarentur. Idem quovis vespere omnes copias classico evocatas ex oppido ad loca superiora duxit, ubi hac hieme milites uno loco collecti noctu quiescebant, semper in ordines dispositi. Dein Erlingo per exploratores nuntiatum, Sigurdum dynastam cum suis prope inde in territorio Reensi versari. Itaque Erlingus iter ingressus, omnes oppidanos, qui pugnæ habiles et armati essent, nec non mercatores ex oppido eduxit, relictis solis duodecim viris, qui oppidum custodirent. Profectus est ex oppido die Mercurii secunda hebdomade jejunii longi, post horam tertiam pomeridianam, singulis bidui cibaria secum feren-

tibus. Noctu profecti, copias tardius ex oppido educebant; singulis equis[1] bini utebantur. Initus copiarum numerus tredecim ferme centurias effecit. Exploratores obviam facti nuntiarunt, Sigurdum dynastam in oppido territorii Reensis, dicto Komsneso[2], versari, cum quinque centuriis hominum. Tum Erlingus, convocatis copiis, quæ cognoverat aperit; omnes vero hortari, properarent et hostes domi opprimerent, aut statim eadem nocte prælium committerent. Erlingus hunc in modum verba fecit: haud improbabile est, me ac Sigurdum dynastam propediem congressuros; nam in ista factione multi sunt homines, quorum factorum memoriam servare deberemus, hi enim regem Ingium obtruncarunt, tantamque amicorum nostrorum multitudinem, ut iniri numerus haud expedite queat. Quæ facinora magnam partem vi diabolica adjuti nefario modo exercuerunt: docet enim lex nostra et jus civile, neminem hominem tantum in se scelus admittere, quin nefarium facinus cædesque furtiva appellanda sit, si quis alterum noctu interficiat. Nimirum hæc factio, admonitu hominum magiæ peritorum, inde sibi fortunam pollicita est, si nocturno tempore, non sole lucente, prælia committeret; atque hac ratione talem victoriam consecuti sunt, ut tantorum principum ab se humi prostratorum capita supergressi sint. Nos, qui sæpius declaravimus et ostendimus, quantum ab recto nobis abhorrere horum ratio videatur, qui noctu prælientur, potius exempla sequemur nobis notiora et imitatione digniora eorum imperatorum, qui clara luce et instructa acie pugnant, non vero hostes nocturno tempore furtim opprimemus; satis ad-

[1]) et clypeis, add. *Hk.* [2]) Ramneso, *Hk.*; in *H* non cernitur nisi *Ros . . .*; *Fagrsk.* prædium nominat *Dyndúxstaðir.* Forte Romsneso, cf. infra cap. 33.

versus eos copiarum habemus: lucem exspectemus, aciemque instructam contineamus, si forte impetum in nos dabunt. Posthæc consedit acies; alii dissolutis fœni acervis cubilia sibi straverunt, alii clypeis insidentes lucem exspectarunt[1].

Cap. 5. Nulla ad Sigurdum dynastam fama præcurrerat de Erlingo, prius quam prope advenisset. Tum sui surrexerunt, seque armis induerunt; incerti, quantum numerum copiarum Erlingus haberet, alii fugam capessere, alii eo loco hostem excipere voluerunt. Sigurdus erat prudens et disertus, sed animo ad pericula adeunda minus audaci esse credebatur. Ille tunc pronior erat ad fugiendum, qua re magnopere culpatus est. Die illucescente, utrique acies instruxerunt. Sigurdus dynasta supra pontem, inter hunc et oppidum, aciem instruxit; exiguus enim amnis eo loco erat. Erlingus ultra amnem copias instruxit; pone aciem stabant equites bene armati, qui regem secum habuerunt. Sigurdiani, se numero inferiores esse intelligentes, in silvam effugiendum esse censebant. Quibus Sigurdus dynasta: dicitis, nullam mihi inesse fortitudinem animi; id nunc res probatum dabit; caveat quisque, ne me prior fugiat aut trepidet; locum tenemus, ad defensionem idoneum. Eos pontem transgredi sinamus; ubi vero signum per pontem transierit, e loco superiore in eos ruamus, neque quisquam ordines deserat. Sigurdus dynasta indutus erat tunica phœnicea, toga rubra, cujus laciniæ collectæ erant; calceos limbis circumseptos pedibus gestavit. Clypeo et gladio, qui Bastardus appellabatur, usus est. Tum dynasta: novit Deus, me malle uno Bastardi ictu posse Erlingum attingere, potius quam magnam auri vim consequi.

[1]) cœlum erat frigidum, nivesque decidebant, add. *Hk.*

Cap. 6. Cum milites ad pontem procedere vellent, Erlingus eos adverso flumine iter facere jussit: hic amnis (inquit) exiguus est, neque, qua planum est, transitu difficilis. Sic factum. Manipuli Sigurdi dynastæ in ripa opposita adverso flumine secundum[1] clivum tendebant. Præterito clivo, cum facilis per amnem transitus pateret, Erlingus suos jussit „Pater noster" canere, et orare, ut victoria potirentur, quibus magis expediret. Tum recitarunt „Kyrie eleison", armis ad scuta concrepantes; quo strepitu tres hominum centuriæ ex copiis Erlingianis aufugerunt. Tum Erlingus cum suis amnem transgressus est. Milites dynastæ clamorem quidem sustulerunt, sed impetus in Erlingianos præter clivum minus dextere successit; nam prælium in anteriori clivo initum est. Res primo hastis punctim, dein gladiis cæsim gesta, cedente vexillo dynastæ, ut Erlingus ac sui in clivum eniti possent. Brevi exinde pugnatum, cum milites dynastæ in silvam fugerunt. Sigurdus remanens, suis hortantibus, ut fugam capesseret: jam procedendum, inquit, dum liceat. Tum gladios ad utrumque latus vibrarunt. Cecidit hoc loco Sigurdus dynasta et Jon Sveinis filius, cum sexaginta militibus. Erlingiani, paucis suorum amissis, fugientes ad silvam persecuti sunt; hic Erlingus suis consistere jussis, reversus incidit in servos regios, vestes Sigurdo nondum mortuo detrahentes. Gladius, quem vagina condiderat, juxta illum jacuit. Quo Erlingus sublato servos percussit, eosque facessere se jussit. His gestis rebus Erlingus reversus, Tunsbergi consedit. Septem post no-

---

[1]) *upp eptir*, quod h. l. *A* et *Hk.* habent, idem valet ac *upp með*, quod h. l. *Fagrsk.* præfert. Quod non observaveram ad Scr. hist. Isl. Vol. 5. p. 104. not. 2.

ctibus quam ceciderat dynasta, Eindridius[1] Juvenis ab Erlingianis captus, et cum omnibus navis vectoribus interfectus est.

Cap. 7. Marcus Skogensis et Sigurdus, alumnus ejus, initio veris in Vikam descenderunt, ibique naves compararunt. Quo cognito Erlingus orientem versus profectus est ad eos insectandos. Konungahellæ convenerunt. Marciani in insulam Hisingam fugerunt, cujus incolæ, Hisingi, ad eos magno numero transierunt. Erlingianos insulæ advectos Marciani telis eminus petierunt. Tum Erlingus suis: naves eorum capiamus, ne vero in terram egrediamur, cum his insulanis pugnaturi; nam Hisingi sunt oppugnatu difficiles, acres et imprudentes. Sed factionem minime poterunt diu apud se habere, cum Hisinga exigua insula sit. Sic factum: captæ naves, et Konungahellam transportatæ. Marcus ac sui in Markas se contulerunt, exploratoribus ab utraque parte dimissis; Erlingus, evocato ex provinciis milite, magnum contraxerat copiarum numerum; et utrique alteri in alteros impetum fecerunt.

Cap. 8. Eystein, filius Erlendi Himaldii, archiepiscopus electus erat post Jonem Birgeris filium, eodemque anno, quo rex Ingius cecidit, inauguratus. Qui cum sedem archiepiscopalem occupasset, omnium civium gratiam sibi conciliavit. Erat generis nobilitate et animi magnitudine clarus. Ab Thrandis libentissime exceptus est, plerique enim ex nobilibus provinciarum Thrandheimicarum ei cognatione aut aliquo affinitatis vinculo juncti, omnes vero amicissimi erant. Archiepiscopus cum colonis agere cœpit, primo de inopia rei pecuniariæ, qua sedes episcopalis la-

[1]) Sic *Hk.*; aliquis ex militibus Einaris, *A*, *H*.

boraret, tum quoque quantis opibus ad eam sublevandam opus esset, si eo magnificentiori quam antea modo instauraretur, quo tunc erat, posita ibi sede archiepiscopali, excellentior. Postulavit ab colonis, ut pecuniam mulctatitiam sibi debitam unciis argenteis solvendam decernerent, cum ei antea unciæ mulctatitiæ ejusdem valoris, atque ipsi regi, solutæ essent; hæ autem unciæ valore tantum differunt, ut uncia argentea, quam ille postulavit, duplo major sit. Auxilio cognatorum et amicorum archiepiscopi, ipsiusque auctoritate factum est, ut hic pensionis modus per omnes provincias Thrandheimicas legibus sanciretur; idemque in omnibus provinciis, quæ in ejus diœcesi erant, invaluit.

Cap. 9. Sigurdus ac Marcus, relictis in Albi navibus, cum se nihil damni Erlingo inferre intelligerent, in Uplanda conversi, per mediterranea boream versus in Thrandheimum profecti sunt, ubi liberaliter excepti sunt. Sigurdus in comitiis Eyrensibus rex creatus est; multique nobiliorum virorum filii factioni se adjunxerunt; quo facto naves sibi quam celerrime compararunt, et procedente æstate in Mæriam profecti, quacunque iter facerent, omnes reditus regios occuparunt. Hi præfecti Bergis curam terræ defendendæ habebant: Nicolaus Sigurdi filius, Nökkvius Pauli; præter hos Thorolvus Dryllus centurio, Thorbjörn quæstor, multique alii. Marciani a borea profecti, cum cognovissent, magnam Erlingianorum multitudinem Bergis versari, cursu meridiem versus extra insulas directo, Bergas prætervecti sunt; vulgoque dicebantur Marciani ea æstate, quoquo vellent navigare, ventis faventibus uti.

Cap. 10. Erlingus Skakkius, cognito, Marcianos cursum a borea flexisse, septemtrionem ver-

sus in Vikam contendit, copiasque contraxit, quarum magnum numerum nactus, magnasque ac multas naves habens, cum boream versus in Vikam contenderet, adversis ventis detentus diu hic illic ea æstate in portibus hæsit. Marciani vero, cum orientem versus in Listium venissent, cognito, Erlingum immensas in Vika copias habere, boream versus reverterunt. In Hördiam delati, Bergas adoriri statuerunt; sed prope oppidum advectis Nicolaus cum suis ab oppido remigans occurrit, numero copiarum et magnitudine navium longe superior. Hinc Marciani nihil sibi reliqui esse videntes, austrum versus remis effugerunt; alii austrum versus in Sunda (freta) contenderunt, alii in Fjördos penetrarunt; Marcus cum parte copiarum in insulam, Skarpam dictam, excurrit. Nicolaus, captis navibus eorum, Joni Halkelis filio et aliquot aliis pacem concessit, plerisque quos assequi potuerant interfectis. Aliquot post diebus Eindridius Heidafylja[1] Sigurdum et Marcum deprehendit; hi Bergas deportati; Sigurdus ante Gravdalum securi percussus, Marcus cum altero viro in Hvarfsneso suspensus. Hoc accidit festo Michaelis[2]. Quo facto factio, quæ eos secuta fuerat, dispersa est.

Cap. 11. Fridrekus Kæna, Bjarnius Malus, Önundus Simonis, Örnolvus Skorpa[3]: hi aliquot navibus vecti in altum remigarant, cursuque extra insulas directo orientem versus terram circumflexerunt; quocunque ad terram appulissent, amicos Erlingi depopulati interfecerunt. Erlingus vero, cognita cæde Sigurdi ac Marci, præfectis et militibus veniam redeundi domum concessit, ipse vero classem orientem versus per sinum

[1]) *H*; *Heiðafyla*, *Hk*; non cernitur in A. [2]) Nicolai, *H*.
[3]) *H*, *Hk*; Skorpiensis, *A*.

Foldensem transduxit; hic enim Marcianos commorari, fama tulerat. Erlingus Konungahellam contendit, ibique per autumnum moratus est. Prima hiemis hebdomade in insulam Hisingam trajecit, magno stipatus copiarum numero, atque hic comitia indixit. Hisingi descenderunt, et comitia celebrarunt. Quos Erlingus accusavit, quod in partes Marci ac Sigurdi transiissent, aciemque adversus se instruxissent. Özur nomen erat viro colonorum opulentissimo, qui eorum nomine verba fecit. Hic cum diu disputatum esset, tandem coloni rem sententiæ Erlingi datis dextris permiserunt. Hic, moram hebdomadis præstituens, quindecim colonos in oppido adesse jussit. Quo cum venissent, constituit Erlingus, ut tres boum centurias (trecentos et sexaginta boves) penderent. Rediere coloni, sorte sua male contenti. Paulo post amnis glacie constitit, navesque Erlingi itinere interclusæ. Tum coloni mulctam retinere, et aliquantum temporis cogendis copiis insumere. Erlingus convivium Jolense in oppido apparavit, Hisingi vero compotationes collatitias agitabant, et magnam manum per tempus Jolense collectam habuerunt. Nocte post feriam quintam festi Jolensis Erlingus in insulam trajecit, Özurem in ædibus circumventum cremavit, centum omnino homines interfecit, et tres villas inflammavit; quo facto Konungahellam rediit. Post hæc coloni ad eum venerunt, et ei tum mulctam pependerunt.

Cap. 12. Erlingus Skakkius, ut primum aquæ glacie solutæ naves admittebant, insequenti vere iter Konungahella paravit. Cognovit, qui antea castra Marci secuti fuerant, populationem in Vikæ parte boreali facere. Quorum itineribus per speculatores exploratis, in portu quodam jacentes oppressit. Önundus Simonis et Örnolvus

Skorpa elapsi, Fridrekus Kæna et Bjarnius Malus capti, multis suorum interfectis. Fridrekum ancoræ alligatum in mare dejici jussit Erlingus, eo facinore gravissimum odium sibi contrahens in provinciis Thrandheimicis, ubi Fridrekus nobilissimam familiam habuit. Bjarnium suspendi jussit, qui, ut solitus est, impudentissima verba, antequam suspenderetur, locutus est. Sic Thorbjöru Skakkii poeta:

Ab oriente sinus Erlingus
piratas fato impedivit;
quæ loca obiens Kæna, multis
hominibus damna facessivit.
Dens ancoræ adaptatus est
humeris Fridreki; paulo superius
malignus Bjarnius arbore
hominibus infelici pependit[1].

Önundus et Örnolvus cum corhortibus, quæ evaserant, in Daniam profugerunt, jam in Gothia, jam in Vika se continentes.

Cap. 13. His gestis Erlingus Tunsbergum contendit, ibique multum veris commoratus est; appetente vero æstate Bergas profectus est, quo jam magna hominum frequentia convenerat. Aderat ibi Stephanus legatus Romanus, Eystein ar-

---

1) Constructio: *Erlingr a) dró b) urð α) at víkingum austanfjarðar: margr maðr fékk mein af Kænu c), er han fór þaðra. Fleinn var d) færðr meðal herða Friðreks; illgjarn Bjarni skolldi β) nökkvi e) ofar við tre,* [*óþörf öldu. f)*

a) H, Hk.; abbreviatum in *A.* *b) þar, H.* *c) kvænu, H.* *d)* omitt. *H.* *e) nokkvi,* id., *Hk.* *f)* Sic et *Á*; *á þorp* (mend.) *öldu, H*; *óþarfr öldum, Hk.*, hominibus noxius, refer. ab *Bjarni.*

α) Hk. T. 3. et 6. *urð* pro satellitio, id. q. *verðung*, accipiunt, de qua significatione dubitavi ad Script. hist. Isl. Vol. 5. p. 27. not.; *urðr*, parca, h. l. fatum, exitium. *β) Hk.* T. 3. et 6. vertunt *ofar nökkvi*, supra navem, sed tum debuerat esse *ofar nökkva*; opponitur h. l. mors submarina morti sublimi.

chiepiscopus, omnesque[1] Norvegiæ episcopi: aderat et Brandus episcopus Islandiæ, jam inauguratus; aderat Jon Lopti filius, regis Magni Nudipedis ex filia nepos, cujus cognationem tam rex Magnus, quam ceteri propinqui, jam agnoverant. Eystein archiepiscopus et Erlingus sæpe soli inter se colloquebantur; atque aliquando inter sermocinandum quæsivit Erlingus: an verum est, domine, quod vulgo dicunt, te in mulctis pecuniariis ab colonis provinciarum borealium exigendis valorem unciarum auxisse? Reposuit archiepiscopus: verissimum est, colonos mihi concessisse, ut in exigendis mulctis pecuniariis, mihi debitis, unciarum valorem augerem; quod sponte, nemine cogente, fecerunt, eaque re gloriam Dei et opes sedis nostræ auxerunt. Erlingus contra: num sic, domine, jubent leges ab sancto rege Olavo datæ? nonne hæc paulo iniquius, quam ex legum præscripto, postulasti? Archiepiscopus: sanctus rex Olavus haud dubie leges, populo affirmante et consentiente, posuit; at vero nihil ejus[2] legibus inest, quod augeri jus divinum vetet. Erlingus: quod si jus tuum augere velis, haud dubie nos adjuvare voles, ut æqua parte jus regium augeamus. Archiepiscopus: satis jam antea auxisti titulum et imperium filii tui; si vero contra leges est, quod uncias majoris valoris ab Thrandis exegi, gravius contra leges delictum existimo, quod is imperium regni tenet, qui rege natus non est; quod neque sinunt hujus regni leges, neque ullo exemplo confirmatur. Erlingus: quod Magnus rex imperii Norvegici creatus est, hoc te sciente, tuaque et ceterorum hujus regni episcoporum auctoritate factum est. Archiepiscopus: tunc, Erlinge, pollicitus es, si tibi de creando rege Magno consensissemus, te jus divinum ubi-

[1]) ceterique, *Hk.* [2]) *H, Hk*; Dei, *A.*

que locorum omnibus nervis firmaturum. Erlingus: fateor me pollicitum esse, jura[1] divina et civilia omnibus meis regisque opibus servaturum[2]. Ego vero melius consilium perspicio, quam ut uterque nostrum migratæ fidei alterum insimulet: omnia inter nos conventa et pacta servemus; tu, prouti es pollicitus, regem Magnum ad imperium obtinendum adjuva, ego vero tuam auctoritatem et commoda omnibus in rebus promovebo. Ita omnis disputatio leniter inter acta. Tum Erlingus: si Magnus rex non creatus est more in hoc regno antiquitus recepto, tu divinis[3] auspiciis regia eum inauguratione ornare potes, convenienter legibus divinis, [quarum præscripto rex imperio initiandus ungi solet[4]. Etsi autem non rex sum, regiove sangvine ortus, tamen fuere nostra memoria plerique reges, qui legum jurisve civilis prudentia me non æquarint; mater vero regis Magni est filia regis et reginæ ex justo connubio, unde sequitur, Magnum esse reginæ, atque legitimæ uxoris, filium. Quod si eum ornare regia inauguratione velis, nemo exinde eum regia dignitate privare jure poterit. Non fuit Viljalmus Bastardus rege natus, et tamen rex Angliæ inauguratus et coronatus est, ex quo tempore regnum Angliæ in ejus familia mansit, omnesque ejus successores coronati fuerunt. Neque Svein Ulvi filius, Danus, regis filius fuit, et tamen ibi rex coronatus est, atque deinde filii ejus, horumque nepotes unus post alterum reges coronati. Cum vero hoc in regno sedes archiepiscopalis sit, quæ res ad augendam patriæ dignitatem et amplitudinem multum confert: nos insuper gloriam civitatis præclaris institutis augeamus, regemque habeamus coronatum,

[1]) præcepta, *Hk.* [2]) et firmaturum, add. *Hk.* [3]) tuis, *Hk.* [4]) omitt. *H.*

haud secus quam Angli et Dani. Dein archiepiscopus et Erlingus de hac re sæpius disputarunt, ita ut optime inter eos conveniret. Mox Erlingus, re coram legato proposita, hunc facile sibi consentientem habuit; tum convocatis episcopis suffraganeis et clericis, rem cum his communicavit. Qui omnes unum idemque responsum dederunt, dicentes, sibi probari quæ archiepiscopo placerent; ubi vero animadvertebant, placere archiepiscopo, hortati sunt, ut inauguratio perageretur.

Cap. 14. Erlingus Skakkius splendidum convivium in ædibus regiis adornandum curavit. Ingens illa aula tota aulæis ex bombyce coccina et stragulis[1] velata, maximoque sumtu ornata; hic aulicis omnibusque ministris regiis epulæ structæ. Aderant multi principes, magnusque convivarum numerus. Tunc Magnus ab Eysteine archiepiscopo rex inauguratus. Dum inaugurabatur, præsentes aderant quinque alii episcopi, legatus et magnus clericorum numerus. Erlingus Skakkius et cum eo duodecim[2] præfecti solemne jusjurandum cum rege dixerunt; et eo die, quo inauguratio peragebatur, rex et Erlingus archiepiscopum, Stephanum legatum omnesque episcopos ad cœnam invitatos splendidissimis epulis exceperunt, multaque eximia munera dederunt. Tum rex Magnus octo annos erat, tresque hiemes rex imperaverat.

Cap. 15. Eo tempore Valdimar Danorum rex id novi ex Norvegia cognoverat, Magnum solum huic regno imperare, omnesque alias factiones, quæ regnum invaserant, profligatas esse. Itaque legatos cum literis misit ad regem Magnum et Erlingum, quorum in memoriam pacta revocavit, quibus Erlingus, ut supra scriptum, regi Valdi-

[1]) aulæis tricliniariis, *Hk.* [2]) alii, add. *H.*

mari pollicitus erat, si Magnus monarcha Norvegiæ fieret, provincias Vikenses ad Rygjarbitum usque ditione obtenturum. Legati profecti sunt, et Erlingo literas Danorum regis ostenderunt. Ut vero intellexit Erlingus regis Danorum postulata, rem ad alios, quibuscum communicare consilia consveverat, retulit; qui uno ore dixerunt, nihil unquam Norvegiæ Danis cedendum, afferentes, quod verum erat, ea tempora Norvegis infelicissima fuisse, quibus Dani imperium regni tenuissent. Legati de hac re cum Erlingo disseruerunt, ejusque sententiam expoposcerunt. Erlingus eos insequenti autumno comitari se in Vikam jussit, se enim, cum viros in Vika prudentissimos convenisset, sententiam dicturum. Insequenti autumno Erlingus orientem versus in Vikam profectus, Tunsbergi commoratus est, legatisque Borgam transmissis, quatuor provinciarum conventum Borgæ indixit. Huc Erlingus cum suis copiis se contulit. Positis comitiis Erlingus verba fecit, exposuitque, quæ inter se ipse ac Danorum rex consilia iniissent, quando primo tempore factionem inchoasset: deliberatum mihi est, inquit, omnia pacta, quæ tum fecimus, servare, modo vestro, coloni, consensu jubeatis, Danorum regi potius quam huic, qui in hujus regni imperium inauguratus coronatusque est, parendum esse. Coloni ad verba Erlingi ita responderunt: minime volumus Danorum regis obsequio nos submittere, dum vel uni ex nobis Vikensibus vita suppetet. Tum tota concio fremitu et clamore ruere, postulans, ut Erlingus fidem universo populo datam servaret, qua defensurum se regnum filii pollicitus fuisset; ipsos universos ab ejus partibus staturos. Is comitiorum finis. Deinde legati Danorum regis austrum versus in Daniam reversi, exitum negotii, qualis

exstiterat, exposuerunt. Dani Erlingum cunctosque Norvegos magnopere vituperarunt, dicentes, nunquam fidei probitatem testatam dedisse; et ferebat fama, regem Danorum insequenti vere copias in expeditionem missurum et populationem in Norvegia facturum. Proximo autumno Erlingus boream versus Bergas profectus, ibi hiemavit, unaque cum rege Magno stipendia militibus persolvit.

Cap. 16. Hac hieme Danorum quidam per Uplanda proficiscentes, professi sunt, quod sæpe usu venire solet, se sancti regis Olavi pervigilium celebratum ire. Qui in Thrandheimum delati, multos procerum conveniunt, causam adventus aperiunt, se missos ab Danorum rege, ut eorum amicitiam et studia ipsi conciliarent, si forte aliquando regni fines ingrederetur: eum polliceri, iis et potestatem et opes concessurum. His mandatis additæ literæ, Danorum regis sigillo munitæ; additum quoque, literas sigillis munitas ab Thrandis vicissim mittendas. Sic fecerunt; et plerique mandata Danorum regis libenter exceperunt. Procedente festo longi jejunii legati orientem versus reversi sunt. Erlingus Bergis se continebat. Appetente vere, amici Erlingum de rumore, quem ab onerariarum vectoribus a Thrandheimo delatis accepissent, certiorem fecerunt, nempe Thrandos, odii adversum eum jam manifestos, in publicis conventibus promulgare, si Erlingus in Thrandheimum venisset, nunquam futurum, ut salvus Agdanesum prætervehcretur. Erlingus ista commenta et nugas esse adseruit. Palam fecit, se austrum versus in Barheimum[1] ad comitia dierum lustricorum navigaturum, et celocem vigintitranstram, curso-

[1]) Unarheimum, *Hk*; Anarheimum, *Fagrsk.*; Arnarheimum, *H.*

riamque quindecim interscalmiis instructam, unamque adhæc onerariam apparandam curavit. Comparatis navibus, venti vehementiores ab austro spirare cœperunt. Tertio lustralium die cum Erlingus copias ad naves classico evocaret, milites oppidum inviti relinquebant, contra adversos ventos remigare parum cupidi. Cum Portum episcopi[1] intrassent, Erlingus suis: inviti contra adversos ventos remigatis; agite ergo, malos erigite, velaque tollite, cursum boream versus dirigamus. Sic fecerunt, diem noctemque insequentem vela ventis dederunt. Vespere diei Jovis Agdanesum prætervehebantur, præcurrente navium classe, onerariis, actuariis et cursoriis; quæ multitudo, pervigilium celebratura, in oppidum tendebat, aliis præcurrentibus, aliis subsequentibus; quam ob causam oppidani vela longarum navium non animadverterunt.

Cap. 17. Erlingus eo tempore in oppidum venit, cum cantus antelucanus in æde Christi celebrabatur. Irrumpentes in oppidum cognoscunt, Alvum Rodium, Ottaris Birtingi filium, etiam tum accumbere et cum cohorte sua potare. Hos adoritur Erlingus; Alvus interfectus maximaque suorum pars; pauci ex ceteris oppidanis cecidere, nam plerique sacram ædem accesserant. Accidere hæc nocte diem Ascensionis præcedente. Primo statim mane Erlingus tuba signo dato omnes oppidanos in Eyras ad comitia evocavit; in quibus comitiis Thrandis crimina intentavit, eosque perduellionis in regem et se accusavit, cujus auctores nominatim compellavit Bardum Standalium, Paulum Andreæ, et Taza-Bardum[2], tunc temporis oppidi præfectum, compluresque alios. Illi inlata crimina purgare.

[1]) Portum promontorii episcopalis appellat *Fagrsk.* [2]) Raza-Bardum, *Hk.*

Tum scriba Erlingi surgens, multis sublatis literis sigillo munitis, interrogavit, an sigilla sua cognoscerent, regi Danorum eodem vere missa. Dein recitatæ literæ. Aderant et cum Erlingo Dani legati, qui præcedente hieme literas pertulerant, quos Erlingus, ut sic facerent, induxerat; ut dicerent, quid quisque locutus fuisset: sic tu locutus es, Taza-Barde, pectus plangens: hæc consilia ex hoc pectore ab initio profecta sunt. Bardus respondit: tum deliravi, domine, cum ista loquebar. Nulla igitur alia rei expediendæ ratio præsto erat, quam omnem causam arbitrio Erlingi permittere. Ille vero immensam pecuniæ mulctam compluribus irrogavit, omnesque, qui interfecti fuerant, jure cæsos declaravit. Quo facto austrum versus Bergas revectus est.

Cap. 18. Rex Valdimar eodem vere magnam classem e Dania boream versus in Vikam duxit. In regnum regis Norvegici delato coloni, magno coacto hominum numero, restiterunt. Rex pacate et sine maleficio iter fecit; ubicunque vero Dani prope continentem proficiscerentur, incolæ in eos, si vel uni duove essent, tela conjecerunt, quod infensissimi in se animi signum Dani interpretabantur. Tunsbergum delatus rex comitia Högis indixit, nemine ex provinciis adveniente. Tum rex Danorum sic locutus est: facile adparet, omnes hujus terræ incolas nobis adversari; quare duæ nobis adsunt conditiones: una, ut terram ferro et armis invadamus, nulli rei, neque pecudibus, neque hominibus, parcentes; altera, ut re sic gesta austrum versus redeamus; et quidem magis ad animum meum est, terras paganas, quarum permultæ mari Baltico adjacent, exercitu invadere, quam christianos hujus terræ homines, quantumvis promeritos, obtruncare. Omnibus autem ceteris populationem

facere cupientibus, pervicit rex, ut austrum versus reverterentur. Tum multis locis ad insulas exteriores prædæ actæ, omnibusque locis, ubi rex præsens non adesset. Sic in Daniam reversi sunt, nulla re memorabili in præsenti gesta.

Cap. 19. Erlingus, cognito, regem Danorum Vikam ingressum, universas regni copias, milites navesque evocavit, unde maximus concursus militaris exstitit. Quam classem orientem versus secundum litora duxit. Ut vero ad Lidandisnesum pervenit, cognovit, exercitum Danicum, prædis multis locis Vikæ actis, in Daniam recessisse. Tum Erlingus, evocatorum copiis venia domum redeundi concessa, ipse cum aliquot præfectis et magna navium classe, Danos insecutus, in Jotiam contendit. Delati ad (oppidum) Dyrsam inciderunt in Danos, qui ab expeditione reversi eo loco multis cum navibus morabantur. Quos adortus Erlingus, prælium commisit. Aufugere Dani, multis suorum amissis. Erlingiani naves ceperunt, emporium expugnarunt, magnaque præda potiti, boream versus in Norvegiam reverterunt. Inde Daniam inter et Norvegiam aliquamdiu bellum fuit.

Cap. 20. Kristina regis filia autumno austrum versus in Daniam profecta, regem Valdimarem, cognatum suum, convenit; nam consobrini erant. Rex Valdimar eam humanissime excepit, eique reditus adsignavit, unde suos liberaliter sustentare posset. Ea sæpe cum rege collocuta est, qui se ei perquam comem præbuit. Vere autem proxime insequenti Kristina ad Erlingum misit, ut regem Danorum conveniret et cum eo pacem faceret. Erlingus hac æstate in Vika commorabatur. Tum unam navem adornavit, et lectissimis copiis instruxit. Hac in Jotiam transvectus, cum regem Valdimarem Randarosi agere cogno-

visset, eo navigavit, et ad oppidum eo tempore pervenit, quo plerique homines cibum capiebant. Velata tentoriis nave et ad terram religata, Erlingus escendit cum undecim viris, qui omnes loricis induti, pileis galeas superinduerant, gladios sub amiculis gestantes. Succedunt ad ædes regias. Tum fercula intro lata, januaque aperta. Erlingus, cum suis confestim ingressus ad solium, sic verba fecit: securitatem, domine, tam hic commorantes, quam domum redeuntes, optamus. Rex, vultu ad eum converso: tune ades, Erlinge? Ille: adsum, dic propere, an hic tuto nobis manere liceat. Aderant intus octoginta regii satellites, omnes inermes. Rex: pacem, quam petis, Erlinge, impetrabis; neminem, qui in meum congressum veniat, nefarie violare soleo. Tum Erlingus, manum regis osculatus, exiit, et ad navem se contulit. Eo loco aliquamdiu apud regem commoratus, multa cum eo de pace inter regna facienda disseruit; et convenit inter eos, ut Erlingus apud regem Danorum obsidis loco remaneret, vicissimque Asbjörn Snara, frater archiepiscopi Absalonis, in Norvegiam obses concederet.

Cap. 21. Aliquando, Erlingo et rege Valdimare inter se colloquentibus, Erlingus infit: hoc ad pacem constituendam maximum mihi momentum habere videtur, ut eam partem Norvegiæ, quæ ex pactis conventis promissa tibi fuit, integram habeas; tum vero, quem principem huic provinciæ præficere vis: ecquem Danum? Minime, inquit rex; nemo ex Danorum principibus in Norvegiam proficisci volet, ut maximis commodis, quibus hic[1] fruuntur, renuntiatis negotium habeant cum populo feroci et contumaci. Ea de causa huc profectus sum, inquit Erlingus, quod tuam amicitiam amittere minime volo. Huc in

[1]) tecum, add. *A*, quasi Erlingus hæc loqueretur.

Daniam olim ex Norvegia concessere Hakon Ivaris et Finnus Arnii, quorum utrumque rex Svein cognatus tuus dynastam constituit. Ego vero non minorem nunc in Norvegia auctoritatem habeo, quam illi tunc habuerunt, quibus rex Hallandiam administrandam, provinciam quam antea possederat, concessit. Quodsi igitur obsequium tibi jurem, hoc mihi beneficium facile concesseris, ut hanc provinciam tuo nomine administrem; quod quidem Magnus, filius meus, negare mihi non poterit. Ego vero paratus et obstrictus ero ad omnia ministeria obeunda, quæ huic nomini conveniant. Talia hisque similia Erlingus verba fecit, eo tandem rei exitu, ut regi Valdimari obsequium juraret, rex vero Erlingum in sedem deduceret, eique dynastæ dignitatem daret, Vikamque suo nomine administrandam et obeundam provinciam concederet. His actis Erlingus in Norvegiam reversus, ab eo tempore, quoad vixit, dynasta fuit, pacemque semper exinde cum Danorum rege servavit. Erlingo quatuor erant filii, ex concubinis nati: unus Reidar, alter Ögmundus, hi sua matre utebantur; tertius Finnus, quartus Sigurdus, quorum mater erat Asa Lucida; hi natu minores erant. [Kristina regis filia et Erlingus filiam habuere, nomine Ragnildam, quæ Joni Thorbergi filio Rödabergensi in matrimonium collocata est[1]. Kristina regis filia, comite viro, nomine Grimo Ruslio, Norvegia relicta, Constantinopolin concessit, ibique aliquamdiu commorabatur; ex his aliquot liberi nati.

Cap. 22. Olavus, filius Gudbrandi Skavhögi filii et Mariæ, filiæ regis Eysteinis Magni filii, apud Sigurdum Agnhöttum in Uplandis educatus est. Erlingo in Dania commorante, hi alumni,

[1]) omitt. *H.*

Olavus ac Sigurdus factionem instaurarunt, cui se multi Uplandorum socios addiderunt; a quibus Olavus rex creatus est. Copias per Uplanda duxerunt, partim in Vikam, partim orientem versus in Markas (loca silvestria) excurrentes; nondum se navibus commiserunt. De qua factione certior factus Erlingus, in Vikam revertit, et per æstatem in navibus excubuit; autumnum Osloæ transegit, ibique festo Jolensi convivia celebravit. Dimissis per mediterranea speculatoribus cum res rebellium explorasset, ipse cum Ormo regis fratre eos quæsitum ivit. Cumque ad lacum aliquem[1] venerunt, omnes naves, quæ ibi erant, ceperunt.

Cap. 23. Sacerdos, qui prædio ad lacum sito, Rydjökule dicto, sacra administravit, dynastam ad convivium invitavit, festoque candelarum adesse jussit. Dynasta, cui eo loco sacris adesse placeret, se adfuturum promisit; lacumque vespere festum antecedente transmiserunt. Sed sacerdos iste alia animo agitavit: misit ad Olavum et Sigurdum, ut de itineribus dynastæ certiores fierent. Vespere Erlingianis validum potum abundantissime propinavit; cubitum euntibus, lecti in triclinio strati. Cum paulisper dormiissent, dynasta expergefactus, an tempus adesset cantus antelucani celebrandi, interrogavit. Sacerdos paulum processisse noctis testatus, placide quiescere jussit. Cui dynasta: haud pauca mihi per quietem hac nocte oblata sunt, insomniis agitato. Iterum somno oppressus, atque mox experrectus, sacerdotem surgere et sacra canere jussit. Quem sacerdos, ut quiesceret, hortatus, medium ferme noctis esse dixit; quare dynasta iterum recubuit, et cum paulisper quievisset, exsiliens suos induere vestes jussit. Illi sic fecerunt; arma capiunt, accedunt ad templum,

[1]) Randam dictum, *H*; Seciæ, Vænerem dictum, *Hk*.

armaque, dum sacerdos sacra antelucana, canebat' foris reponunt.

Cap. 24. Olaviani, vespere antecedente per exploratores edocti, per noctem iter sex milliarium confecerunt, celeritatem gradientium vulgo demirantibus; tempore cantus antelucani Rydjökulem venerunt, tenebris illuni nocte densissimis; sublato clamore triclinium invadunt, et aliquot dynastæ militum, qui cantum antelucanum celebratum non iverant, intus necaverunt. Erlingus ac sui, audito clamore, ad naves properarunt. Inciderunt in Olavianos apud aggerem quendam, ubi prælio commisso Erlingiani objecto aggere tuti gradum referebant; sed numero impares densi cadunt, multi vulnerantur. Verum auxilio oppressis fuit, tum quod densissimis tenebris occultati ab hostibus ignorabantur, tum quod naves summo studio petierunt. Hoc loco cecidit Arius Thorgeiris filius, pater Gudmundi episcopi[1], multique alii ex aulicis Erlingi vulnerati sunt. Erlingus sinistro latere vulneratus est; et dicunt nonnulli, gladium educenti latus perstrinxisse. Ormus quoque magnopere vulneratus. Ægerrime in naves elapsi, e vestigio solverunt. Vulgaris sermo erat, Olavianos in hoc congressu fortuna quam maxime sinistra usos; qui si majori consilio rem administrassent, Erlingianos ad internecionem delessent. Olavus deinde Infortunatus appellatus est, quidam vero eos Hettusveines (juvenes cucullatos) usurparunt. Illi, veluti antea, multitudinem in mediterranea abduxerunt; Erlingus vero dynasta in Vikam ad naves reversus, insequenti æstate in Vika commoratus est, Olavianis in Uplandis, interdum in

[1]) Vide Sturlungorum historiam, ed. Havn. 1817, lib. 2. pag. 109—112.

Markis ad orientem versantibus, qui hoc modo factionem altera hieme sustinuerunt.

Cap. 25. Insequenti vere Olaviani in Vikam profecti, reditus regios occuparunt, ibique multum æstatis consumserunt. Quo cognito Erlingus dynasta copias orientem versus adversus eos movit. Congressi sunt ab orientali parte sinus, loco quæ Stangæ dicuntur, ubi, acri commisso prælio, Erlingus victor discessit. Eo loco Sigurdus Agnhöttus cecidit, magnaque Olavianorum pars. Olavus fuga elapsus, austrum versus in Daniam concessit, et proximam hiemem Alaborgæ in Jotia egit. Vere autem insequenti in morbum incidit, sibi letalem; eoque loco humatus est, et ab Danis sanctus appellatus.

Cap. 26. Nicolaus Kuvungus, filius Pauli Skoptii[1] filii, præfectus Magni regis, vivum cepit Haraldum, quem vulgo perhibent filium fuisse regis Sigurdi Haraldi filii et Kristinæ regis filiæ, fratremque regis Magni uterinum. Nicolaus Haraldum Bergas deportatum Erlingo dynastæ tradidit. Hoc moris erat Erlingo, inimicis in potestatem ejus venientibus, ut quos neci destinasset, paucis aut nihil omnino alloqueretur; quos vita donare statuisset, maximis verborum contumeliis proscinderet. Erlingus Haraldum paucis allocutus est; unde multi timere, quid in eum statuere cogitaret. Fuere, qui regem Magnum hortarentur, ut pro Haraldo patrem deprecaretur. Quod faciente rege, dynasta respondit: ista te amici hortantur; sed haud diu pacatum imperium habebis, si sola benevolorum consilia sequeris. Dein Erlingus Haraldum deportari in Nordnesum jussit, ubi securi percussus est.

Cap. 27. Eystein nomen erat viro, qui se filium regis Eysteinis Haraldi filii ferebat; erat

[1]) Skaptii, *H.*

juvenili ætate, necdum ad maturitatem pervenerat. Hic aliqua æstate in Ssveciam pervenisse, dynastamque Birgerem Brosam convenisse dicitur; qui tum in matrimonio habuit Brigidam, filiam regis Haraldi Gillii, amitam Eysteinis. Quibus cum Eystein causam adventus sui exposuisset, ab dynastaque auxilium petiisset, utrique negotium ejus benigne exceperunt, suamque opem ei polliciti sunt. Apud hos aliquamdiu commoratus est. Birger dynasta aliquantum copiarum Eysteini dedit, et in usus subitarios haud parum pecuniæ, eximieque donatum dimisit; utrique suam ei amicitiam polliciti sunt. Eystein ac sui boream versus in Norvegiam reversi, in Vikam descenderunt, ubi statim ad eum milites confluebant, unde factioni vires auctæ sunt. Hi Eysteinem regem crearunt, et sequenti hieme factionem in Vika tenuere. Sed quod inopia rei pecuniariæ laborabant, multis locis prædas agebant. Hinc præfecti et coloni manum adversus eos miserunt; illi vero numero copiarum inferiores, in silvas aufugerunt, et sæpe in locis silvestribus sub dio egerunt; inde detritis tegumentis corporis, crura cortice betulino circumdederunt, eapropter a colonis Birkibeines appellati. Sæpe in tractus habitatos irruptionem fecerunt, et diversis locis emicantes, sicubi magna non adesset multitudo hominum, extemplo hostem adorti sunt. Aliquot prælia adversus colonos ancipiti fortuna gesserunt. Tria fecere prælia Birkibeines instructa acie, et ex omnibus victores discessere. In silva Krokensi prope factum est, ut a colonorum multitudine, ingenti manu circumventi, opprimerentur. Sed Birkibeines concæde arborum facta iter hostium intercluserunt, eoque facto in silvam se abripuerunt.

Cap. 28. Birkibeines duas hiemes in Vika commorati sunt, ita ut in provincias boreales incursiones non facerent. Rex Magnus tredecim annos imperaverat, cum factio Birkibeinum orta est. Tertia æstate, navibus comparatis, litora terræ prætervecti opes militesque contrahebant, primo Vikam peragrantes; procedente vero æstate cursum in provincias boreales direxerunt, tantaque celeritate iter fecerunt, ut nulla eos præcurreret fama, priusquam in Thrandheimum venissent. Maximam Birkibeinum partem effecere Markomanni (locorum silvestrium incolæ) aut Elfargrimi (Albis Gothorum accolæ), magnam partem Thelamarkenses. Tum bene ab armis instructi erant. Eystein, rex eorum, erat pulcer, facie venusta et parva, statura haud magna; appellatus est ab Markomannis[1] Eystein Meyla (Puellula). Rex Magnus et Erlingus dynasta, Birkibeinibus boream versus prænavigantibus, Bergis versabantur, iter eorum non animadvertentes. Fuit Erlingus imperiosus, insigni prudentia, summa in bello virtute, rei publicæ administrandæ peritus et imperii diligens, vulgo crudelis et severus existimatus, eam tamen ob causam maxime, quod paucis tantum inimicorum veniam in patria manendi concessit; unde factum est, ut multi in adversariorum factiones, sicubi exsisterent, transfugerent. Erlingus erat statura procera, membris compactis, humeris aliquanto exstantioribus, facie oblonga et macilenta, colore oris lucido; jam admodum incanuerat; caput nonnihil incline gestavit; in moribus comitas et honoris studium; forma vestimentorum prisca utebatur, longis pectoralibus, manicisque tunicarum et indusiorum promissioribus, tunicis Gallicis et calceis altioribus. Tali vestitu regem in pueritia

[1]) quibusdam hominibus, *H.*; multis, *Hk.*

uti jussit; hic vero, ut sui juris factus est, splendidiori vestium cultu usus est. Rex Magnus erat facilis ingenii, ludis deditus, et perquam hilaris.

Cap. 29. Nicolaus, filius Sigurdi Ranii filii, matrem habuit Skjaldvaram, Brynjolvi Ulvaldii filiam, sororem germanam Haldoris Brynjolvi filii, uterinam Magni regis Nudipedis. Nicolaus auctoritate plurimum valuit; is prædium Halogiæ, dictum Steigam, in territorio Angulo, incoluit; eidem domus fuit Nidarosi infra ædem Johannis[1]. Nicolaus sæpe in emporio versabatur, et rerum oppidanarum summæ præfuit. Skjaldvaram, filiam Nicolai, Eirikus Arnii filius, idem præfectus, in matrimonio habuit.

Cap. 30. Festo Mariæ posteriori, cum a cantu antelucano rediretur, Eirikus Nicolaum adiens: piscatores quidam dicunt, affinis, ex alto advecti, naves longas sinum ingressas adventare, et suspicio est, Birkibeines adesse; quare, socer, consultissimum est, omnes oppidanos armatos in Eyras tuba evocare. Cui Nicolaus: rumores piscatorum haud curo; exploratores in sinum mittam; nos vero hodie comitia habeamus. Eirikus itaque domum concessit. Signo ad sacra antemeridiana campana dato, Nicolaus ad ædem ibat. Tum Eirikus eum adiens: puto, socer, vera de hostium adventu afferri; adsunt, qui se vidisse vela eorum dicunt; mea igitur sententia est, ut ex oppido equitemus et auxilia cogamus; propugnatorum enim inopia laborare mihi oppidum videtur. Cui Nicolaus: tu vero nimis querulus es, gener; primo missam audiamus, deinde consilia conferamus. Quo dicto Nicolaus ædem adiit. Sacris finitis, Eirikus ad eum accedens: parati, socer, inquit, sunt equi mei; hinc equitare statui.

[1]) quo loco nuper Thorgeiri notario fuit, add. *Hk.*

Nicolaus, eo valere jusso: nos conventum in Eyris habebimus, inquit, et copias oppidanas recensebimus. Eirikus avectus est, Nicolaus vero domum suam ingressus mensæ accubuit; cumque cibaria apponebantur, ingressus aliquis nuntiavit: jam Birkibeines remigio amni subvehuntur.

Cap. 31. Nicolaus suos capere arma jussit, eoque facto, in cœnaculum ascendere; quæ perniciosissima ratio erat, nam si aream domus defendissent, oppidani eis auxilio venissent. Birkibeines totam aream milite compleruut, et cœnaculum undique adgressi sunt. Inclamantes pacem Nicolao abnuenti obtulerunt. Dein conflixerunt. Nicolaus sagittis, jaculis et saxis fornacium se tutatus est. Birkibeines ædes conciderunt, et tela quam creberrime miserunt. Nicolaus latum[1] clypeum, aureis clavis et oris conspicuum, gestavit. Birkibeines tanta vi sagittas miserunt, ut ad ligaturam usque penetrarent. Hic Nicolaus: [adfigitis mihi clypeum[2], inquit. Hoc loco cecidit Nicolaus, magnaque cohortis suæ pars; cujus mors omnibus acerbissima fuit. Birkibeines omnibus oppidanis pacem dederunt.

Cap. 32. Deinde Eystein ibi rex creatus est, omnesque incolæ ejus imperio se submiserunt. Aliquamdiu in oppido moratus, in Thrandheimum interiorem contendit, ubi magna militum multitudo ad eum confluxit. Thorfinnus Niger Suasensis, qui cohortem habuit, ad Eysteinem transiit. Principio hiemis in oppidum reversi sunt; tunc ad eos transiere Gudrunæ Saltnesensis filii, Jon Catulus, Sigurdus et Viljalmus. Nidaroso in Orkadalum profecti sunt; tum numerus militum initus, ad viginti centurias; inde in Upplanda profecti, mox per Thotnum et Hadalandum, tandem in Ringarikum devenere.

[1]) rubrum, *Hk.* [2]) clypeus me frustratur, *Hk.*

Cap. 33. Rex Magnus cum Ormo regis fratre hoc autumno cum parte copiarum Tunsbergum consessit, ibique moratus est; dynasta vero Bergis remansit, magnis copiis stipatus, ut Birkibeines per exteriora proficiscentes exciperet. Rex convivium Jolense Tunsbergi celebravit. Rex Magnus cognovit, Birkibeines in territorio Reensi agere; huc rex et Ormus profecti insperato superveniunt; magna vis nivium deciderat, algente cœlo. Reum delati, ex area ædes ambiente in viam progressi, extra sepem ligneam acie instructa, nives conculcando densas reddiderunt. Habuerunt non plenas quindecim centurias. Birkibeines in altero prædio erant, parte militum hic illic per domos dispersa. Qui, cognito hostium adventu, concurrerunt et aciem instruxerunt. Conspectis regis Magni copiis, se numero superiores, ut erant, rati, statim in prælium procedunt. Ut vero in viam progressi erant, pauci simul incedere potuere; extra viam euntes, ægerrime procedebant; unde factum, ut ordo incedentium turbaretur; inde primi procedentes cadere: signaque concidi: proximi gradum referre: quidam fugere: milites Magni regis instare, et quos adipisci poterant interficere. Birkibeinum, cum restituere aciem nequireut, magna pars cecidit, multi terga verterunt; accidit enim hic, quod sæpe potest usu venire, cum vel strenui viri et in prælio audaces desperatis rebus in fugam compelluntur, ut plerique ad integrandum prælium ægerrime induci possint. Unde horum copiæ in diversa dilapsæ. Rex Eystein, qui se fugæ mandaverat, in domum quandam cursu se conjecit, orans, ut vita donaretur, et a patrefamilias occultaretur; sed paterfamilias eum interfecit, quo facto regem Magnum adiit, eumque Rumsnesi[1] convenit; rex in cubiculo

[1]) Ramnesi, *Hk.*

erat, et ad ignem se calefaciebat, multis præsentibus. Tum profecti sui funus eo devexerunt, et iutro in cubiculum portarunt; quo rex homines accedere et cognoscere mortuum jussit. Birkibeinum aliquis [in scamno angulari sedens[1], a nemine animadversus, conspecto agnitoque domini sui corpore, raptim ac celeriter exsiliit, in solum procurrit, et Magno regi securim intentavit, collumque juxta humeros percussit. Vir quidam, deferri securim videns, regem raptim subduxit, quo factum est, ut securis in humeros deflexa magnum vulnus relinqueret. Alter, elata iterum securi, Ormum regis fratrem, in scamno jacentem, petiit, cæsa in utrumque crus directa. Ut vero Ormus animadvertit, aliquem interficere se velle, celeri corporis motu crura supra caput rejecit; unde delata securis scamni trabi infixa stetit; tela vera undique in Birkibeinem tam deuse conjecta sunt, ut collabi pæne nequiret. Tum animadverterunt, intestina ab eo per solum tracta; cujus viri fortitudo magnopere laudata est. Milites Magni regis fugientes diu persecuti, quotquot potuerunt, interfeceruut. Hic cecidit Thorfinnus Suasensis, et ex ceteris Thrandis magna multitudo.

Cap. 34. Birkibeines ingentem coegerant hominum multudinem; erant acres et in præliis audacissimi, inquieti ingenii, magnoque furore grassabantur, siquando opibus valere sibi videbautur. Paucos ex suo cœtu habebant, qui ad consilia excogitanda idonei, aut reipublicæ administrandæ artisve imperatoriæ periti essent. Etsi alii aliis peritiores essent, tamen plurima vulgi pars, quod cuique visum esset, præoptavit, sola copiarum multitudine ac virtute freti. Multi eorum, qui e prælio evaserant, saucii, omnes inopes erant, armisque et vestimentis male instructi; quidam

[1]) in scamno jacens, *H.*

orientem versus in Markas aufugerunt, alii in Thelamarkam, et quidem plerique, qui ibi cognatos habuerunt. Omnes salutem fuga quæsiverunt, exiguam spem vitæ pacisve in rege aut dynasta repositam habentes.

Cap. 35. Rex Magnus Tunsbergum[1] rediit, hac victoria magnam gloriam adeptus. Omnium sermo fuit, Erlingum dynastam filii tutelam et præsidium esse. Postquam rex Magnus factionem opibus et multitudine adeo validam minoribus copiis devicerat, visus est omnibus omnia superaturus, tantoque dynastam, quanto junior erat, rei militaris peritia præstaturus; [atque hic concluditur narratio de rege Magno et Erlingo dynasta[2].

---

[1]) Sic *Hk*; ad silvam Eidensem, *A.* [2]) omitt. *H*, *Hk*.

HISTORIA
DE SIGURDO SLEMBIDJAKN.

Cap. 1.

Commemoratur vir quidam, cui nomen erat Sigurdo, Thora Saxii filia natus; de cujus genere paterno ea id aperuit, quod filius esset Magni Nudipedis; amici vero Magni regis, et quibus maximam fidem habebat, propter indignitatem rei hoc celarunt: nam Sigrida, soror Thoræ, erat mater regis Olavi Magni filii. Sigurdus in australi parte regni educatus est apud sacerdotem quendam, nomine Adalbriktum: unde fuere qui prætenderent, eum hujus sacerdotis filium esse; quod memorat Ivar Ingimundi filius in carmine, quod de Sigurdo composuit:

Teneris annis adolevit
apud Adalbriktum ...

Qui cum in adolescentia literas edidicisset, a sacerdote missus est ad episcopum, qui Sigurdum muneribus ecclesiasticis initiavit, ut diaconus esset; cumque ad maturitatem ætatis pervenerat, speciem viri omnium strenuissimi præ se ferebat, nam staturæ viriumque magnitudine erat insignis, omnesque æquales et pæne quemque Norvegorum omnibus corporis animique dotibus longe antecellebat. Ubi autem ipse suæ vitæ modum habere cœpit, mores clericorum aversatus, patria relicta ad exteros abiit, in quibus peregrinationibus multum temporis consumsit. Dicitur in Orcadibus apud Haraldum dynastam versatus fuisse. Sic Ivar:

Versatus est apud dynastam
acri præditum ingenio
ille ferarum saturator
in insulis occidentalibus:

donec reges ad
prælia promti
[1]Alumno .....
..... ruperunt.

Hic Sigurdus necis viri illustris, cui nomen erat Thorkel Alumnus, svasor auctorque fuit. Inde in Skotiam profectus, apud Davidem, Skotorum regem, versatus est. Sic Ivar:

Deinde excellens Sigurdus,
ab insulis profectus,
regem Davidem
consilii gratia adiit.

Quo cum principe
bellicosus Viljalmi
interfector[2] quinque
semestria versatus est.

Regi ceterisque principibus viris bene probatus, ibi aliquantum temporis egit, magno habitus honore; teste poeta:

Eximiis Davidis
satellitibus nullus
vir præstantior eo
venisse visus est.

Satellitii cœtum
princeps cohonestavit;
rex juvenis omnium
laudem sibi peperit.

Ferunt quoque Sigurdum cum rege commorantem aliquot prælia fecisse, semperque victorem discessisse. Sic Ivar:

Aluit dux militum
corvos in sinibus[3]:
tremuere spicula
Skotorum in sangvine:

quo loco principi,
qui ab oriente
venerat, præliatores
vexilla prætulerunt.

Et porro:

Sigurdus victoria
ex prælio

intra Störium
potitus est.

Idem sequentia addit:

Princeps, omnium
excellentissimus,

in Skotorum regno
quatuor prælia fecit.

Et post hæc Sigurdus peregrinationem suscepit, iter-

---

[1]) in codice aliquot verba legi non possunt; sensus est: Thorkelem Alumnum interfecerunt. [2]) i. e. Sigurdus, vide infra cap. 7. str. 6. [3]) i. e. Skoticis.

que Romam ingressus est. Usque ad terram Hierosolymitanam et Jordanem profectus est, et res sacras, more religionis ergo peregrinantium, visum ivit. Sic Ivar:

Viam Romanam	Dein res sacras
pedibus emensus est	dux militum
Thrandorum princeps,	visum ivit, et
rebus gestis inclytus.	peccatis renuntiavit.

Hic quoque memorat poeta, Sigurdum Hierosolyma adiisse, sepulcrumque domini nostri visitasse, eoque pacto sibi gratiam Dei, magnamque his in terris laudem peperisse:

Liberalis dux	antequam aqua,
latam urbem	a Deo consecrata,
Hierosolymorum	Sigurdus sibi
apud exteros visit:	peccata abluit.

Dicuntur quinque episcopi ordalium de natalibus ejus instituisse, ejusque genus probasse. Sic Ivar:

Quinque episcopi,	eo tentaminis exitu,
in primis habiti,	ut liberalis ille Magnus
de genere principis	potentis illius regis
ordalium instituerunt;	pater esse probaretur.

Dein Sigurdus ab terra Hierosolymitana per Græciam, Franco-Galliam et Saxoniam (Germaniam) rediit; sic Ivar:

Deinde naves	Ante rex eximius,
compararunt	Sigurdus, Francogallos
ex ultima Græcia,	adiit, quam sedes
pelago furente.	Germanorum visitavit.

Et his proxime memoratur in carmine, eum tum venisse in insulas:

Strenuus, bellicosus rex,	occidentem versus in
una celoce vectus, per mare	insulas cursum direxit.

Dicitur quoque itineribus mercatoriis operam dedisse.

De Sigurdo Slembere.

Cap. 2. Aliqua hieme in tractu Sörbæensi Islandiæ apud Thorgilsem Oddii filium, paucis quis esset

gnaris, versatus est. Autumno, cum verveces ad cultrum destinati in septum compulsi essent, unus vervecum e manibus comprehendentium elapsus, ad Sigurdum, quasi auxilium ab eo petiturus, accurrit. Sigurdus, manu porrecta, e septo extractum dimisit, ut in montem evaderet, atque sic locutus est: opem nostram haud sane multi implorant, petita vero impetrabitur. Acciderat eadem hieme, ut mulier quædam furtum fecisset; qua re iratus Thorgils punire eam voluit. Quam auxilii ergo ad se accurrentem Sigurdus juxta se in scamno collocavit. Thorgils, edito facinore mulieris, dedere eam jussit. Sigurdus, veniam ei deprecatus: enimvero, inquit, opem meam imploravit, quare age, crimen ei condones. Cum vero Thorgils denuntiasset, eam pœnas daturam, Sigurdus, intelligens, patremfamilias precibus suis aures non præbere, exsilit, gladium destringit, et oppugnare se jubet. Thorgils, cum videret, eum armis defendere mulierem statuisse, vultum hominis ingentia minantem veritus, et quis esset suspicatus, ab ea castiganda abstinuit, veniamque ei concessit. Plures extranei ibidem loci hiemabant, ex quibus Sigurdus minimi æstimatus est. Die quodam, cum Sigurdus cubiculum intrabat, alius quidam Norvegus cum aliquo ex domesticis Thorgilsis, ornati cultus studioso, magnoque ostentatore, alea ludebat. Norvegus Sigurdum advocavit, ut sibi consilium de alea suggereret; nam hujus artis, ut ceterarum, peritus erat. Ille, inspecto ludo, de alea pæne actum esse judicavit. Is autem, quocum Norvegus ludebat, digito pedis tumente et suppurante, æger erat. Sigurdus in scamno consedit, sumtumque stipulæ gramen per solum traxit, catulosque forte in pavimento currentes jugiter ducendo pellexit, donec gramen pedem hominis tetigerat; tum catuli impetu dato in pedem insiliunt. Ille exsilire, dolore ejulare, latrunculi conturbari; illi vero rem in controversiam vocare, uter

vicisset. Ideoque hæc res memoriæ prodita est, quod eximiam hoc loco calliditatem ostendisse existimatus est. Literis imbutum esse, nemo ante novit, quam pridie festi paschalis; tum enim unacum sacerdote sacras formulas pronuntians aquam consecravit. Idem eo majoris momenti habitus est, quo diutius ibi fuerat versatus. Insequenti æstate Sigurdus, antequam ab Thorgilse digressus esset, hunc hortatus est, ut, quem ei videretur, ad Sigurdum *Slembidjákn*, tanquam ad notum sibi amicum, mitteret. Thorgilse, qua ei cognatione junctus esset, quærente: sum, inquit, Sigurdus *Slembidjákn*, Magnique regis filius. Ita digressi sunt, et ille postea peregre profectus est.

Cædes Haraldi regis.

Cap. 3. Eo tempore rex Haraldus Norvegiæ solus imperavit, qui neque prudens, neque pari ac Magnus Sigurdi filius, cognatus suus, crudelitate fuisse dicitur. Jam Sigurdus in Norvegiam delatus, iter Bergas ad regem Haraldum suscepit, cujus cum fidei se commisisset, causam adventus sui coram eo exposuit. Et consiliarii regii, de hac re certiores facti, veriti, ne Sigurdus in communionem imperii adscitus ipsorum auctoritati offecturus foret, veluti Magnus offecisset, quod eo tempore viri præfecti in otio viventes summam rerum administrabant, hoc consilii dederunt, ut rex Sigurdum comprehendendum necandumque curaret, ea causa interposita, quod cædi Thorkelis Alumni in insulis maris occidui interfuisset. Hoc consilium ita perfectum est, ut vespere quodam speculatores aliquot ad Sigurdum accederent, eumque evocarent, sumtaque cursoria ab oppido, Sigurdum secum ducentes, remigarent, Hoidhellam a borea circumflectentes. Sigurdus cistæ cuidam insidebat, causamque suam meditans, dolo se circumveniri suspicatus est; duo viri cum in interscalmio anteriori vinctum custodiebant. Qui cum hilares essent, minimeque sibi præcaverent, Sigurdus

custodes allocutus: surgite mecum, inquit, in oram navis excedere volo, scapham meam exhausturus[1]. Illi surrexerunt, et manuum vincula solverunt, pedibus ejus nexu ligatis; ille vero correptis utriusque humeris eos secum e navi deturbavit depressitque, parumque abfuerat, remigium fortius urgentibus, quin submersi perirent, ni retracti in navem essent; Sigurdus vero procul emersit, jam vinculis solutus, et in terram natando e manibus insequentium effugit. Inde cursu elapsus (nam pedum pernicitate plurimum valuit), in montem contendit, regiis eum per totam noctem frustra quærentibus. Delituit in fissura quadam rupis montanæ; ubi eum acriori algore ureretur, braccas exuit, quarum parte, quæ nates tegit, discissa, caput per fissuram, brachia per femoralia exseruit; atque hoc modo vitæ in præsens consuluit. Regii domum reversi, adversam qua usi erant celare fortunam non potuerunt. Sigurdus jam intelligens, nullum amplius auxilium ab rege conveniendo peti posse, relicta patria in Daniam concedit; eaque fuit ipsius relatio, testimoniis amicorum ejus confirmata, se auctoritate quinque episcoporum genus paternum ordalio probavisse; id quod amici Haraldi fraudem et commentum Danorum esse adseruerunt. Proximo autumno Sigurdus *Slembidjákn* clam in Norvegiam reversus, ab amicis receptus et occultatus est. Apud sacerdotem aliquem versabatur. Rex Haraldus eo tempore in oppido fuit, multique cum eo proceres; aderat et regina Ingirida. His unus erat filius, nomine Ingius, qui in Vika educabatur. Alterum filium rex Haraldus habuit, nomine Sigurdum; hujus mater erat Thora Guttormi filia; hic in Thrandheimo fuit, educatus ab .... ipsius, quique magno habiti honore mensæ ejus accumbebant. Et

[1] i. e. alvum exoneraturus.

vespere aliquo .... duo viri regiæ mensæ accumbentes inter se colloquebantur, quorum alter regem allocutus: rem inter nos controversam, inquit, tuo jam, domine, arbitrio dijudicandam subjecimus: nam pignus dedimus in mellis modiolum, ei qui verum dicat auferendum; ego contendo, te instante nocte cum regina Ingirida, ille vero cum Thora Guttormi filia cubiturum. Rex respondit, omnino ignarus, hanc quæstionem tanto dolo propositam esse, atque hunc pignus consecuturum adseruit. Unde collegerunt, quo loco quærendus esset. Custodes vero corporis ante cubiculum, in quo regina quievit, ubi plerique dormiturum regem putarunt, excubias agebant. Erat proxima post festum Luciæ nocte, cum Sigurdus *Slembidjákn* et aliquot cum eo viri ingens illud facinus agitabant. Sigurdus ad cubiculum, ubi rex quievit, accessit: primo custodes interfecerunt, fores effregerunt, et strictis gladiis intrarunt. Rex vino saucius decubuerat, altoque somno sepultus jacuit; hostium telis petitus, somnum excussit, meroque vesaniens: acerbe me, Thora, habes, inquit. Illa exsiliens: acerbe te habent, inquit, qui pejus tibi cupiunt, quam ego. Hic rex Haraldus exstinctus est. Hi cum Sigurdo regem adgressi sunt: Ögmundus, filius Thrandi Skagii, Kolbjörn[1] Thorljoti filius ex Bataldro, Erlendus Islandus. Post hæc Sigurdus cum suis egressus, advocari jubet eos, qui societatem suam ei fuerant polliciti, si rex Haraldus necem oppeteret. Sigurdiani, sumta cursoria, virisque ad remos dispositis, in sinum remigarunt, et navigium pro ædibus regiis constituerunt. Jam illucescere dies cœperat. Hic surgens Sigurdus homines, qui in pontibus stabant, allocutus, se percussorem Haraldi professus est, et oravit, ut se, jure natalium suorum, principem agnoscerent. Eo magna hominum

[1]) Kolbein, *Hk.*, rectius.

multitudo ex ædibus regiis confluxerat, qui omnes uno ore clamabant, nunquam fore, ut operam obsequiumve præstarent ei, qui fratrem clam interfecisset: si vero Haraldus frater tuus non fuit, regio nomine omnino indignus es, tum enim nullam habes cum regibus generis necessitudinem. Mox omnes, fremitu armorum edito, eos proscriptos et securitatis expertes judicarunt. Dein signo tuba regia dato, præfecti et aulici convocati. Sigurdus vero cum suis, statim discedere optimum ratus, boream versus in Hördiam contendit, ubi coloni ad comitia vocati in partes ejus transierunt, eique nomen regium dederunt. Inde Sognum intravit, superatoque monte boream versus in Fjördos concessit, a plerisque magno studio exceptus. Regina vero Ingirida, adhibitis in consilium aulicis ac præfectis, ab Vikensibus orientem versus in Vikam deducta, Ingium filium adit, qui alterum jam annum agens comitiis Borgensibus rex creatur; hæc consilio Amundii, Thjostolvi Alii filii, multorumque aliorum procerum acta. Thrandi autem regem crearunt Sigurdum Haraldi filium, quartum tum annum agentem; hic rex creatus est comitiis Eyrensibus, auctoribus consiliorum Ottare Birtingo, Petro Ulvi filio, Gothormo Reinensi, Ottare Ballio, multisque aliis viris. Tum universus ferme populus in partes fratrum transiit, ea maxime de causa, quod pater eorum sanctus appellatus est; iisdemque regnum jurejurando adsertum eo pacto, ut ad neminem transiret, dum quispiam Haraldi filiorum viveret. Sic Ivar poeta:

Dein Sigurdum regni	multi homines in comitiis
principem crearunt	principi, regis filio,
Hördenses ac Sognenses	fratris (mortui) loco, fidem
post cæsum Haraldum;	jurejurando obstrinxerunt.

Hoc loco memorat poeta, sicut supra dictum est, Sigurdum *Slembidjákn* ab iis regis loco acceptum esse.

Haraldus Gillius sedecim[1] annos rex Norvegiæ fuit, duosque post pugnam in Fyrileiva pugnatam.

De rege Sigurdo Slembere.

Cap. 4. Sigurdus Slember Stadum prætervectus, cum in Nordmæriam delatus esset, quod eum literæ ac tesseræ ubique anteverterant, auctoritate eorum, qui partes Haraldi filiorum deserere noluerant, statim resistentibus et insurgentibus adversariis exclusus est. Et cum militum copia laboraret, cesserunt, et boream versus in Thrandheimum profecti sunt, ut Magnum Cæcum Sigurdi filium convenirent. Sigurdus Slember, appulsa ad Holmum nave, Magnum cognatum suum invitis monachis ex monasterio extraxit; plurium autem hominum sermo est, Magnum sponte monasterio excessisse, quanquam alia fama ad eum excusandum divulgata esset. Qua ex re Sigurdus spem auxiliorum animo concipiebat; neque eum opinio fefellit. Rex Sigurdus in oppido erat, multis potentibus viris stipatus, unde Sigurdo eo accedere tuto non licuit. Sigurdus, adsumtis omnibus amicis suis, amne remorum ope subvectus, oris navium ad ædes regias religatis, quod universus populus egressum prohibebat, recedere coactus est. Itaque discessit, sperans, se ab cognatis suis et Magni amicis opibus et auxiliis adjutum iri; quæ spes eum non ex toto fefellit. Hinc statim post festum Jolense cum Magno abscessit, subsequentibus Björne Erlingi filio, Gunnare de Gimsis, Haldore Sigurdi filio, Aslako Hakonis, et fratribus Benedicto et Eiriko, aulicisque, qui secuti Magnum fuerant. Austrum versus Mæriam classe prætervecti, cum ad ostium sinus Römsdalensis pervenissent, copias partiti sunt: Sigurdus occidentem

---

[1]) Hoc nullo modo consistere potest, cum tantum sex annos regnaverit Haraldus. Si in Cod. numerus characteribus romanis (xvj) expressus fuit, prima numeri nota (x) ex repetita et depravata præcedenti voce „var" (v with r above) incuria librarii alicujus facile interpolari potuit.

versus mare trajecit, Magnus in Uplanda concedens, magna inde auxilia exspectabat, neque frustra; ibidem sese per hiemem et æstatem insequentem continebat, magnumque copiarum numerum adeptus est. Ad hunc adgrediendum Ingius sese cum copiis paravit. Congressi sunt loco, quod Mynnium dicitur; hic acre prælium commissum, Magno numero copiarum superiore. Dicitur Thjostolvus Alii filius, vexillis succedens, regem Ingium inter pugnandum in sinu gestasse. Qui cum labore et oppugnatione in magnum discrimen veniret, vulgaris sermo est, regem Ingium tunc accepisse eam corporis debilitatem, qua per totam inde vitam laboravit, nempe tergum in gibbum contractum, pedemque alterum altero breviorem, tamque debilem, ut, quoad viveret, incedere nunquam posset. Verum tamen strages in Magnianos versa est, hique in primore acie ceciderunt: Thorkel et Haldor Sigurdi filii, Björn Erlingi filius, Gunnar de Gimsis, magnaque pars militum Magni regis, antequam ipse capessere fugam vellet. Sic Kollius Elegans:

Brevique post, princeps, gladii
impetum concitavisti ante
Mynnium in oriente, ubi milites
galeati prædam ensibus paravere;
clypeos conseruisti, loricæ
vero quietem denegasti;
tu, liberalis, juvenis rex,
regnum tuum defendisti[1].

---

[1]) Constructio: *Ok unnoð brátt síþan, hilmir, oddhríþ austr for Mynni; lið und hjálmi fècc sverþom hrafnsferþar a); er b) lögþoð saman randir, en synjaþir c) brynjo eirar d); þú úngr, örr c) þengill, varþir þitt land.*

a) *verðar, Hk.*; forte h. l. *hrafnsferþar* est id. q. *hrafnsverþar*, sicut *vetfángr* est id. q. *vetvángr*. *b*) *þer*, id., *Hk.* *c*) Sic *Hk.*; *orsynja þic, M,* mendose. *d*) Sic *Hk.*; *eirat, M,* facili errore.

Idem porro cecinit:

Priusquam rex, annulis liberalis,
inde recedere induceret animum,
omnes ejus satellites humi ceciderant.
Rex belli peritus (sub) cœlo.
Prælii avidus Thrandorum
princeps clypeos dissecuit;
tu, rex, duplo majori, quam
Magnus, fortuna usus es[1].

Inde rex Magnus orientem versus in Gothiam profugit ad Karolum Sörkveris filium, virum prudentem et avarum. Rex Magnus ac sui, ubicunque viros principes convenirent, significarunt, aditum Norvegiæ viris potentioribus, si qui affectarent, patere, quod nullus rex regno præesset, præfectis summam rerum tenentibus et rempublicam administrantibus: et inter præfectos, quibus cura civitatis regendæ nunc maxime commissa est, invidia jam gliscit, et alii alia sentiunt. Cumque Karolus dynasta cupidus dominationis esset, et aliorum adhortationibus faciles aures præberet, exercitum colligit, atque ab oriente in Vikam devehitur, ubi multi incolarum metu adacti ei se subjecerunt. Quibus rebus cognitis, Thjostolvus Alii filius et Amundius, collecta quæ comparari poterat manu, Ingium regem secum adducentes, adversum tendunt. Occurrunt Karolo et Gothorum exercitui in (silva) Krokaskogo ad orientem, ubi altero prælio commisso, magnaque edita strage,

---

[1]) Constructio: *Fyrr en hringmildr harri a) vildi þaþan, lá öll hans verþúng á velli. Vigfimr konúngr himni b). Sóknfúss c) siclingr þrønda klauf d) sundr herscriptir e); jöfurr, þer fècz hálfs hœri f) gipta g), en h) Magnúsi.*

a) Hk.; harra, M. *b)* Vide supra hist. Ingii cap. 2. *c) Hk.; songfúss, M.* *d) klauft*, dissecuisti, *Hk.* *e) Hk.; hersciptir, M.* *f) hœrri*, id., *Hk.* *g) Hk.; gipto, M.* *h) Hk.; um*, circa, *M*, i. e. *klauf sundr herser. um M.*, dissecuit clypeos circa Magnum.

rex Ingius victoriam adeptus est. Hic magna Gothorum multitudo cecidit; dynasta orientem versus e silva fugiebat, rex vero Ingius fugientes penitus e regno suo expulit, expeditione ignominiosissime defunctos. Sic Kollius:

Verbis persequar, ut fulgidos
gladios princeps cruentarit;
corvus vulneribus Gothorum inhiavit:
aquila haud raro ventrem implevit.
Ex pugnæ concitatoribus, qui
in silva Krokensi prælium
fecere, sumta vindicta est;
tuæ potentiæ documenta exstant[1].

Magnus Cæcus in Daniam contendit ad Eirikum Emunlum, a quo bene exceptus est; pollicitus est regi Eiriko, si Danorum exercitum in Norvegiam transducere, regnumque in suam potestatem redigere vellet, se ejus castra secuturum; addens, si cum validis copiis adesset, neminem in eum conjicere hastam ausurum. Rex, copiis provincialibus in expeditionem evocatis, cum classe ducentarum et quadraginta navium in Norvegiam profectus est, Magno Cæco ac suis castra Danorum regis sequentibus. Eirikus ab oriente per Vikam profectus, sic satis quiete et pacate iter fecit; et Tunsbergum delati inciderunt in magnam multitudinem, a præfectis coactam, regemque Ingium. Hic eis neque in terram egredi, neque aquam petere licuit, multique ex iis interfecti. Inde sinum ingressi Osloam contenderunt; hic Thjostolvus Alii filius curabat. Ferunt, oppidanos vespera (præcedenti) scrinium sancti

[1]) Constructio: *Monc a) lýsa, hve visi rauð ljósa sárisa: hrafn laut i ben Gauta, örn fyldit sic sjaldan. Sverþa glaum herþendom b), þeim er görþo róg á Crókascógi, varþ goldit; raun er ut þinu ríki c).*

a) Sic dedi; *mont*, 2. pers., *M*, mendose. *b*) *herðondom*, id., *Hk*. *c*) Vide supra hist. Ingii cap. 3.

Halvardi ex oppido deportare voluisse, virosque quotquot adhiberi potuerint onera subiisse, neqne tamen ob gravitatem longius quam in pavimentum templi exterius exportare potuisse. Mane sequenti classem viderunt per exteriora ad Höfudeyam subeuntem; tum qnatuor viri scrinium ex oppido extulerunt, Thjostolvo universisque oppidanis prosequentibus; scrinium Forsum in Römariko deportatum, ibi tres menses asservåtum est. Thjostolvum supra oppidum resistentem quidam (hostium) cursu persecuti sunt. Quorum ceteros celeritate antevertentem proretam, nomine Askelem, Thjostolvus emissa sagitta spiculata percussit in jugulo tanta vi, ut cuspis per occiput exstaret; quod telum certissima manu missum esse vulgo existimatum est, cum nulla corporis ejus pars, præter hanc solam, nuda esset. Thjostolvus insequenti nocte Römarikum obiens copias contraxit, Eirikiani vero templum Halvardi subjecto igne penitus deleverunt. Mox Thjostolvus cum magno copiarum numero descendit, Eirikus autem classem solvit, nec usquam ab ea parte sinus in terram egredi propter conlectam incolarum multitudinem licuit; sicubi escensionem facerent, sex aut septem desiderati. Rex Ingius et nutritius ejus, Amundius Gyrdi filius, nepos Lögbersii (Bersii jurisconsulti), cum magna classe in fretis Hornboræis steterunt; hic rex Ingius prælium cum Eiriko commisit, magnumque militum ejus numerum occidit. Rex Eirikus in Daniam aufugit. Et vulgaris sermo fuit, a nemine tantis cum copiis expeditionem minori successu factam. Eirikus vero Magnum ac milites mendacii arguebat, quod dixissent fore, ut Norvegia illis vacua pateret, neque hasta in eos conjiceretur; neque se unquam eos, quo antea, amicitiæ loco habiturum significavit.

De filiis Haraldi regis.

Cap. 5. Jam de filiis Haraldi regis, Ingio et Sigurdo, commemorandum, quemadmodum Eirikus Oddi

filius, vir prudens et intelligens, retulit; hæcque relatio maxime hausta est ex ore Hakonis Magii, viri præfecti, qui adsedit et narravit has res, cum primo literis mandatæ sunt; ipse vero ac filii ejus his expeditionibus et plerisque præliis interfuerunt, unde ei homines hic nominati noti fuerunt; et is, qui historiam memoriæ prodidit, plures veridicos homines, hujus narrationis testes, nominavit.

De Sigurdo.

Cap. 6. Sigurdus Slember ea æstate in Daniam reversus, in freto Orano duo prælia cum Vindis gessit, alterum ad Errium, ubi octo naves vastavit, multis hominibus interfectis, quibusdam suspensis. Post hæc aliquantum temporis in terris australibus consumsit, quod se nihil in Norvegia efficere posse intelligebat, resistentibus maxime Thrandis ac Mæriensibus. Sic Ivar:

Insurrexerunt adversus
regem ab occidente delatum
Thrandi ac Mærienses, qui
commodis suis defuerunt.

Homines fefellerunt,
animis mutatis,
virtute præditum
Magni filium.

Memorat etiam, Sigurdum ab Norvegia profectum in Svioniam pervenisse. Quod hi versus testantur:

Strenuitate experti
milites principis
ad funes properarunt
vehementi in tempestate.
Necesse erat, ut alii
veli curam haberent,
alii fluctus egererent;
tunc navigantes alsere.
Uda tempestas
aplustre auro
splendidum concussit
supra navem regiam.

Flectebantur,
gubernante rege,
celocis antennæ
supra Sigurdum.
Cito navem trusere
celeri in procella
undæ volventes
rapidique æstus,
Religarunt milites
generosi principis
longam celocem
ad Kalmarnesum.

Ubi in regnum Danorum regis pervenerat, multorum

procerum hujus regni amicitiam sibi conciliavit, primoque ipsius regis; quod hoc loco memoratur:

Bellicosus heros amicitiam sibi
Jotorum principis solerter conciliavit.

Ivar memorat, quod supra dictum est, eum prælium ad Errium fecisse:

Sigurdus, ad prælia pugnare, ad Errium
ferox, qui ausus est Vindis occurrit.

Idem porro ait:

Octo celoces rex inhiavit corporibus;
juvenis vastavit; cæsa gladio procubuit
lupus Vindorum barbarorum manus .....

Alterum prælium ante Mæriam commisit, multosque Vindorum interfecit, teste Ivare:

Alterum præterea usus est armis,
prælium commisit Vindis cadentibus,
rex gladio audax dux liberalis
ad orientem Mæriæ: altera vice.

Inde profectus, orientali Albis brachio subvectus sex naves ex classe Thoreris Hvinantordii et Olavi Haraldi Kesjæ filii expugnavit, Olavumque in terram expulit, ut hic dicitur:

Rex in Albi, quando jacula vibrabantur,
ad paternum regnum ictus ingeminarunt,
recuperandum pugnaret, utrorumque milites
corvo dapem acquisivit: cæsi occubuerunt.

Thjostolvus Kouungahellæ versabatur, eoque loco fines regni tueri debebat. Huc classem Sigurdus admovit. Tela inter se conjecerunt, neque escensionem facere Sigurdo licuit; multi utrinque ceciderunt, multi vulnerati. Hic cecidit Ulvhedin Söxolvi filius, ex boreali territorio Islandiæ ortus, proreta Sigurdi. Hujus rei memorat Ivar:

Rex laudatus Elapsi sunt
ex classe Thoreris Olavi comites,
ea expeditione qui ex Albi
tres naves vastavit. fugati sunt.

Cum Sigurdus in portu, dicto Portyria, in ora Limgardica sito, staret, navium Vikam intrantium indeve excurrentium diripiendarum occasionem captans, suis in terram egressis et in præda dividenda occupatis, Tunsbergiani, collecta ad eum opprimendum manu, necopinato supervenerunt, aliis e locis superioribus eos invadentibus, aliis naves per transversum sinum extra portum constituentibus. Hoc loco magna Sigurdianorum pars cecidit, inter quos Finnus Geita (Capra) et Askel Smidi filius. Sigurdus in navem suam elapsus, hostium classi remigando adpropinquavit; quorum proximus Vatnormus cum navem suam remis avertisset, Sigurdus unica nave in apertum pelagus effugit. Tum hi versus compositi sunt:

Pugnam non bene sustinuit
Vatnormus Portyriensis.

Inde in pelagus vela dederunt; cum vero velificatio majorem in modum urgeretur, unius ex navis ejus vectoribus facta jactura est; ei viro nomen erat Kolbeini Thorlaki[1] filio de Bataldro, qui scapha, quæ a puppi navis religata trahebatur, vectus interiit. Sigurdus Slember apertiori pelago se commisit, cum austrum versus venisset ....

De rege Sigurdo Slembere.

Cap. 7. Insequenti autem æstate utrique, ille ac Magnus, classe septem navium ab austro profecti, in Listio oppresserunt ..... noctu omnibus insperantibus, cum classem ad terram adpellerent. Aderat eo loco Bentein Kolbeinis filius, aulicus Ingii regis, vir ad omnia strenuissimus. Obscuro crepusculo egressi, insperato supervenerunt, ædes corona cinxerunt, ignemque tectis injicere pararunt. Sed Bentein ex ædibus elapsus, in domum quandam lorica armisque bene in-

---

[1]) rectius Thorljoti; nam hunc eundem esse ac supra cap. 3. memoratum, docet particula historica ined. de Einare Sokkii filio, in fine.

structus confugit, seque defendere statuit. Tum Sigurdus locutus est: quis militum Benteinem adgredi audet, specimen summæ virtutis daturus? Cum omnes cunctarentur, Bentein, sermone eorum audito, respondit: quicunque ingressus fuerit, telis excipi se sentiet. Domus erat obscura, et Bentein ad introitum nudo cum gladio adstitit, clypeum prætendens sibi, caput galea tectus, vir summæ strenuitatis. Sigurdus modico intervallo distans, cum neminem paratum ad ingrediendum videret, sumsit amiculum cinereum, quod ei erat, cujus partem pedibus insistendo abrupit, qua circum manum obtorta, gladium destrinxit, nihilque cunctatus ad domum se convertit, solo indutus indusio, capite aperto: teli instar emissi intro in domum involat, ut eodem momento in interiori parte domus constitutus, hostem ad fores stantem adgrederetur, eumque letali plaga adficeret; atque sic exiit, ut caput ejus manu gestaret, tum quidem egregiam strenuitatis speciem præferens, ut qui esset omnium hominum membris vegetissimus. Sic carmen habet:

Rex liberalis a Nesiis
orientalibus profectus,
prætervectus Agdas in
Listium classe contendit:
cecidit ducum progenies,
bellum in regno ardebat:
tractus habitati, auctore
rege, inflammati sunt.

Præfectorum copiæ,
ab rege fugatæ, in
silvam dilapsæ sunt,
flammis ardentibus.
milites, hastas cruentas
gestantes, Benteini,
antequam mortem oppeteret,
sangvinem elicuerunt.

His gestis ad naves revertuntur, et classem solvunt. Erat Sigurdus magna statura et pulcer, coma badia, fronte contractiore, oculis cæsiis, facie recta; in naso gibbus; ...... et agilis, quemque hominem omnium rerum peritia antecellebat. Ubi vero rex Ingius, et fratres, Sigurdus ac Gyrdus Kolbeinis filii, cædem Benteinis cognoverunt, rex manum adversus eos misit, ipseque profectus, navem intercepit Hakonis Pungeltæ,

qui filius erat Pauli, nepos ex filia Aslaki filii Erlingi de Solio, et cousobrinus Hakonis Magil. Rex Ingius Hakonem cum omnibus sociis in terram expulit, omniaque eorum impedimeuta cepit. Hi in Fjördos fugerunt: Sigurdus Storkns, filius Eiudridii Gölardaleusis, et Eirikus Hælus, frater ejus, nec non Andreas Keldoakitus, Grimi filius. Sigurdus vero et Magnus Cæcus et Thorleivus Skjappa boream versus in Halogiam tribus uavibus cursu exteriore navigarunt; Magnus ea hieme in Bjarkeya remansit apud Vidkunnum Joannis filium: Sigurdus vero, et cum eo amplius viginti homines, eadem hieme in Finnmarka delituit, navemque suam prora puppique mutilatam in interiori parte sinus Ægisfjördi demersit; sermo autem erat, victum ei suppeditatum fuisse ab Thorleivo Skjappa et Eiuare, filio Ögmundi Saudensis ac Gudrunæ, filiæ Einaris, filii Arii de Holis in Reykjaneso sitis. Ea hieme Sigurdus hos versus composuisse dicitur:

Jucunde vivebatur in casa
Finnica, ubi læti potavimus,
hilarisque regis filius
inter scamna ambulabat.
Hic voluptate non carebant
jocose compotantes;
vir virum oblectabat
in ea regione, ubi fui.

Insequenti vere a borea profectus, duas cursorias habuit, quas ei Finni fabricaverant; his nulli clavi inerant, nervis erant contextæ, funes pro statuminibus, duodenis viris impellebantur, tamque celeres erant, ut aquis capi non possent. Hos versus haud dubie audivisti:

Pauca tantum navigia possunt
abietem consequi Halogicam;
hæc enim navis, nervis contexta,
sub velis rapida fertur celeritate.

In Vogos delatus, sacerdotem Sveinem duosque filios ejus comprehendit, hosque omnes interfici jussit. Memorat Ivar, Sigurdum proxima post cædem Benteinis hieme in potestate Halogorum fuisse:

Proximam hiemem
apud Halogos
animosus princeps
commoratus est;
rex bellicosus
patris ac duorum
filiorum cædem
in Vogis patravit.

Inde in Vikar concessit, ibi Viljalmum Skinnarium (Pellionem), virum præfectum, alterumque Thoraldium Keptum comprehendit et utrumque interfecit. Sic Ivar:

Proximum prælium
in Vogis ad boream
commissum est, in quo
Viljalmus cecidit.

Inde austrum versus profectus, Styrkari Glæsirovæ, ab emporio (Nidaroso) proficiscenti, prope Byrdam occurrit, eumque interfecit. Sic Ivar:

Deinde occurrit prope
Byrdam ad austrum
rex prælio audax
Glæsirovæ:
necem princeps
Styrkari attulit;
corvus quassavit
cruentas alas.

In Hvalsnesum delatus, incidit in Svinagrimum, cui dextram præcidi jussit. Sic Ivar:

Ante Valsnesum
princeps acriter
Svinagrimum
oppugnavit:
fecit, ut regis
cognatus dextram
manum amitteret,
ante finitam pugnam.

Tum in Mæriam profectus, ante ostium sinus Thrandheimensis Hedinem Hardmagium et Kalvum Klingrögum comprehendit, ex quibus Hedinem dimisit, Kalvum interfecit. Memorat Ivar, Finnum ab eo vivum captum:

Occurrit Finno
honoris cupido
dux liberalis in
Kvildris ad orientem;
fecerunt milites,
ut strenuus
Ulvi gnatus
vitam amitteret.

Idem porro:

Ante Mæriam
liberalis princeps
Hedinem cum sociis
vivum prehendit;
ex Kalvo
Kringlögo
perquam sævas
pænas sumsit.

Quibus hæc addit:

Rex Sognensium
ubique per exteriores
insulas et litora
arma circumtulit.

Idem porro:

Ante Sigurdum
videre licuit
acutos gladios,
discissas loricas
accisos clypeos,
hastilia cruenta,
signa vento perflata
super præliatoribus.

Rex Ingius et Gyrdus, nutritor ejus, de itineribus Sigurdi, iisque quæ patraverat facinoribus, certiores facti, Joannem Ködam, Kalvi Rangi (Pravi) filium, fratrem Ivaris episcopi, et sacerdotem Joannem Smyrilem ad eum conquirendum miserunt. Rhenone, nave omnium celerrima, viginti et duorum interscalmiorum, militibus instructa, austrum versus ad eos quærendos profecti sunt. Sed sermo hominum fuit, eos navem Sigurdi conspexisse, neque adoriri ausos; unde exigua cum gloria reversi sunt. Sigurdus iter continuavit, donec Herdlam in Hördia attigit; hic Einar, filius Laxa-Pauli, incoluit, qui tum Hamarem ad celebrandum conventum dierum ambarvalium profectus erat. Illi omnia bona, navemque longam viginti quinque interscalmiorum, rapuerunt: filiumque ejus, quatuor annos natum, qui illis advenientibus apud operarium ejus cubuit, comprehenderunt. Quem cum alii occidere, alii abducere vellent, operarius eos allocutus: exiguam haud dubie ultionem eo occidendo, exiguumque commodum abducendo obtinere vobis videbimini; nam hic meus, non Einaris, filius est. Discesserunt, puero non abducto. Einar domum reversus operario pecunias dedit, ad duarum auri unciarum pretium æquantes, seque perpetuum ejus amicum fore pollicitus est. Sigurdus cum suis orientem versus in Vikam contendit, et Finnum Södulvi filium, mercedes prædiorum exigentem, oppressit suspenditque. Quo facto austrum versus in Daniam profecti sunt.

Litteræ ab rege Ingio missæ.

Cap. 8. Significarunt Vikenses ac Bergenses, iniquum sibi videri, regem Sigurdum advenire recusare, ut regnum unacum Ingio fratre defenderet, multum differre dicentes, quod rex Ingius cum suis omnibus expositus periculis esset, multaque prælia adversus ...... commisisset, Sigurdus autem rex suique amici in Emporio boreali quieti considerent, percussoribus patris ejus ante ostium sinus Thrandheimici publico cursu classe proficiscentibus. Tum rex Ingius literas sigillis munitas boream versus in Thrandheimum misit, quarum tale erat argumentum: rex Ingius fratri Sigurdo, ejusque consiliariis, Sada-Gyrdo, Ögmundo Svipteri, Ottari Birtingo, item omnibus ejus præfectis, nec non aulicis et domesticis, amicis nostris, colonis et .... universo populo, divitibus pauperibus, juvenibus senibus, suam Deique salutem mittit. Notæ sunt omnibus quæ nos circumstant difficultates, item infantia nostra, cum tu quinque, ego trium annorum sim; qui nisi amicorum et bonorum civium consiliis adjuvemur, nihil efficere valemus. Mei amici in difficultatibus versari sibi videntur, dum tu tuique amici quietam et placidam vitam agitis. Quare gratum mihi feceris, si quanta potueris maxima stipatus militum multitudine ad me venias, ut, quicunque incidat casus, una simus. Is demum nos maxime amat, qui hortatur, ut inter nos quam amicissimi simus, parique in omnibus rebus jure fruamur. Quod si hanc rem neglexeris, et nunc, ut antea fecisti, meis necessariis mandatis parere recusaveris, præmonitum te volo, me copias adversus te mittere, reique eventum divino permittere arbitrio statuisse; neque enim rerum nostrarum status pati videtur, ut tantam nobiscum militum multitudinem habeamus, quantam deposcit inquietus iste rerum status, tu vero omnium mercedum prædiorum Norvegiæ dimidiam partem auferas. Paci divinæ commendatus vale.

Tum surgens Ottar Birtingus hunc in modum verba fecit: hæc rex Sigurdus regi Ingio, fratri suo, renuntiari vult: orat, ut Deus ei pro missa sibi salute amicissima, pro laboribus et occupationibus, variisque periculis, „quibus tu tuique amici, utriusque nostrum necessitate adducti, sæpenumero expositi fuistis", præmia persolvat. Literæ Ingii regis, etsi quædam in Sigurdum fratrem ejus acerbiora continent, tamen quædam habent non sine gravi ratione dicta. Jam ego statim meam mentem aperiam, si cum regis aliorumque hominum voluntate fieri liceat: ut tu, Sigurde, cum iis quas comparare potes copiis, quam primum licuerit, ad regem Ingium, fratrem tuum, proficiscare, utque alteri alteros in omnibus rebus ad communem salutem spectantibus adjuvetis, Deo omnipotente utriusque res confirmante. Tua jam verba, rex, audire jubet. Rex, in comitia a Petro Södulvi filio portatus, hæc locutus est: sciant omnes homines, velle me, si mea valebit sententia, fratrem Ingium, ut primum licuerit, convenire. Deinde ceteri, alteri alteros ordine excipientes, ut eorum consvetudo fert, verba fecerunt, longasque orationes ea de re habuerunt, tam Gyrdus et Ögmundus, quam multi alii præfecti; quorum orationi idem argumentum et finis fuit, atque Ottaris Birtingi, primum verba facientis, fuerat. Quibus actis orientem versus in Vikam ad regem conveniendum profecti sunt.

De Sigurdo Slembere.

Cap. 9. Eadem autem æstate Sigurdus Slember et Magnus appetente hieme in Norvegiam venerunt cum navibus triginta, Danorum Norvegorumque copiis. Quod hoc loco innuitur:

Postremo Sigurdum
regni recuperandi cupido
exiguis cum copiis
ab austro impulit.
Quocum se rex

Magnus, multarum
rerum inops, ad
expeditionem paravit.
Rex strenuissimus,
ad prælia promtus,

triginta celoces
ab austro duxit.
Classem Sigurdi
incolæ metuebant;
conserti ordines clypeorum
regias naves ornabant.

Quo cognito fratres, Ingius ac Sigurdus, cum classe viginti ingentium navium adversus eos contenderunt; quod sequentia testantur:

Haraldi inclyti,
laudati filii
magna cum classe
ad pugnam ibant;
quando Ingius
remigium urgebat,
Magni liberalem gnatum
mari adgressurus.

Congressi sunt die solis proxima post festum Martini, quod in diem Saturni proxime antecedentem incidit; mox prælium commiserunt; teste poeta:

Crepuerunt antennæ,
quando principes,
præliis adsveti,
armis utebantur;
pax inter cognatos
dissoluta est:
bellum sæviebat,
pugna commissa est.
Suspirabant milites,
chalybes rubuerunt;
rex lucidus utraque
manu tela misit:
duræ hastæ secabant,
vulnera urebant;
naves utrorumque bellicæ
sangvine rubefactæ sunt.
Multæ volucrium
per mare centuriæ
ad pugnam volabant,
sangvinem potaturæ.
Cuspides delebant
principis amicos;
pugna increbuit,
cum Magnus cecidit.

Primo statim impetu Dani cum duodeviginti navibus prælio excesserunt, et austrum versus domum contenderunt, teste poeta:

Fugerunt Joti cum
undeviginti navibus,
qui Sigurdum ab austro
comitati fuerant.
Acies principis rupta est,
quando rex potens,
maritimis laboribus
svetus, armis utebatur.

Tunc naves Sigurdi ac Magni propugnatoribus nudari cœperunt. Quum vero navis Magni pæne esset defensoribus nudata, Reidar Grjotgardi filius, qui diu Magnum secutus fuerat, Magnum in lecto suo quiescentem

in sinum recepit, eumque in aliam navem deportare voluit; sed hasta missa inter scapulas transverberatus (quo eodem ictu Magnum periisse ferunt), in foros relapsus est in tergum, Magno super eum collabente. Cujus operam egregie et fortiter domino navatam nemo non collaudabat; o felicem, qui talem gloriam consequitur! Ibidem ceciderunt Lodin Linostadensis et Brusius Thormodi filius, proreta Sigurdi, Ivar Kolbeinis filius et Havardus Fægcr. Sic habet carmen encomiasticum de rege Ingio compositum:

Antequam Magnus, cædis avidus,
cecidit, ruber telorum nimbus
ingruit, quando milites, regem
prægressi, clypeos diruperunt:
sangvis in naves abundanter
decidit. Nemo cæde Sigurdi
dolet: nam tu, Ingi, regni
possidendi plenum jus habes[1].
Ipse quidem fortis, acervos
corporum prope litus monstravit:
sed tu, rex, omnem corvi famem
exstinxisti, qua re merito gloriaris.
Luporum progenies congressu
aquilæ in lato Langcyæ freto
perquam lætata est. Celebres
viri tabulas navium cruentarunt[2].

---

[1]) Constructio: *Áðr morþgjarn Magnús félli, dreif rauðri mjöll járna þrumo a), þá er öll b) rèð rjúfa scjölldo fyr gram; döct c) vápna fèll drjúgt á scocka. Öngr harmar dráp Sigurðar: því at vel áttu, Ingi, ráþa láþi.*

a) *járna þruma*, strepitus telorum, pugna, *járna þrumo mjöll*, nix pugnæ, missilia, secundum *Edd. Sn.* ed. Rask. p. 160. *b*) pro *öld*, quod melius metro convenit. *c*) putavi scribendum *döcc*, quod accipio pro *dögg*; ros armorum est sangvis.

[2]) Constructio: *Sjálfr snjallr a) sýndi valköst at landi: en*

Rex Magnus Cæcus, telo percussus, in hæc erupit: accidit septem annis serius. Hic magna pars militum eorum cecidit; nemo enim, qui capi potuit, dimissus est. In parvula quadam insula amplius sexaginta homines interfecerunt, in quibus duos Islandos, sacerdotem Sigurdum, filium Bergthoris Maris filii, et Clementem, filium Arii Einaris filii. Ivar vero Skratthankius, filius Kalvi Rangi, postea episcopus Thrandheimensis, qui adsiduus Magno comes fuerat, in navem Joanis Ködæ, fratris sui, evasit; Joan in matrimonio habuit Ceciliam, filiam Gyrdi Bardi filii, et in exercitu fratrum militabat. Tres in navem Joanis evaserunt: alter Arnbjörn Ambius, qui postea duxit filiam Thorsteinis Ödsholtensis; tertius Ivar Dynta Starrii filius, frater Helgii Starrii filii, materno genere ex Thrandis interioribus ortus, vir eximiæ pulcritudinis. Quos advenisse cum milites animadvertissent, arma corripuerunt, Joanemque ac socios adgressi sunt; qui cum se ad defensionem pararet, prope factum est, ut totus exercitus inter se confligeret. Eo tandem pacto pacem cum Joane fecerunt, ut Ivarem et Arnbjörnem pecunia stipulata redimeret, quæ pecunia ei postea condonata. Ivar Dynta in terram eductus, securique percussus est; nam Sigurdus ac Gyrdus Kolbeinis filii pecunias pro eo accipere noluerunt, quia ei imputarunt, quod cædi fratris eorum interfuisset. Testatus est Ivar, hanc rem sibi accidisse acerbissimam, quod cognominis ejus in terram abductus est securi percutiendus, cum eos ante osculatus vale dixisset. Sic dixit Gyrida matrona Bir-

þú, vísi, brátt allri munins föstu, því um hrósar vel. Fundr arnar varþ einkar tiþr úlfs börnum í víðo Lángeyjar sundi; fregir fyrþar ruþo borþ.

a) i. e. Sigurdus Slember; *sýndi valköst at landi*, i. e. effecit, ut multa cadavera ad terram ejicerentur, magnam stragem edidit.

geris filia, soror Joanis, archiepiscopi, se Ivarem episcopum hæc loquentem audisse . . . .

Cap. 10. Jam de rege Sigurdo Slembere narrandum. Nave ejus ab hostibus jam conscendi cœpta, egregia virtute se tutatus est, multisque hominibus noxam attulit; jamque ad interscalmium anterius penetrarunt; sic Ivar:

Celox, (regem) ab oriente
advectum (ferens), a prora
ad puppim vastata erat
(australes gladii acuti fuere):
cum regis filius,
pugnandi peritus,
e navi sua exsiliit,
natando evasurus.

Deinde cæsis lustratis, cum Sigurdum Slemberem non invenirent, scaphis vecti eum quæsiverunt. Inciderunt in aliquem natantem, quem interficere voluerunt; ille vero vitam pactus, indicaturum se, ubi Sigurdus Slember esset, pollicitus est; quam ii conditionem acceperunt. Clypei, hastæ et cadavera juxta naves passim aquis innatabant. Tunc homo: videtis haud dubie rubrum clypeum fluitantem; sub hoc latet. Eo advecti comprehenderunt eum et in terram deportarunt. Ille devastata nave sua in mare desiluerat, loricamque sub aquis exuerat, omnes enim homines natandi peritia superabat; igniarium secum portaverat, et fomitem juglandis putamini inclusum circumfusa cera servaverat. Natans sublato clypeo se texit, ne quis intelligeret, hic clypeus aliusne esset, multis in salo fluitantibus. Dixerunt se reperturos eum nunquam fuisse, nisi indicio monstratum; ideoque memoriæ proditum est, quomodo igniarium servaverit, quod solertis ingenii judicabant, rem ita instituisse, ut nunquam madefieri posset. Sic Ivar:

Captus in aquis
bellator est, qui
ceteros mortales animi
fortitudine superavit.

Cum in terram venissent, militibusque indicatum esset, Sigurdum vivum captum esse, præ gaudio conclama-

runt. Quo audito Sigurdus inquit: multi mali homines meo hodie supplicio ovabunt. Dein Thjostolvus Alii filius ad eum accedens: cur adeo audax fuisti, servo nate, inquit, ut te Magni regis filium esse profiteri sustineres? Ille: non potes meum patrem cum tuo patre aut servo comparare; tuus enim pater parvi fuit ad meum patrem. Hallus, filius medici Thorgeiris Steinis filii, regis Ingii aulicus, qui tunc ibi adfuit, refert, consiliariis regum statim interfici eum placuisse, eos vero, quos ulciscendi cupido maxime stimulasset, ejus excruciandi auctores maxime fuisse; inter quos nominavit filios Kolbeinis et Petrum Södulvi filium; plerosque vero militum ab hoc spectaculo abhorrentes discessisse. Tum Petrus brachia ejus fune constrinxit, tam violenter, ut in vivam carnem deprimeretur. Hic Sigurdus: arte jam funem, Petre, constringis. Cui ille: hoc me tunc docuisti, cum Fiunum fratrem meum in Kvildris ad orientem occidisti. Dein tibias pedum, item brachia, securium malleis diffregerunt, quo facto cutem capitis inciderunt; vestimentisque spoliatum scuticis coriaceis flagellarunt, donec tota cutis ita detracta esset, ut si vivus excoriatus fuisset. Et fertur, dum cruciabatur, hymnos ex psalterio cantasse, indeque semper incepisse, ubi desiiset, etsi per intervalla animi deliquium pateretur, tumque pro inimicis precatus esse. Sic Ivar:

Male accidisse puto,	Cantavit psalterium
quod generoso regi	virorum dominus,
tantos in cruciatus	Sigurdus, dum ab
perveniendum fuit.	inimicis cruciabatur.
Nemo Sigurdo	Rex auri liberalis,
posthac fortior	in pugna fortis
capulum gladii	precatus est pro eis,
manu prehendet.	qui eum torquebant.

Sensu destitutum ad arborem quandam pertraxerunt, eaque suspenderunt. Sic Ivar:

Audivi, regem vitam posuisse, cum psalterium cantavisset; cupiebat peccata confiteri et accipere absolutionem; sed hoc ei non concessum est.

Cumque mortuus esset, et amici et inimici ejus fassi sunt, neminem naturæ dotibus ad omnia præstantiorem Sigurdo fuisse; at nihilo minus maligna fortuna usus fuit. Non ideo tam brevis fui in iis memorandis, quæ locutus fuerit, quod non multa ei tributa audiverim, sed Halius sic narravit, eum pauca fuisse locutum, paucisque tantum hominibus, etsi verbis eum compellassent, respondisse; idem testatur, Sigurdum non magis corpore motum prodidisse, quam si trabem aut lapidem percuterent: atque addidit, fieri posse, ut vir strenuus, patientia et fortitudine bene instructus, inter cruciatus silentium servet levemque corporis motum ostendat; verum Halius dixit, eum nunquam vocem magis mutasse, quam si in scamno tricliniari inter amicos suos sederet; voce neque altiore, neque submissiore, neque magis tremebunda, quam pro solito locutum, atque ad mortem usque usu lingvæ valuisse. Sacerdos vero, qui templo prope inde sito præerat, funus Sigurdi ad hanc ædem deportandum curavit; qui sacerdos filiorum Haraldi amicus erat. Illi vero hanc ob rem odio eum prosecuti sunt, et pecunia multarunt, funusque in locum saxis asperum deportari jusserunt. Dein amici ejus ab Dania advecti, funus Alaborgam deportarunt, et in æde Mariæ, quæ ibi est, sepeliverunt. Sic dixit Ketil ecclesiarum præpositus, qui ædis Mariæ curam gerebat, Sigurdum eo loco sepultum esse. Thjostolvus Alii filius funus Magni regis Osloam deportandum, et in æde Halvardi juxta Sigurdum patrem ejus sepeliendum curavit. Lodinem Söprudum Tunsbergum deportarunt; reliqua vero omnia funera ad locum prælii sepeliverunt, et magnopere triumphantes discesserunt. Hoc memorat Bödvar Claudus in

carmine encomiastico, quod de rege Sigurdo Haraldi filio composuit:

Rex fraudis expers! nunc demonstrabitur,
ut patris tui ultionem executus sis;
egregia promissa præclari principis
ad effectum perducta sunt.
Effecisti, monarcha, ut Sigurdus
in insula occumberet. Ejus prælii
fama multis locis audita est.
Mortuus est, qui regibus terrori fuit[1].

Idem porro cecinit:

Disertus Magnus in prælio
letali plaga affectus cecidit;
potens monarcha effecit, ut
rex tali mortis genere obiret.
Te, princeps, fortitudine valens!
necessitas, ultra quam debuerat,
ad talia facta impulit. Nos lupos
plurimis capitibus implevimus[2].
Duo liberales reges, omnesque
eorum milites ibi ceciderunt
in armorum conflictu. Lupus, cæsa
corpora discerpens, dentes rubefecit[3].

---

1) Constructio: *Læscjarr konúngr! nú skal lýst, hvc hefndir þíns föþor; görþiz efnd afregs orþa lista a) harra. Allvaldr, lötoð Sigurþ falla at hólmi: sú hjálms hriþ spurþiz víþa; ofkúgi jöfra dó.*

a) vel ex mente celeb. Raskii, *Lista harri*, rex Listii, rex Norvegicus.

2) Constructio: *Málsnjallr Magnús varþ falla at morþi í bavð: ríkr þjóðkonúngr rèþ firir slícom dauþa ræsis. þrecsterer konúngr! nauþr rao þic, meirr en scyldi, til þeirra verka. Fylldom flagþs hest flestom haf a)* ...

a) hæc vox abbreviata est in *M*, charactere *f* linea transversa notato; puto legendum *hafðum*, ab *hafuð* (= *höfuð*), cujus formæ exempla Fagrskinna et Gragasa suppeditant.

3) Constructio: *Tveir örvir jöfrar oc allt liþ þeirra fèll þar í taugnúngs a) veþri; úlfr rauþ teþr á dauþom her.*

a) Sic *M* a prima manu; *taugnings*, a manu secunda; utraque forma defendi potest, sed prior antiquior esse videtur.

DE EINARE SKULII FILIO.

Cap. 1.

Einar Skulii filius apud fratres, Sigurdum et Eysteinem, versatus est, eique rex Eystein amicissimus fuit. Ei rex Eystein id negotii dedit, ut Olafsdrapam[1] (epicedium Olavi Sancti) componeret; quod cum composuisset et in ipsa æde Christi, quæ in Thrandheimo est, recitaret, magnum accidit miraculum, svavissimo odore ædem implente; et ferunt, ipsum regem significasse, carmen sibi bene probari. Rex Eystein Einarem permagni fecit; et ferunt, regem Eysteinem aliquando sedem (ad mensam) occupasse, Einare nondum præsente, qui nuper ab rege aulæmagister factus erat. Hæc in Thrandheimo acciderunt. Einar se ad monasterium monialium, quod Bakkii est, contulerat. Tum rex: jam pœnam meruisti, poeta, quod mensis non adfuisti, cum regis poeta sis; tecum in gratiam non redibo, nisi stropham composueris, antequam poculum exhauriam. Tunc Einar stropham pronuntiavit:

Pia quidem abbatissa me,
ea de re haud sane anxium
(quanquam hoc sacris virginibus
vitio verto), esurire passa est;
verum ad epulas monialium
Bakkensium haud invitatus fuit
aulæmagister. Amico principis
fortissimi antistita nil apposuit[2].

Hoc ei regis animum reconciliavit.

[1]) Vide Scr. hist. Isl. Vol. 5. p. 323-349.

[2]) Constructio: *Dygg abbadissa lét gyrþa a) oss ángri firð-*

Cap. 2. Ferunt quoque, rege Sigurdo Bergis constituto, forte accidisse, ut ludi in oppido agerentur, aliquo dynastæ partes agente. Hic histrio, qui personam dynastæ sustinuerat, hædum furatus est, et die Veneris[1] comedit. Quod delictum puniturus rex, eum prehendi et cædi virgis jussit. Hic Einar interveniens: duriter jam histrionem tractatis, sodalem nostrum. Cui rex: hoc jam penes te esto; tu stropham componito, interea vero, dum eam componis, ille flagellator. Einar: itaque optaverit histrio noster, ut mihi carmen facili vena fluat. Quinque vapulaverat, cum Einar: jam stropha composita est:

Norvegus, imitator dynastæ,
pulsator fidium, male christianus,
colono surripuit hædulum,
avidus ille carnis homuncio.
Ligatus nequam jacuit, tergum
persultantibus verberibus;
sonora virga diu histrioni
duros modulos cantavit[2].

---

um b) um svángan, þótt (ek) viti en vígþo víf fyr þat; en stallarinn var-at kallaþr til átz með nunnom á Bacca. Drós gladdit vin ógnar raks vísa.

a) ad verbum: fecit mihi ilia constringi, i. e. esurire me fecit. *b*) S. Thorlacius in *Hk.* T. 3. p. 491. not. *k* hanc vocem dividit, cujus constructio talis esse videtur: *dygg, ángri firð abbadissa lèt en vígþo víf gyrþa um svángan; þótt* (*menn*) *viti oss fyr þat*, i. e. sedula, metus secura abbatissa fecit sacras virgines me jejunum sepire (me jejunum sacrarum virginum cœtu circumdedit); et tamen hujus criminis postulamur.

[1]) qua vesci carnibus non licuit.

[2]) Constructio: *Illa cristinn jarlmaþr austr, hinn er slær fiðlu, tóo kiþling frá búcarli: gróþr kjötz var á kauþa. Vámr lá bundinn: vöndr hröce á scip þillar a): velmáll límí song b) lengi leikara barþan c) príma d).*

a) Sic *M*, sed adverso metro, obscuroque sensu; celeb. Ra-

Cap. 3. Accidit aliqua æstate, ut excellens matrona, nomine Ragnilda, Bergas veniret; quam in matrimonio habuit Paulus Skoptii filius. Ea longam navem duxit, et præfectorum instar, splendide iter fecit. Quæ in oppido paulisper commorata cum se ad abeundum parasset, rex iter ejus conspicatus: quis poeta jam præsens adest? Aderat Snorrius Bardi filius, qui ad poesin tardiori vena præditus, cum non tam cito, quam voluit rex, expromere carmen posset, rex: haud ita res se daret, si Einar præsto adesset. Hic per incuriam sese aliquantum ab rege sejunxerat. Interrogavit rex, an in oppido esset, eumque arcessi jussit. Qui cum in pontes venisset, rex: exoptatus ades, poeta! en, quam splendido apparatu iter hujus matronæ adornatum est! stropham compone, quam, antequam navis Holmum prætervehatur, absolvito. Cui Einar: haud gratis faciam. Regi, quam mercedem postularet, quærenti Einar: tu, septemque præter te aulici, singuli singulos strophæ versus memoria tenetote; quod si non possitis, tot mellis modiolos, quot versus non teneatis, datote. Quod pollicito rege, Einar stropham cecinit:

En, puppe cavam secat undam
virago, tendens ad fretum
Utsteinis, vento turgida supra
antennas vela inflante;
unda sinus latera navis
ingenti æstu exercet.
Vix sustinet uspiam locorum
onus exoptatius ora puppis[1].

---

skius conjecit *þular* (oratoris, i. e. histrionis?), S. Thorlacius (*Hk.* T. 3. p. 486. not. *t*) *þislar* (cardui), utrumque metro minus convenienter; forte *þallar*, a *þöll*, tenera pinus, h. l. virga; *skip þallar*, navis virgæ, appellatur tergum, quod verbera sustinet. *b*) i. e. *söng*. *c*) Sic *M*; malui *hurðun*, quod habet *Hk.* l. c. *d*) *primi*, cantus matutinus; h. l. pro sonitu.

[1]) Constructio: *Hreystisprund ristr hlýrum hola báro at*

Tum rex: puto me memoria tenere: „En, puppe cavam secat undam;" imo, mehercle: „ouus exoptatius ora puppis." Nunquam versus interjectos meminerant. Tunc Einar in satellitium regis contuberniumque regiorum receptus est.

PRIMORDIA GREGORII.

Jam obierant fidelissimi fratrum consiliatores. Tum id memorabile evenit, quod vir quidam in boreali Norvegiæ parte vixit, nomine Geirstein, dives ac injustus, contentionis et turbarum plenus. Uni filiorum ejus nomen erat Hjarrandio, alteri Hisingo, qui etiam, velut pater, injuriosi erant, et in cultu splendidissimi. Horum soror erat concubina regis Sigurdi Haraldi filii, quare ejus amici erant, ipsique ac pater regis patrocinio tuti degebant. Haud procul a villa Geirsteinis prædia habuit matrona egregia, genere multisque virtutibus insignis, nomine Gyda, soror Ragnildæ, quam in matrimonio habuit Dagus Eilivi filius, vir magnæ auctoritatis, ex orientali regni parte, qui prope Tunsbergum prædia habuit. Geirstein animum ad Gydam adjecit, immoderatoque amore ejus captus est; illa vero a nuptiis ejus abhorruit. Quod ille sentiens contra exasperari cœpit et grave in eam concepit odium, significans, rem in ipsius incommodum versuram. Dein

---

Útsteinssundi; elreki bless þrútna vefi of ási; víkmarr a) við b) súþum breiþan c) brimsgáng. Varla heldr barmr lyptingar und vildra farmi á jarþríki.

a) intelligo undas sinus Bergensis, a *vík*, sinus, et *marr*, mare, unda. b) id. q. *viðr* (*vinnr*), per apocopen. c) Apographum A. Magnæi (*Hk.* T. 3. p. 487. not. b) habet *breiþr*, quod jungi potest cum *víkmarr*; ceterum adj. *breiðr* non solum „latum" significat, sed et „magnum" lato sensu.

pecora sua agris ejus depascendis adsvefacit, eaque re magnum ei damnum affert, querentem de injuria accusat. Ea, ut damnum suum intelligit, in hæc verba erumpit: quid mihi prodest cognatorum nobilitas, quæ tantas injurias accipiam? Gyrdus nominatus est nutritor ejus, vir pulcer ac strenuus; is respondit: vera loqueris, magnam ab Geirsteine injuriam accepisti, et intelligo te orationem ad me dirigere; atque mei sane oficii est ultionem exsequi; sed is, qui hoc facit, haud facile prævidere poterit, quæ ob regem Sigurdum inde profectura sint. Accidit die quodam, ut Gyda magnam pecorum multitudinem agros depascentem animadverterit, ubi magnam vastationem fecerant. Quam ob rem ira incensa, hastam corripit, et ad pecora excurrit. Gyrdus cognatus ejus obviam factus hastam ei eripuit, pecora ex agris abegit trans pontem amnis, qui prædia interluebat. Hic Geirsteini occurrit; atque concurrunt. Tum Geirstein, „insurgunt in nos homunculi obscuro loco nati, qui æquare nos dignitate volunt", eumque hasta petit. Gyrdus, excepto ictu, sinistrum latus ejus percussit, quæ plaga ei mortifera exstitit. Quo facto Gydam convenit, quæ gratum animum testata, duos paratos ei equos habuit; quorum altero veheretur, alter sacculos portaret. Misit eum ad Ragnildam sororem cum tesseris, ut eum ab inimicis defendat, item ad Gregorium filium ejus: sed persvasum habeo, inquit, hanc cædem summo studio actum iri. Hic vir in orientales regni provincias profectus ad Gregorium venit; is magno quidem stipatorum numero circumdatus erat, sed primo negotiis decernendis parum adjicere animum visus est, unde sermones admodum varii exstitere, quam strenue ....

....

quod me aliorum negotiis expeditu difficilioribus parum ad hoc usque tempus admiscuerim, in primis, quod ea fama exierit, me ad imperium suscipiendum parum

idoneum esse; ei vero, qui resistere regi Sigurdo audeat, magnis auxiliis opus esse, vix est quod dubitemus; itaque respicienda nobis magis est virium nostrarum inopia, quam illata injuria. Ea contra: patrocinium hominis suscipe, ut vitam conservare possit, etsi hoc facinus patrarit; magnum sane vituperium a cognatis nostris amolitus est; rationem habe mei deprecantis tuique ipsius honoris. Gregorius: arduum erit, contra regem insurgere; et indecorum mihi videtur, polliceri auxilium, ut frustra sit. Tum ea vultu irato: tu vero diu homo vilis pretii eris, siquidem interfici cognatos tuos nihil curas, atque haud dubie ab egregiis majoribus tuis degeneras; saneque urgente necessitate hoc facinus commissum fuit. Hic Gregorius: valde me hortaris, mater, age, cedo hominem; ille procedit, suumque negotium solerter proponit; rem omnem, ut gesta erat, exponit; tesseras ostendit; docet, quanti sua interesse cognati ejus existiment, ut causam suscipiat; monens, si quando aliorum princeps esse velit, hujus aliquando periculum esse faciendum. Hac tandem hominis demonstratione ac necessitate matrisque hortatione permotus, infit: magno sane studio hoc negotium urges, mater; quod, ut susceptum, ita peractum, modo cum honore fieri possit, nobis commodo erit. Ceterum volo, ut qui apud me versantur homines suum consensum et auxilium huic incepto addant, qui si periculum rei mecum subeant, insuperque jurent, se vitam salutemque hominis defensuros, aliquam ei opem ferre potero. Versabantur cum eo sexaginta domestici stipatores, homines liberi; jamque hominem in contubernium domesticorum suorum recipit. Quo cognito filii Geirsteinis, in furorem acti, regi Sigurdo significant, se prædium Gydgeris[1] inflammare, omnesque fortunas diripere velle. Rex hortatus

[1]) forte rectius Gydæ.

est, ut primo a vi abstineant, placere, satisfactionem pro cæde postulari, verumque coguosci. Fratres boream versus profecti, multa maleficia exercent, neque tamen prohibente rege audent, tantum mali, quantum cupierunt, patrare. Cumque fama cognovissent, hominem ab Gregorio receptum, rem regi indicant, auxilia poscentes, ut Gyrdum, omnesque qui eum defendere vellent, interficere possint; docent, nimium sibi sumere præfectos, qui regis voluntati obsistere audeant. Rex, rem primo clementer tentandam ratus, virum, nomine Lodinem, prudentia multisque virtutibus notum, ad Gregorium mittit. Quo cum venisset, prudenter magna cum benevolentia negotium regis proponit; ostendit, decere eum, studia sua ad regem inclinare; quærit, quam velit satisfactionem pro cæde Geirsteinis offerre. Ille contra: si quid in se peccatum rex existimet, ipsius sententia valeat; Geirstein vero hæc, quæ in eum commissa sunt, promeritus est, filiique ejus post necem patris multa indigna facinora patrarunt. Lodin reversus regi de exitu negotii exposuit. Quo audito, fratres magnopere quidem regem stimularunt; hic vero iterum hominem decrevit ad Gregorium mittere, nomine Rödum, cum comitibus triginta. Qui cum Gregorium conveuissent, negotium majori superbia ac fervore, quam prolatum antea fuerat, exponunt: arbitrari, regem superare præfectos potentia velle; ostendunt, eum ad vim invitum confugere: „quo magis te convenit, moderationem adhibere". Quibus Gregorius: antea vir bonus ad me venit, et hoc negotium sapienter ac benevole exegit, neque tamen mihi ejus de hac re sententia placuit; tu vero, qui rem superbe proponis, non ia mihi videris, qui negotium commode expedire possis. Redeuntes consilia conferunt, placetque Rödo re ita comparata non digredi; jubet eos se in silva opperiri, velle se ad villam reverti: „fieri enim potest, ut insperantibus supervenientes hominem comprehendere

possimus". Itaque, ut loricati erant, habitum mendicorum superinduunt, unaque quindecim ad villam revertuntur, et in scamnis triclinii, ubi potare consvevit Gregorius, consident. Atque vespere Gregorius cum cohorte sua triclinium ingressus, quærit, cur mendici ibi intus essent, eosque propius accedens animadvertit, quinam sint, prehensosque ligari jubet; postero mane in silvam ad socios suos compulsi sunt. Indictis dein comitiis, Gregorius, quibus se dolis hi homines circumvenire studuissent, aperit; mox ad necem damnati et suspensi sunt. Cognovit has res Sigurdus rex, atque Geirsteinis filii; qui ira incensi copias ab rege poscunt et impetrant. In Vikam nulla præcurrente fama delati, extemplo prædas agere incipiunt. Eo tempore, ut quidam dicunt, vespere festi Joiensis, Gregorius Tunsbergi constitutus, etsi tum minimis sese custodiis circumdedisset, tamen eos adoriri decrevit, dimissisque in omnes partes nuntiis copias contrahit; congrediuntur, homines utrinque cadunt, eo tandem certaminis exitu, ut Geirsteinis filii ad regem refugerent. Iidem aliquando rescisse dicuntur, Gregorium convivio apud affinem suum interfuturum; captata occasione insperato superveniunt, occisisque qui appararent convivium, ipsi accumbentes epulas consumserunt. Gregorius, harum rerum ignarus, sinum maris, qui ad villam pertinebat, ingressus, eo navem appellere statuit. Hic Gregorius: suspicor, magnam huc advenisse multitudinem hominum; fieri potest, ut hostes sint; quare appulsa ad lingulam promontorii nave periculum istorum faciemus; nam si hostes sunt, adversum nos tendent; tum vero fieri posset, ut propere appulsa in stationem interiorem nave ad oppidum prævertere, revertentiumque impetum ex oppido excipere nobis contingeret. Neque eum fefellit. Ut navem ad litus exterius deflexerunt, illi in promontorium excurrerunt; sed Gregorius per transversum sinum revertens in oppidum prævertit; jam-

que congrediuntur, et confligunt, magna utrinque clade. Gregorius omnes homines pugnandi arte præstabat; contra quem procedens Hisingus cum eo congreditur; pugnant; cadit Hisingus ab Gregorio; quæ res fama celebrata est. Dein gladium ejus corripuit et eo pugnavit; tumque alter frater contra eum progreditur. Is certamini finis, ut Gregorius utrumque fratrem, filios Geirsteinis, prosterneret; ex qua re magnum honorem et gloriam adeptus est. His ingentibus facinoribus gestis Gregorius ad regem Ingium se convertit, ejusque fidei se committit; hi intimam inter se amicitiam ineunt; atque Gregorius per totam vitam regi firmissimum præsidium fuit. Gregorius, cum divitiis afflueret, neque sibi ipse, neque fortunis suis pepercit, ut regi Ingio opitularetur. Quam ob rem vulgaris sermo fuit, eum post hominum memoriam præfectorum Norvegicorum maximum et excellentissimum fuisse.

CHRONOLOGIA

A MAGNO BONO, R. N., AD SVERREREM, R. N.

1015. Natus Haraldus Severus, N. R.
1024. Natus Magnus Bonus, R. N.
1030. Prælium Stiklastadense, cadit Olavus Sanctus, N. R. Haraldus Sigurdi f. e prælio elapsus in Sveciam concedit, ibique hiemat.
1031. Haraldus Holmgardum se confert. Bellum inter Russiam et Norvegiam.
1033. Carolus Miser, in Russia mercandi gratia profectus, ab rege Jarizlevo in vincula conjicitur, et Magno Bono deprecante liberatus, Holmgardi hiemem agit.
1034. Carolus Miser, ad principes pecunia sollicitandos in Norvegiam ablegatus, Nidarosum venit ante dominicam palmarum. In vincula conjectus, hinc ægre effugit. Kalvus Arnii f. et Einar Arcipotens in Russiam ad reducendum Magnum Bonum concedunt. Haraldus, relicta Russia, Constantinopolin venit.
1035. Magnus Bonus rex Norvegiæ creatur. Svein Alfivæ f. in Daniam concedit. Knutus Potens in Anglia moritur die 13. Nov., filiis, Haraldo et Hördakuuto, in regnum Daniæ et Angliæ succedentibus.
1036. Svein Alfivæ f., R. N., in Dania moritur. Conventus in Albi Gothorum: pax inter regem Magnum, N. R., et Hördaknutum, D. R.
1040. Obit Haraldus, Knuti Potentis f., R. Angl., succedente fratre Hördaknuto, D. R.
1042. Obit Hördaknutus, R. D. et Angl. Jatvardus Bonus, Adalradi f., rex Angliæ creatur, et prima feria festi paschalis inauguratur. Magnus Bonus in Daniam proficiscitur, et comitiis Viborgensibus, secundum pacta Gothalbensia, rex Daniæ creatus, hiemem in Dania agit.
1043. Rex Magnus æstate in Norvegiam revertens, Sveinem Ulvi filium Konungahellæ dynastæ titulo

ornatum Daniæ præficit, iterum in Daniam revertitur, autumnoque in Norvegiam reversus, brevi ante festum Jolense in Thrandheimum pervenit, et hiemem Nidarosi agit.

1044. Post festum Jolense Svein comitiis Viborgensibus rex creatur; quo cognito, rex Magnus vergente hieme copias contrahit, initio æstatis in Daniam proficiscitur; Sveine in Sveciam confugiente, Jomium in Vendia et Rugiam depopulatur. Festo Michaelis (29. Sept.) prælium cum Vendis in saltu Lyrskogensi ad amnem Skotborgensem. Rex Magnus pugnat adversus Sveinem ad Erroam, et hiemem in Jotia agit. Die dominica, proxima ante festum Jolense, prælium cum Sveine ad Arosum committit; Svein in Selandiam fugit.

Haraldus Sigurdi f. Constantinopoli Holmgardum redit, ibique hiemat, qua hieme Elizabetham, Jarozlavi regis filiam, uxorem ducit.

1045. Rex Magnus Sveinem e Selandia et Fionia expellit, et populationes facit. Procedente vere, in Norvegiam reversus, ibi multum æstatis agit. Vere Haraldus Sigurdi filius ab Holmgardo Aldejoborgam descendit, inde æstate in Sveciam navigat, et Sveinem Ulvi filium Sigtunia convenit, quocum societatem init. Svein ex Svecia reversus, insulas Daniæ in potestatem suam redigit. Quo cognito rex Magnus in Daniam proficiscitur: prælium Helganesinm, populationes et prælia in Skania, Falstria, Fionia. Svein in Sveciam refugit, ibique hiemat. Rex Magnus hiemem in Dania agit, et nuntios ac literas ad Jatvardum Bonum, A. R., mittit.

1046. Rex Magnus vere in Norvegiam redit. Svein et Haraldus juncta societate Selandiam et Fioniam depopulantur. Rex Magnus missis nuntiis fœdus cum Haraldo facit, qui rupta cum Sveine societate in Norvegiam navigat, et a Magno socius imperii adsumitur. Autumno Haraldus Thrandum persequitur. Hreidar Stultus in Norvegiam venit.

1047. Hieme Arnor dynastarum poeta carmina laudatoria de regibus, Magno et Haraldo, coram ipsis recitat. Rex Magnus Thrandum in Grönlandiam

mittit. Vere Magnus et Haraldus expeditionem in Daniam faciunt, multumque æstatis ibi consumunt, Sveine in Skaniam concedente. Rex Magnus moritur 25. Octobr. Einar Arcipotens cum Thrandis funus ejus in Norvegiam prosequuntur; quo et reversus Haraldus in Thrandheimo hiemat, qua hieme Thoram, Thorbergi Arnidæ filiam, uxorem ducit.

1048. Vere Haldor Snorrii f. in Islandiam ad patrem proficiscitur; eodem vere rex Haraldus expeditionem in Daniam facit; populatur Jotiam, villam Thorkelis Geysæ incendit, pugnat ad Thjolarnesum; autumno in Norvegiam redit, ibique hiemat.

1049. Vere rex Haraldus Daniam infestat. Haldor Snorrii f. ab Islandia redit; ejus cum rege simultates.

1050. 1. Jan. Haraldus stipendium militibus solvit, Haldore indignante. Post festum Jolense in Vikam rex convivaturus proficiscitur; Haldoris cum eo dissidia. Procedente æstate rex in Thrandheimum redit, et Nidarosi hiemat. Hac hieme rex Svein Haraldo congressum ad Albim indicit.

1051. Rex Haraldus expeditionem parat. Primo vere Haldor Snorrii in Islandiam se confert, et Hjardarholti villicationem instituit. Rex Haraldus ad Albim proficiscitur. Hac æstate Thorleikus Pulcer ab Islandia in Norvegiam venit, et carmen de rege Sveine Ulvi f. componit. Rege Sveine congressum ad Albim frustrante, Haraldus Daniam populatur, Heidabyum incendit; ad Lessoam a classe Sveinis oppressus ægre evadit.

1052. Cædes Einaris Arcipotentis. Motus Thrandorum, ea re excitatus, opera Finni Arnidæ sedatur.

1053. Kalvus, ab exilio revocatus, possessiones suas recipit. Hakon Ivaris filius, ab rege Haraldo deceptus, in Daniam concedit.

1054. Rex Haraldus, classe in Daniam profectus, in Fionia escensionem facit; cadit Kalvus Arnii.

1055. Finnus Arnii in Daniam ad regem Sveinem concedit.

1058. Emporium Osloæ ab rege Haraldo fundatum.

1060. Hakon Ivaris filius in Norvegiam redit, ducitque uxorem Ragnildam, Magni Boni filiam, dynastæque dignitatem Ormo mortuo consequitur.

1061. Rex Haraldus, expeditionem in Jotiam faciens, in sinu Limico interclusus traductis per isthmum navibus evadit, et hiemem Nidarosi agit. Hac hieme ingens navis bellica Nidarosi construitur, congressus cum rege Sveine condicitur, copiæque evocantur.
1062. Prælium navale Nizicum, 10. Aug. Rex Haraldus, victor, Osloæ hiemat. Ödun Vestfjordensis, Islandus, regem Haraldum Osloæ convenit.
1063. Vere Osloa profectus Haraldus rex Hakonem Ivaris filium opprimere studet; hic vero in Sveciam elabitur. Rex Osloæ hiemat.
1064. Vere pax inter Sveinem, Daniæ regem, et Haraldum facta. Vergente æstate rex Haraldus Hakonem Ivaris filium in Gothia vincit et fugat. Cæsus Hallus Kodrauicida.
1065. Rex Haraldus incolas Römariki, Heidmarkæ, Hadalandi et Ringariki, tributa pendere recusantes, per tria semestria vexat, nempe hieme 1064-65, æstate 1065, et hieme 1065-66.
1066. 1. die Januarii sepultus rex Edvardus Bonus, Angliæ rex, eodem die succedente in regnum Haraldo Godvini filio. Tostius Godvini filius, per Flandriam, Frisiam et Daniam in Norvegiam profectus, regem Haraldum Sigurdi f. ad expeditionem in Angliam suscipiendam perducit. Obit Ulvus Ospaki filius, aulæmagister Haraldi regis. Rex Haraldus, Magno filio rege creato et ad custodiam regni relicto, in Angliam cum classe navigat, et ibi unacum Tostio, die 25. Sept., ad Stafnfnrdnbryggjam prælio cadit. Die 14. Octobris Haraldus Godvini filius, adversus Viljalmum Nothum pugnans, occumbit. Olavus Haraldi Severi filius cum reliquiis copiarum ab Anglia in Orcades revertitur, et ibi hiemat.
1067. Olavus, Haraldi filius, Tranquillus dictus, ab Orcadibus in Norvegiam redit, et rex cum Magno fratre salutatur. Pax renovata inter Sveinem Ulvi f., R. D., et Olavum, R. N.
1069. Obit rex Magnus, Haraldi severi f. Nascitur Hakon Magni f., dictus Thoreris alumnus.
1073. Natus Magnus Nudipes.
1076. Die 29. Aprilis obit Svein Ulvi f., R. D.
1080. Obit Haraldus Hein, R. D.

1087. Obit Knutus Sanctus, R. D.
1089. Natus Eystein Magni f., R. N.
1090. Natus Sigurdus Hierosolymipeta, R. N.
1093. Die 22. Sept. obit Olavus Tranquillus, R. N.; filius Magnus Nudipes a Vikensibus rex salutatur. Hakon Magni f. ab Uplandis rex designatur, in comitiis Eyrensibus regio nomine donatur, et festum Jolense Nidarosi agit.
1094. Rex Hakon Magni f. Uplanda obit. Rex Magnus Nudipes autumno Nidarosum venit, et primam partem hiemis in oppido agit; eodem rex Hakon concedit, dubia jam atque incerta inter utrumque societate.
1095. Obit Olavus Hungur, R. D. Post festum candelarum, die 2. Febr., moritur rex Hakon Magni filius. Rex Magnus Nudipes eadem hieme in Vikam proficiscitur. Vere Hallandiam populatur. Rebellio Thoreris Steigensis oppressa. Gislius Islandus in Norvegiam venit, rege Magno Nidarosi versante.
1096. Hakon Pauli filius e Svecia in Norvegiam venit, cujus adhortationibus rex Magnus expeditionem in Hebudes in sequentem annum imperat. Cædes Gjavaldi. Rex Magnus Sveinkium possessionibus ad Albim ejicit.
1097. Expeditio regis Magni Nudip. in Hebudes. Populatur insulas Ljodhusa, Ivistam, Skidium, Tyrvistam, Mylam. Capto Lögmanno, Bretones prælio profligat, et Öngulseyam subigit. Satirium, Scotiæ peninsulam, in potestatem redigit. In Hebudes reversus, ibi hiemat. Bjadmyniam, regis Kunnaktiæ filiam, Sigurdo filio conciliat.
1098. Vere rex Magnus ex Hebudibus in Orcades trajicit. Hic filium Sigurdum, regio nomine donatum, provinciis ad occidentem præficit, æstateque in Norvegiam redit. Natus Olavus, Magni Nudipedis f., postea R. N.
1099. Rex Magnus, contentione de Sveciæ Norvegiæque finibus orta, autumno in Gothiam irrumpit, munimento in insula lacus Væneris excitato præsidioque imposito in Vikam cum parte copiarum redit.
1100. Initio anni Ingius Steinkelis filius, R. Svec., expugnato munimento, præsidium ignominiose di-

mittit. Vere rex Magnus in Sveciam irrumpit, et exscensione ad Foxernium facta, cum exercitu Gothorum congressus fugatur et in Vikam se recipit. Post eodem anno cum rege Inglo ad Foxernium congressus, victor in Norvegiam redit.

1101. Æstate Magnus Nudipes, R. N., Ingius, R. Sv., et Eirikus Sveinides, R. Dan., ad Gothalbim conveniunt, et pacem inter regna faciunt. Margareta, filia Ingii, R. Sv., Magno R. Norv. nubit.

1102. Skoptius Ögmundi cum filiis in exilium concedunt, navigant in Flandriam, ubi hiemem agunt. Expeditio Magni regia in Hiberniam; in Kunnaktia hibernat.

1103. Rex Magnus Nudipes, magna Uitoniæ parte subacta, die 24. Aug. ab Hibernis in reditu oppressus cadit. Rex Sigurdus, filius ejus, cognita morte patris, ex Orcadibus in Norvegiam redit, relicta uxore Bjadmynia. Imperium Norvegiæ capessunt filii Magni Nudipedis, Sigurdus, Eystein, Olavus. Skoptius Ögmundi, pernavigato freto Gaditano, in Italia obit.

1105. Hakon Pauli filius Orcadibus præficitur.

1107. Rex Sigurdus peregrinationem Hierosolymitanam ingreditur[1]: autumno navigat in Angliam, ubi hiemat.

1108. Vere in Galliam navigat, et autumno in Galliciam venit, ubi hiemem agit.

1109. Rex Sigurdus ad Lissibouem pugnat, Alcassium vastat; Forminteram, Ivizam, Manorkam populatur. Vere pervenit in Siciliam, ubi diu commoratur[2]. Æstate in Palæstinam navigat, ibique hiemat.

1110. Rex Sigurdus, expugnata Sidone, e Palæstina solvit, Cyprum accedit, ad promont. Maleæ dimidium mensem moratur; Constantinopolin navigat, et pedestri itinere in Daniam, indeque in Norvegiam revertitur.

1113. Reges Sigurdus et Eystein una convivia obeunt in Uplandis. Convivium Mæriæ: initia litis cum

---

[1]) *Fagrskinna* memorat, hanc peregrinationem inceptam esse tertio fratrum imperii anno (consentiente et Morkinskinna), et quatuor annos durasse, itaque ab anno 1106-1110.
[2]) Sigurdum in Sicilia hiemasse, magna cum veri similitudine memorat *Fagrskinna*.

Sigurdo Ranii filio. Ivar de Fljodis in Hiberniam amandatur; ille in Orcadibus hiemat.

1114. Conventus Nidarosiensis, Kepsiseyensis, Thranddarnesensis. Ivar de Fljodis ab Hibernia redit.

1115. Æstate aguntur comitia Frostensia. Sigurdus Ranii cum rege Sigurdo reconciliatur. Paulo post (i. e. 22. Decemb.) obit Olavus Magni filius, R. Norv.[1]

1121. Die 29. Aug. obit Eystein Magni filius, R. Norv., sex annis post mortem fratris Olavi[2].

1123. Expeditio regis Sigurdi in Smalandiam.

1124. Natus Jon Lopti filius. Incidit magna solis eclipsis.

1126. Haraldus Gillius in Norvegiam venit.

1130. Die 26. Mart. obit Sigurdus Hierosolymipeta, R. Norv., 40 annos natus, cum regnaverat annos 27. Imperium capessunt Magnus Cæcus, Sigurdi f., et Haraldus Gillius.

1134. Die 10. Aug. prælium Fyrirleivense: pulsus Haraldus Gillius in Daniam concedit; Hallandiæ præficitur ab Eiriko Emunio, R. Dan., ubi contractis copiis Bergas venit 24. Dec.

1135. Rex Magnus Sigurdi filius, in sinu Bergensi interclusus, capitur, excæcatur, et monasterio Holmensi includitur. Die 10. Aug. Konungahella a Vendis capta et direpta.

1136. Die 14. Decemb. Haraldus Gillius, R. Norv., a Sigurdo Siembere Bergis interficitur, cum 6 annos regnaverat. Reges creantur Sigurdus (Bronchus) et Ingius, Haraldi Gillii filii.

1137. Sigurdus Siember Magnum Cæcum monasterio Holmensi eximit, et in Orcades navigat. Rex Ingius, prælio ad Mynnium facto, Magnum Cæcum fugat, et Carolum Sonii, Gothiæ dynastam, hortante Magno Cæco in Norvegiam irrumpentem, commissa pugna Krokaskogensi, refugere cogit. Eirikus Emunius, R. D., hortatu Magni Cæci, expeditionem in Norvegiam frustra facit. Sigurdus Siember, ab Orcadibus redux, cædibus et populationibus grassatur; ad Portyriam circumventus elabitur, et Alaborgæ hiemat.

1138. Cædes Benteinis. Sigurdus Siember, ab rege Ingio exagitatus, in Hinja hiemat.

[1]) Secundum annales et *Hk.* 1116. [2]) Secundum eosdem, 1122.

1139. Sigurdus Slember et Magnus Cæcus, variis cædibus editis, in Daniam concedunt, autumnoque reversi, die 13. Nov. ad insulam Griseam ab Inglo et Sigurdo, R. N., vincuntur: cadit Magnus Cæcus, Sigurdus Slember capitur et excarnificatur.
1142. Eystein, Haraldi Gillii filius in Norvegiam advenit, et rex creatur circa festum ascensionis Christi.
1147. Natus Hakon Humerosus.
1152. Adventus Nicolai Cardinalis in Norvegiam.
1154. Conventus pacificatorius in Uplandis inter reges Eysteinem et Signrdum.
1155. Rex Sigurdus Bronchus a fratre Ingio opprimitur Bergis, cum regnaverant 19 annos.
1156. Pacificatio inter regem Ingium et Eysteinem, Seleyis inita. Natus Magnus Erlingi filius, postea Norv. rex.
1157. Rex Eystein in freto Græningasundo, desertus a suis, in Vikam fugit, ubi die 21. Aug. interficitur. Hakon Humerosus, decem annos natus, rex ab Eysteinianis appellatur.
1158. Res a Gregorio Konungahellæ egregie gesta.
1159. Rex Ingius Hakonem Humerosum ad Albim classe vincit, et fugat.
1160. Turbæ et mutuæ cædes Ingianornm Bergis. Gregorius et Hakon alteri alteros cladibus afficiunt.
1161. Die 8. Januarii Gregorius, glaciem amnis *Hæfiá* transgrediens, telo confossus cadit. Die 3. Febr. rex Ingius Osloæ cadit, cum regnaverat annos 25. Magnus Erlingi filius rex creatur, tum quinquennis. Erlingus, inita cum Valdemaro 1., R. Dan., societate, Hakonem Tunsbergo ejicit, Bergisque hiemem agit. Eystein archiepiscopus, successor Jonis Birgeris filii, inauguratur.
1162. Erlingus Hakonem Humerosum juxta insulam Sekkum navali prælio vincit; cadit Hakon Humerosus. Magnus Erlingi filius comitiis Eyrensibus rex totius regni creatur. Hakoniani regem creant Sigurdum, fratrem Hakonis Humerosi, Marko Skogensi et Sigurdo dynasta factionis coryphæis.
1163. Sigurdus dynasta ejusque asseclæ, auctoritate Erlingi, comitiis Tunsbergensibus diris devoti et condemnati. Tempore longi jejunii pugna

Reenala, cadit Sigurdus dynasta. Post Markus et Sigurdus rex vivi capti et necati.

1164. Deleta factione, Magnus Erlingi filius, tunc octennis, Bergis coronatur ab Eysteine archiepiscopo, præsente Stephano, legato Romano. Postulata regis Valdemaris, R. D., comitiis Borgensibus negata.

1165. Erlingus festo ascensionis Nidarosienses proditionis crimine multat. Expeditionem in Norvegiam suscipit rex Valdemar, reque infecta revertitur. Bellum inter Daniam et Norvegiam.

1166. Hoc bello durante oritur factio Hettusveinum in Upiandis et Vika, coryphæo rege Olavo Gudbrandi filio, quare Erlingus Osloæ hiemat.

1167. Die 2. Febr.[1] Erlingus Rydjökulе ab Olavlania pæne oppressus, ægre elabitur.

1168. Pugna Stangensis, qua victor Erlingus Olavum, regem Hettusveinum, in Daniam expellit.

1169. Olavus Gudbrandi filius Alaborgæ moritur. Autumno Kristina, uxor Erlingi, ad Valdemarem, R. D., se confert, et de pace agere cœpit.

1170. Erlingus cum rege Valdemare Randarosi congressus, pacem facit ea lege, ut provincia Vikensis regi Daniæ concedatur, cui Erlingus dynastæ titulo præficitur.

1174. Anno 14. imperii Magni Erlingi filii initia Birkibeinum, quorum rex, Eystein Meyla, ab affine Birgere Brosa copiis et opibus sublevatus, per duas hiemes, 1174-75 et 1175-76, in Vika se continet.

1176. Eystein Meyla 8. Septemb. sinum Thrandhelmensem navibus ingressus, Nidarosienses opprimit, et rex salutatur.

1177. Principio anni rex Magnus Erlingi filius Birkibeines in territorio Reensi fugat; Eystein Meyla, latebras quærens, occiditur. Dilabitur factio Birkibeinum.

[1]) Secundum Sturl. lib. 2. cap. 40, die 2. Nov. 1166.

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM

IN

SEXTO ET SEPTIMO VOLUMINE OCCURRENTIUM.

CORUM

Isrida, co
Nevstein.

Gudruna,
Skulius T

Asolvus R
conj. Tho

Guttormu

Bardus.

Ingius, R.

gnus, R. N.
66 † 1069.

kon Thoreris-
mnus, R. N.,
. 1069 † 1095.

Halv conj. Ketil
filius

Thor
conj.
Arnii

Guttormus.

ex ignobili

ystein R. N., nat. 1089
1121, conj. Ingibjarga
uttormi (13).

aria, conj. Gudbrandus
Skavhögi.

lavus Infortunatus † 1169.

ex Sigrida
Saxii (14).

lavus, R. N. nat. 1098
† 1115.

ex. conc.

Brigida, conjuges:
1) Ingius Halsteinis, R. Sv.
2) Karl Sonii, dyn. (8).
3) Magnus Henrici, R. Sv.
4) Birger Brosa, dynastes.

Knutus,
dynastes.

Flokius.

† 1157, conj. Ragna

1177.

Margareta.

E SVECIÆ.

us.

Ex

Ola

Ing
rizl

eta Fridkolla, conj.
us Nudipes, R. N. (1).
aus Sveinis f. (2, *a*).

Eli
Har

s (Capitellus).

onjuges 5:

2) Haraldus Gillius,
R. Norv. (1)

gis affinis).

5) Ivar Sneis.

lus

3) Burizus.

Philippus.
† 1180.

Ormus (regis frater).

1)

6) Svein.

Henrikus Claud
conj. Ingirida
Rögnvaldi (*b*


K
co
V

est lectio Cod. *A*, *Fm*.
em matre, nati erant.

gius Haraldi filius et Brigita eodem

3.

[d]ynastes Rothomagensis.



5.


Ospakus

(vide Landnamam).

Ulvus, aulæmagister
† 1066, conj. Jorunna
Thorbergi f. (8).


—

[...]vik.



6.

[P]otens, dyn. Hladensis.



Tostius, dynast

Skulius (educa
conj. Gudruna

Haraldus, R. Angl.

Gyda Prisca, conj.
Valdemar Jarizl. (15).

n.

Finnus, dynastes.

Sigrida, conj. Ormus Eilivi f.

Ögmundus.

Jorunna, conj.
Ulvus Ospaki (5).

Munan.

Astrida, conj.
Sonius.

Karl, dyn.
Gothiæ.

Ingibjarga, conj.
Egil Aslaki de Örlando.

Ögmundus.

Finnus.

Thora, conj. Asolvus Reinensis (1).

Paulus, conj.
Ragnilda.

Nicolaus Kuvungus.

Ulvus Kraka.

Grimkel.

Gunnbjörn.

Thorarin Kornius.

Klængus.

Jarngerda, conj.
Ulvus Uggii f.

Illu

Tindus.

Kollius.

Thorvaldus.

Skeggius.

Illugius, conjux: Thorkatla.

Gils.



Paulus, dyn. ı.
† 1096.

Hakon.

Gunnilda, conj.
Kolus Kalii (12).

12.

Ad genus Karii Hörd3.

(Vol. 3. tab. geneal. 6, δ.) Steigensis.

Thorleivus Sapiens.

tormus.

Sæbjörn.

Kalius Agdensis † 1096.

Kolus, conjux
Gunnilda Erlendi (11).

Ingibjarga, conj.
Eystein Magni f.
R. Norv. (1).

Sigrida.

Olavus Magni f.,
R. Norv. (1).

Thora.


Sigurdus Slember (1).


Joan, conj. Sigri
Bardi (1).


• *Fm. S.* 7, 199. et *Hk.* T. 3, 31*lafs konúngs Magnússonar ok Kára konúngsbróður.* Puto legend *Magnúss., ok Kára konúngsbróður.* Sic, exclusa vocula *þeirr*aciliantur eum expressis verbis Morkinskinnæ, *Fm. S.* 7, 109. not. 2. lum.

Ingibjarga, conj.
Knutus Lavardus (2, *a*).

conj.
ıolymipeta (1).


16. 17.
Olavus Dalgus Eilivi filius,
conj. Ragnilda
Skoptii filia (8).
Borghilda, ex Sigurdo
Hierosolymip.
Magnus Cæcus.
Vatnormus.
Gyrida, conj.
Gyrdus Amundii
ilda, conj.
strattensis (14).
Bögeyda, abbatissa
Gimseyensis.


Jonnzkius,
randh.
piscopus.
Eilivus.
Hakon Potens.
Steinar.
rmus, dynastes, conj. Ragnilda.
Sveinkius.
. . . .
Ragna.
Ragnilda, conj
Ögmundus
Drengus.
ex incertis matribus:
on Thor-
labergo.
Reidar.
Ögmundus.


conj. Brynjolvus
vo Tranquillo, R. N.
Haldor.
Magnus Nudipes,
R. Norv.







